





EX LIBRIS COLLEGII
MARIAE DE OSCOTT


PETER
SEABY

NUMMI
ANTIQUI
FAMILIARUM
ROMANARUM.


NVMMI
FAMILIARVM
ROMANARVM,
JO. VAILLANT. B.D.M.S.D.C.A.
AMSTELÆDAMI, apud G. Gallet, Praef. Typ. HVGVETANORVM.
J. Goeree inven.
J. Mulder fecit.

NUMMI ANTIQUI FAMILIARUM ROMANARUM

PERPETUIS

INTERPRETATIONIBUS

ILLUSTRATI,

Per J. VAILLANT Bellovacum, D. M. &
S. DUCIS CENOM. *Antiquarium.*

VOLUMEN PRIMUM.



AMSTELÆDAMI,
Apud G. GALLET, Præfectum Typographiæ
HUGUETANORUM.
M. DCCIII.



SERENISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO I.
DUCI PARMÆ, PLACENTIÆ, &c.
JOANNES VAILLANT.

QUOD ego tantùm arrogem mihi, PRINCEPS SERENISSIME, *ut qui te præsentem præsens numquam viderim, Tuis tamen auspiciis prodire hoc meum opus ambiam, fecit sane singularis in me humanitas S.mi Principis Fratris Tui, quamdiu in Regia Christ.mi Regis Aula versatus est. Patebat quidem facilis ad illum, non tantùm Primoribus, sed & eruditis omnibus accessus, ut non esset opus perventore Cl. Comite Riccassio, Tuo ad Regem Legato; nisi hujus suavissima consuetudine pridem captus, ipsum præ ceteris patronum adamassem.*

Apud illum igitur quùm fortè in familiari sermone rogatus essem, quid tum temporis haberem præ manibus, in quo se mea, quantula est, exerceret industria: respondi versari me in illustrando atque amplificando opere, quod

olim

olim Fulvius Vrsinus de Rom. Familiis edidisset, atque Alexandro Farnesio Pauli III. Pontificis verè Summi fratris filio inscripsisset. Advertit animum, qui tum aderat eruditissimus Episcopus Burgi S. Domnini, quem illius peregrinationum comitem, PRINCEPS SERENISSIME, *habere voluisti. Is quùm me de familiaribus amicis suis esse voluisset, quin cogitas, ait, at jam plaudis tibi, quod novo isti operi, jam tuo, etiam ex eadem Serenissima gente Patronu sperare licet alterum Farnesium? Hic ego tenuitatis meæ conscius, òhe! Vir Clarissime, quem me tandem putas, quem tam magna sperare jubes? Jubeo, reponit ille, ut* SERENISSIMUM PARMENSEM DUCEM *nostrum, qui nunc est Augustissimæ Familiæ caput, Patronum speres: neque plus in me recipis, quam præstare aut velim, aut possim. Tum verò crevit mihi animus, non tam cogitanti quid merear, quam quid Tua singulari comitate dignum sis putaturus.*

Revocare ergo mihi in memoriam cum summa mea voluptate cœpi Emin.mum Alexandrum Farnesium Litteratorum omnium liberalissimum Fautorem: locupletissimam illam Bibliothecam, quam in Farnesiano Palatio collocavit, quod olim à Paulo III. tum Cardinale inchoatum, sic ipse absolvit, ut inter superba Romanæ civitatis ornamenta facile principem locum teneat. Huc velut ad commune doctrinarum omnium emporium conveniebant: non solum ex universa Italia eruditi omnes; sed è tota Europa quotquot reconditioris litteraturæ amor inescaverat. Florebat enimvero Bibliotheca illa non solum librorum præsertim M. S. multitudine & raritate; verum etiam ditissimo præ ceteris Cimelio, quod advectis undecumque pretiosis

tiosis nummis jamdudum impleverat: quo ex thesauro opus suum mirificè locupletatum esse Ursinus ipse, beneficii memor, deprædicabat. Fecit, fateor, hac sua commendatione, ne primus esse possem in celebrando rarissimo illo thesauro, & hoc ætatis beneficium fuit. Faciam nihilominus ego, ne solus sit, quod erit gratissimi animi mei monumentum, sic Felicior ille; ego, quod confidentius fortè dictum videbitur, Valentior.

Dicam igitur ad æternam Familiæ Serenissimæ gloriam, thesaurum illum servari etiamnum in Regio Vestro Parmensi Palatio, & quidem publici quodammodo juris factum, quod ingentis beneficii loco esse debet apud Eruditos omnes. Quid enim aliud voluit Rainutius II. Pater tuus Ο ΜΑΚΑΡΙΤΗC, *quùm jussit ut P. Pedrusius è Soc. Jesu priscæ vetustatis scientissimus interpres, totam suam Gazam accurate delineatam universo orbi exhiberet? Paruit ille alacriter, sensit enim quam id & sibi honorificum, & litterariæ Reip. proficuum foret. Igitur totum Seren.mi Principis Cimelium sex velut in classes distribuit. Conjecit in primam aureos omnes Imperatorum Romanorum nummos, non ut plerique hactenus, sola descriptione contentus; sed addita singulari cujusque explicatione, & quidem vulgari Italico sermone potiùs quam Latino, ut ad plures tum utilitas, tum voluptas pertineret: verum præmatura morte præreptus Ser.mus Princeps, ingens sui desiderium Antiquariis omnibus reliquit, ea tamen spe nequaquam præcisa, fore ut statim atque sua Italiæ tranquillitas restituta erit, non patiaris* DUX SERENISSIME *imperfectum opus manere, quod Tuæ gloriæ tantam facere possit accessionem, tantumque Augustissimo nomini splendorem addere.*

DEDICATIO.

Esset sane quod dolerem minus, si Pedrusius statim conjecisset primam in classem Rom. Familiarum nummos, atque hinc lachrymæ, non enim possum non credere quin plures lateant nummi, quos nullibi alias invenire datum est, præsertim ex iis, quorum copiam nobis Goltzius delineavit: unde autem excerpere tam multos potuit, nisi plurimos ex utroque Cimelio celeberrimo, cujus tanta cum laude meminit: Altero quidem quod fuit Octavii Farnesii inter Parmenses Duces secundi. Altero verò quod Romæ penes Emin.um Rainutium fuit. Amabat ille certare cum Seren.is Fratribus Alexandro Cardinale & Octavio Farnesiis, iis quasi potuisset palmam præripere. Inde porro quis non facile conjiciat, quam ingentes sint nobilissimi Tui Cimelii opes, in quod tandem unum tum felici accessione, utriusque veluti maris divitiæ confluxerint.

Quid tamen tot externæ opes ad domestica Seren.mæ Familiæ decora, quibus vel ante adeptos Ducalis coronæ titulos, Reges anteissetis longè, si virtuti soli sceptra servarentur? Nemini ignotum est quingentis ante Paulum III. annis, Avis & Proavis SERENITATIS VESTRÆ *debuisse Ecclesiam fortissimos Imperatores, quorum triumphis aucta, ac longe lateque propagata, profligatis sæpius hostibus, assertam prædicat sibi pacem ac gloriam. Testis jam ab anno millesimo vicesimo septimo Petrus Farnesius Ecclesiasticarum copiarum Dux strenuissimus. Testis Petrus II. Pontificii equitatus præfectura, cum summa sua laude functus anno post millesimum nonagesimo nono. Quid hic memorem utriusque filios, nepotes, pronepotesque fortissimos, qui ad usque Rainutium III. Pauli III. Pontificis Avum belli fulmina, & firmissima Ecclesiæ columina, hostibus*

ſtibus terrori, amicis auxilio fuere, non tutis tantum eorum præſidio, ſed & ſecuris; ut non immerito è Principibus omnibus Chriſtianis Rainutium Eugenius IV. Pontifex, unum eſſe duxerit, cui ſine cujuſquam invidia, Roſam auream ſolenni formula conſecratam mitteret.

Ex quo verò acceſſit ad virtutem debita merces, Ducatus ſcilicet dignitas, dici vix potuit quanta fuerit toto orbe Parmenſium gloria: quanta virtus: quam inſigne ubique tum pace, tum bello nomen! quem enim alium quam Heroem dicam Alexandrum III. Parmenſem, qui inter celeberrimos Imperatores principem ſemper locum tenuit! quanta triumphorum bello Belgico ſeges! tanta ſane, ut fidem propè ſuperent, quæ de illius rebus geſtis fideliſſimi alioqui Hiſtoriæ Scriptores tradidere. His ego ſi accedere velim, dicam ſanè inter priſcos illos Bellatores, Senatoreſve Romanos, quorum illuſtrandis Nummis toto hoc opere incumbo, neminem invenire me, cum quo à Farneſiana Familia non ſit mihi perfacile, aut invenire quos componam; aut appellare quos citra adulationem anteferam.

Fecere igitur ſapientiſſimè ad ſuam gloriam, illuſtriſſimi Majoris Veſtri, quod colligendis antiquiorum temporum Nummis tam aſſiduam operam dedere: nec minus ſapienter Poſteri quod eadem cura putavere illos ſibi & conſervandos & augendos. Probaverunt quippe conquiſiviſſe ſe in ipſis gloriæ fontibus exempla quæ imitarentur: neque ſe ulla omnino inveniſſe, quæ ſua virtute non eſſent feliciter aſſecuti: plura quæ longo poſt ſe intervallo reliquiſſent.

Fruere igitur PRINCEPS SERENISSIME, *auctâ Familiæ tuæ Auguſtiſſimæ laude, ac dum digna Num-*

mis quotidie tam ſapienter ac fortiter geris , perge amare nobiliſſima illa Antiquitatis monimenta. Mihi certe quid non ſperare licet ; quid non felicitatis novo iſti operi meo ominari ? nihil certe minus quam quod aſſecutus eſt Urſinus : nimirum ut cum iiſdem Farneſianis auſpiciis liber meus prodierit, vivat Auro, Argento, atque Ære in quo verſatus ſum, longe perennius , & exceptus cum laude ab omnibus, ad ſeros uſque poſteros Fatis felicibus tranſmittatur. Vive & vale SERENISSIME PRINCEPS, *dumque Mecænatem nobis totum repræſentas , fac ut aureum Auguſti ſæculum Parmæ refloreſcere nemo ſanus audeat diffiteri.*

Scribebam in muſeo meo Pariſienſi ,
Anno 1701. *Nonis Novembris.*

PRÆFA-

PRÆFATIO.

NOVUM habes in Antiquioribus Nummis explicandis conatum, LECTOR ERUDITE, benevolum te faciet tum ipſius argumenti dignitas, tum difficultas operis graviſſima, tum verò tua ſumma utilitas, cum minori voluptate conjuncta. Dedimus quidem jam à multis annis Imperii Rom. inſigniora hac in parte monumenta, quæcumque Nummis conſignata ſunt, ſive illa Imperatorum juſſu, ſive Senatuſconſulo cuſa, ſive etiam Duumvirûm edicto, quibus id juris fuit in Coloniis atque Municipiis. Adjunximus Græcarum Urbium Numiſmata, quotquot longo uſu ac labore colligere nobis licuit. Æreos quidem Nummos cujuſvis moduli ſemel & iterum mandavi typis, ſola illorum deſcriptione contentus, quod unum tunc à nobis amici poſtulaverant.

Verum quod illorum exacuendæ tantùm induſtriæ profuerat, novi mihi laboris occaſio fuit. Inſtare enim cœperunt, ut quod deſcripſeram, etiam explicarem; rem certè longioris operæ, multoque difficilioris. Deeſt quippe inquiebant, gloriæ tuæ & utilitati noſtræ, ſi non addis Imperatorum Nummis omnibus eam lucem, quam tam feliciter Coloniarum Nummis attuliſti, ut eos quoque enucleatius ſingulos nobis exponas. Quid facerem? obſecundandum fuit tam honorifico illorum de me judicio. Explicui igitur Aureos Argenteoſque Nummos præſtantiores, & reconditioris doctrinæ. Neque ideo quievere. Inſtiterunt porro urgere ardentiùs, ac alteram quam contexerem Spartam proponere: eam ſcilicet qua vetuſtiores Romanarum Familiarum Nummos ſpectat, qui ſtante Republica cuſi ad nos uſque pervenere: quos quidem quia ſatis perito interprete carebant, noſtra hac ætate minori in pretio haberi doctiores dolebant. Ipſis ergo ut facerem ſatis, nec tempori nec operæ parcendum mihi putavi, præſertim cum nemo hactenus ſatis exactè hac in re eſſet verſatus, ut non profeſſus continuò eſſet, multa ſe poſterorum induſtriæ ac diligentiæ ſine invidia reliquiſſe, quæ ſuppleri exoptaret.

Omnium Anteſignanus Hub. Goltzius anno Chriſti 1571. quotquot potuit reperire, Romanarum Familiarum Nummos edidit in lucem: potuit autem præ ceteris longe plurimos ac præſtantiſſimos:

Qui mores hominum multorum vidit & Urbes.

Quam etiam mereretur fidem, enumeratis ſingulis quas peragraſſet

urbibus, consignandam sibi credidit, ad calcem Historiæ Julii Cæsaris quam scripsit. Verum ut sunt difficiliora rerum magnarum initia, satis sibi credidit esse, si Nummos quos vidisset, asserendis Romanorum Fastis addiceret, omissa typorum sigillatim explicandorum cura: Professus etiam ingenuè, se nominum cognationem spectasse potiùs, quam ut singula suis temporibus, aut etiam personis accommodaret. Ita contigit ut ejus qui appellatur Consulis sit nomen, quod in apposito Numismate legitur: Numisma verò ipsum sæpissime, non Consulem, sed Triumvirum, sed Quæstorem, sed Ædilem referat, ejusdem quidem nominis, sed à Consule ipso planè diversum.

Sexto post Goltzium anno qui fuit 1577. Fulvius Ursinus S. Joannis Lateranensis Canonicus dedit in lucem eruditissimum librum de Romanarum Familiarum Nummis, seu quos ipse sua in Bibliotheca servabat, seu quos, ut visum nonnullis est, eruerat ex Cimelio Eminentissimi Cardinalis Farnesii, cui familiaris erat, Alphabetico singulos ordine. Quanto verò sit in pretio liber ille habendus satis probat, tum Eruditissimi Scaligeri judicium, quod extat in Scaligerianis; tum Illustrissimi Spanhemii de præstantia & usu Numismatum dissert. 6. Nihil enim est tantorum virorum judicio incorruptius. Non tamen ideo putes Ursini quod alter divinum opus, alter aureum dixerit, ita esse numeris omnibus absolutum, nihil ut omnino desiderare in eo possis: Nam bene multos Nummos reliquit intactos, qui sunt difficilioris explicatûs, & quod humanum est, abundavit nonnunquam in suo sensu, contra nonnullorum perspicaciorem intelligentiam: denique quamvis plurimos Nummos, non tamen omnes quos dederat Goltzius, colligere potuit, cum diligentiam ejus effugerint & multi etiam de novo inventi sint.

Carolus Patinus Doctor Medicus Parisiensis, his nostris in studiis felicissimè versatus, cum defecisse sentiret tam utilis libri exemplaria, facturum se credidit rem imprimis gratissimam antiquiorum nummorum studiosis, si velut intermortuum opus aggrederetur, non restituere modo, sed etiam amplificare, additis de suo quamplurimis amicorum & præsertim P. Seguini nummis. Ac licet inter eos non paucos inseruerit, quos potius ad Imperatorum, aut Coloniarum; quam ad Familiarum seriem texendam, annumerari fas esset: debet tamen illi plurimum tota Antiquariorum gens, quod in exsculpendis Ursini nummis, novisque quos adjunxit, diligentiorem longe operam adhibuit. Jam quid ego novissimus afferam, præ illis

à me

à me laudatis clarissimis Antiquariis, necesse videtur ut breviter doceam, ne actum agere videar.

I. Facile erit cuivis agnoscere, & sane cum non mediocri voluptate, quam multos ego Nummos afferam, quibus collectum ab Antecessoribus meis Thesaurum locupletavi. Neque porro commisi semper, quod in Patino censui aliquoties accusandum, ut sine delectu eos admiscerem, qui ad Familias Romanas non pertinerent. Quare si quos reperias qui nihilominus eo in numero non videantur reponendi, scias velim aut Græcos esse, eosque perraros, ac ferme omnes sine Imperatorum effigie, qua parte certissime ad Antiquas suas familias revocari à nobis debuere.

II. Non ignoro in contexenda Nummorum Imperialium serie, nefas esse commisceri varia metalla, diversosque modulos: sed suam Aureis, suam Argenteis, suam Æreis, suam majori formæ, suam esse debere seriem: At in Familiarum collocandis Nummis alia omnino est ratio. Nihil enim notat aut metallo metallum, aut minori modulo majorem permisceri. Tantum admoneo ne inter Aureos Argenteosque Nummos Ærei reponantur, nisi qui ad eorum modulum proxime pertineant, iisdemque forulis componi commode possint. Inde fiet ut soli excludantur Ærei qui maximi aut majoris moduli sunt, quibus ut in Regio Cimelio me autore factum est, suæ erunt privatæ capsæ. Sunt porro ejus molis non ita multi è quibus majores plerique Jovis aut Jani caput repræsentant. Maximi verò quotquot sunt, Imperante jam Augusto cusi, possunt non immeritò, in Imperatoria serie suum locum tenere.

III. Tria potissimum in singulis nummis explicanda mihi proposui, quis, quid, cur. Id est nomen Familiæ cujus est Nummus: typum Anticæ & Posticæ partis: causam seu occasionem talis cudendi typi, talibus cum insignibus. Quoties autem eidem Nummo plura diversarum Familiarum nomina, inscripta sunt, per me licet, ut qui plures consimiles possidet, eumdem singulis in Familiis iterato collocet. Non me fugit quantum sit in dignoscendis capitibus difficultatis, præsertim cum nullis certis symbolis distinguntur: Palmam verò me ferre nemo negaverit, si feliciter ubique causam attigero, cur nummus tali forma signatus sit, tali quæ figura. Sic enim omnes intelligent, quæ in quavis Familia domi forisque præclarè gesta fuerunt: certum quoque nummi pretium pro eo tempore quo feriri contigit, quod maxime intererat ut sciret populus, cui vendendi emendique tali moneta, necessitas incumberet.

IV.

IV. Quoties pauci admodum occurrunt in certis Familiis Nummi, ſingulos ſuo loco componere, nullius prope negotii fuit. Idque paſſim ſine peccato ubique negligi potuiſſe credidit Urſinus, adeo nihil præter diſtinctionem prænominum attendiſſe videtur, magno ſane temporis laboriſque ſui compendio. Ego verò qui Muſas colo paulò ſeveriores, quique nec tempori parcendum mihi credidi, nec labori: iis etiam in Familiis quæ maxima Nummorum copia abundant, quales ſunt Æmilia, Cornelia, aliæque ſimiles, ordinem ætatis ac temporis, quem Ἱστορικὸν vocant, religiosè mihi obſervandum propoſui: quamvis ſcirem me non hiſtoriam, ſed ſeriem tantum Familiarum ſcribere. Quoties tamen plura prænomina occurrerunt, commodius putavi Ἀλφαβητικῷ uti ordine quam Χρονικῷ.

Igitur ubi aſſignare certo potui quis quem Nummum feriri curaſſet, eumque inter varia prænomina diſcernere; cetera mihi viſa ſunt ſatis in promptu fore. Obſervavi tamen certa quædam ex illis prænominibus ad primogenitos ita pertinere, ut ad fratres natu minores numquam deſcendant, ſed adhæreſcant primariæ ſtirpis ſtolonibus. Habendus igitur eſt pro ſecundo aut tertio genito, qui prænomine paterno non gaudet. Is autem ſi Nummi cudendi fuit autor, id virtuti debet ſuæ quæ partûs legibus non obſtringitur, aut forte neceſſitati naturæ, quæ fato functo primogenito, jus illius in ſecundo genitos ipſo facto derivavit.

V. Exiſtimavi gratum Antiquariis omnibus fore, ſi illius qui feriundi Nummi autor fuit, Magiſtratus omnes quos in Rep. geſſiſſet exactius recenſerem, & ſignarem ſingulos ſuos quemque anno ab Urbe condita. At occurrit ſtatim menti non idem creditum omnibus Romæ conditæ exordium. Cato ſiquidem uno ante Varronem anno ortum illius ſtatuit. Viſa mihi commodior Catonis ſententia vel hoc uno, quod eam Goltzius, Urſinus, Patinuſque amplexi eſſent; ut nihil dicam de Marmoribus Capitolinis, in quibus Triumphorum Epochæ Catonis computo notantur. Verum quùm adverterem ab uno ferme ſæculo pleroſque Rom. hiſtoriæ Scriptores Varroniana uti regula, placuit ut nemini injuria fieret, utramque Æram alteram alteri ſuperpoſitam locis omnibus repræſentare.

VI. Nemo credo negaverit penes Quæſtores ſolos cudendæ monetæ curam fuiſſe, ſeu Provinciales, quorum erat numerare militibus ſtipendia, publicaſque in Provinciis expenſas procurare, ſeu Urbanos quibus erat monetam Plebi Romanæ providere: illa omnis

Romæ apposito nomine signabatur, at dum contigit urgente necessitate eam in Provinciis cudi, sive ex publicorum Vectigalium argento, sive ex hostium quas vocant manubiis, vox Roma tunc non aderat.

Attamen præter Quæstores quos appellavimus, imperandæ monetæ, nominisque sui Nummo insculpendi jus habebant Ædiles tum Curules, tum Plebeii, penes quos edendorum publicorum Ludorum cura erat. Inde factum est, ut eorum jussu frequentius in Nummis appareant Deorum illorum aut Dearum capita, quorum in honorem celebrati Ludi essent. Idem quoque juris fuit Prætoribus Urbanis, post editos Apollinares Ludos. Consules quoque ac Proconsules qui Triumphum egissent, aut Ovassent, cudi monetam imperabant, adepti honoris tesseram, qua Duces suos militesque qui triumphum cohonestassent, veluti donativo remunerarentur. Tribunis verò Plebis nusquam videtur ejusmodi jus concessum fuisse.

Arbitrati sunt plerique, contra id quod diximus, pecuniam publicam creditam fuisse singularibus Magistratibus qui *Curatores denariorum flandorum* dicebantur, quo nomine insignitur quidam de Familia Cornelia. Verum qnùm is ipse in consimili Nummo Quæstor appelletur, eo magis asseri Quæstoriæ dignitati denariorum conflandorum videtur cura. Dices meminisse M. Tullium Ciceronem Triumvirorum Monetalium; adeoque singularem eum Magistratum fuisse. Ego verò libens id concesserim; sed non ante Julii Cæsaris Dictaturam, quo tempore qnùm plures haberet Julius, quod de se in bello Civili benemeritos vellet aliqua mercede compensare illam dignitatem excogitavit, ut quoniam datum sibi esset à Senatu ut imagine sua Nummi notarentur, vocaret velut in tanti honoris partem Triumviros Monetales, qui ex aversa parte nomina sua inscriberent, satis enim id innuisse videtur Suetonius in Julii vita. Quinetiam numerum Triumvirorum auxit idem Cæsar, paulo post quarto addito, ut ad plures gloria pertineret: Eorum è numero fuit Voconius IIII VIR. idemque designatus Quæstor, ut videatur Monetalium dignitas, primus veluti fuisse ad ampliores Magistratus gradus. Non multò post Imperante Augusto, qnùm Æreæ monetæ cudendæ potestas Senatui relicta est, Aureæ verò & Argenteæ cura juris Imperatorii facta est; tum verò utrimque revocato priori numero Triumviri Monetales Senatorii & Imperatorii creati sunt.

VII. Veniendum jam est ad res ipsas, figurasque Nummis ipsis insculptas, in quibus intelligendis gravior est difficultas. Jani bifrontis

capite impressos plerosque Æreos nummos nemo ignorat. Argenteos verò Romæ galeatæ imagine. Successere paulatim in utrisque Deorum Dearumque effigies. Sic enim semisses Jovis caput, ut plurimum repræsentant. Suasit id nimirum Magistratuum varia varios in Deos observantia, quam eâ ex parte testatam voluere. Inde nata posteris nova obscuritas, quùm scilicet nuda Numinum capita sine nomine, certisve symbolis apparent, ut non facile sit divinare quis Deus vel Dea sit præ ceteris.

Laborandum tamen fuit longè amplius in aversa Nummorum parte explananda. Verè enim ejusmodi typi ænigmata dici possunt, quæ sagacissimo & felicissimo Oedipo opus habent. Facem quidem mihi prætulit in plerisque Fulv. Ursinus rerum istarum peritissimus indagator: à quo tamen si nonnunquam discedendum mihi putavi, feliciorem me velim existimari, non peritiorem; quippe qui id debeam pluribus Nummis quos magis integros reperi, unde majus natum est ad eos explicandos subsidium: Qui si tales in manu Fulvii venissent, non autem detriti, fugientibusque litteris ac symbolis, ille profectò propius accessisset ad veritatem, prioresque conjecturas melioribus emendasset.

VIII. Qua occasione, quibusve causis conflati nummi sint, id porro est, in quo se quisque exercere pro sua industria debet. Dixi de singulis quid sentiam, salvo meliori Antiquariorum judicio. Quoties enim de rebus tam longè à nostra ætate, & à nostris moribus dissitis agitur, solisque conjectationibus locus est; quam pronum est labi, & verisimilitudine decipi. Goltzius certè maluit in omnibus abstinere penitus, quam falli. Ursinus, inquam, pluribus nihil dicere sapientius putavit, quam pro certis incerta afferre. Plus sibi licere non existimavit Patinus: Audacior ego nihil omnino intactum mihi relinquendum, ne studiosos rei Antiquariæ veluti frustra hiantes dimitterem. Votum fuit excitare sagaciorum solertiam, ut rebus dubiis pleniorem tandem lucem affunderent, quas ego maligno sub sole aut vidi aut vidisse putavi.

IX. Qui porro fructus è Consularibus quos vocant Nummis colligi queat, paucis nunc accipe. Tam varia quæ occurrunt Familiarum nomina nostris statim obtutibus, simulque memoriæ subjiciunt obliteratam pene gentis illius gloriam, quam tantæ molis fuit condidisse; meminisse autem, tam liquidæ voluptatis. Seriem quippe totam Rom. Historiæ præsentem habet, qui digestas suo ordine Nummorum

rum

rum iſtorum capſulas luſtrat: qui prænomina, nomina, cognomina ſingulorum legunt, ſeu quæ cognationis affinitate, ſeu quæ victoriarum curſu adepti ſunt: qui avos, patres, filios, nepoteſque contemplatur, qui ſtirpis certam originem, vel ex ipſo typo rimatur: qui decora omnia ſeu pace, ſeu bello, ſeu domi, ſeu foris parta recognoſcit, Triumphos, Trophæa, Victorias, Leges, Ludos, Templa tum erecta, tum reſtituta, quæque illuſtria ſunt ejuſmodi ornamenta Familiarum.

Si igitur ſcriptas ab Hiſtoricis Romanorum res geſtas legimus, ſemper cum jucunditate, nec legiſſe ſemel ſatis eſt: ſi nova in dies lux legentibus affulget: quis neget quùm ſub aſpectum veniunt tot inſignia monumenta Nummis conſignata, quæ totidem veluti tabulæ ſunt, in quibus eximia illorum facinora oculis uſurpantur; quis, inquam, neget, non illico inflammanda Eruditorum ſtudia in iis colligendis, in quibus majori compendio, quam in longis Hiſtoricorum narrationibus contemplentur quæcumque florentis tam inclytæ Reipublicæ ſæculis acciderunt. Certe non aliam crediderim fuiſſe Romanis patribus cauſam, cur per plura retro ſæcula iiſdem nummis ſuum ſemper eſſe pretium uſumque voluerint, quam ut continuo curſu perennis inſignium factorum memoria ſervaretur.

Quapropter factum credo à Trajano Imperatore ſapienter, ne obliterarentur unquam fortiter ac præclare à Majoribus geſta, ut ex illis Nummos non paucos ſua ætate reſtituendos curaret: Utinam etiam noſtris temporibus idem fuiſſet Principum ſtudium, neque ſordida Aurificum avaritia; quod in ſua Præfatione dolet Goltzius, ingentem illorum numerum conflaſſet, quos ſi ſuperſtites haberemus; quanta pars fieret ad veritatem hiſtoriæ aſſequendam aut illuſtrandam acceſſio? ſed quid facias illorum cupiditati qui probatiſſimum illius ævi aurum atque argentum, majori ſibi emolumento fore ſentiunt? Intercedat neceſſe eſt Antiquariorum diligentia, qui redimere ſatagant pretioſa illa priſcæ veritatis pignora, unde tanto plus habeant ad conſcribendas Hiſtorias ſubſidii, quod in illis vident & tractant, quæ non niſi legere & audire in libris licet. Doceant enimvero libri qui ſunt Magiſtrorum loco. Nummi certe delectant præterea, diſtinentque jucundius. Haberi nullo negotio libri poſſunt; quanta verò felicitate opus eſt, ut librorum emendatores nummi in manus veniant.

X. Agamus nunc de metallo, ſubjectaque imaginibus materia.

Satis diu ſolo ex ære Romana moneta cuſa eſt. Non quod carerent omnino auro vel argento, utrumque enim afferebant vicini populi, ſed priſco more ſolum æs ſibi ſignandum putabant. Igitur grandioris æris fruſtis redimebant neceſſarias ad victum pecudes, quo putatur factum ut moneta pecunia diceretur: quamvis melius forte ſentiant, qui ab impreſſa pecudis imagine natum id nominis cenſuere. Collecto etiam in maſſam & non ſignato ære uſos fuiſſe Romanos teſtis eſt Livius. Denique cuſi ſunt aſſes librales, hoc eſt 12. unciarum pondo, unde nota aſſis in duodecim æquales partes diviſio. Tales autem an ſuperſint etiamnum multi dicere non auſim: quandoquidem nullos vidiſſe me memini ſupra Trientem, uncias ſcilicet admodum quatuor, ceteris utpote ſua mole incommodis conflatis ſtatim eo tempore, quo monetæ pondus imminutum fuit. Itaque non amplius pecude, ſed hinc Jani facie, inde navi aut rate notati ſunt, adſcripto Romæ nomine, ut Romanam monetam eſſe omnes intelligerent.

Docet Plinius bello Punico primo, aſſem qui libralis erat, revocatum eſſe ad Seſtantarium, id eſt, ad duas uncias, æquali pretio, ſed altero pondere: nimirum quùm obrueretur Reſp. ære alieno, præſens illud remedium occurrit, ut ſcilicet eodem Plinio teſte, ſimul & ſemel ærarium quinque partes lucri fecerat, diſſolvereturque hac arte æs alienum: nam ex uno librali aſſe, ſex aſſes facti ſunt, certo maximo emolumento. Urgente nihilominus magis magiſque temporum neceſſitate, bello Punico ſecundo Seſtantarius iterum ad uncialem imminutus eſt, Fabio Maximo Dictatore, dimidia parte lucri facta, quùm ex aſſe uno, duo aſſes naſcerentur. Mox Lege Papiria unciales ad ſemunciam revocati breviſſimo, ut videtur, tempore, quandoquidem pauciſſimi ejus ponderis inveniuntur, revocatis ſtatim aſſibus ad unciale pondus.

Semiſſes ſimul cum aſſibus cuſos eſſe, in confeſſo eſſe debet, eoſque notatos ea littera s, ut aſſes I. parti anticæ impreſſum caput Jovis Capitolini, poſticæ roſtrum navis. Utilitati quoque ac commoditati publicæ cuſi Trientes, additis quatuor punctis, quæ unciarum quatuor pretium eſſe demonſtrarent: Quadrantes tribus additis punctis, quæ trium unciarum: Sextantes denique additis duobus punctis, quæ duarum unciarum, minime tamen exacto ad antiquam libellam pondere, minutulæ ejuſmodi monetæ impreſſum erat caput Herculis cum leoninis exuviis, aut Mercurii cum petaſo, aut Romæ etiam galeatæ.

XI.

XI. Æreo nummo acceſſit argenteus C. Fabio Pictore & Q. Ogulnio Gallo Coſſ. anno ab V. C. $^{484}_{5}$ dictus denarius qui denis æreis aſſibus æquivaleret, unde x. notatus eſt. Simul cuſi ſunt quinarii notati Q. vel V. dimidia ſcilicet parte. Quinarii deinde in ſeſtertios diviſi, qui eſſent duorum aſſium cum ſemiſſe, notati IIS. uſu verò factum eſt, ut ducta linea duo prima elementa jungerentur HS. Denarii omnes inſigniti fuerunt Romæ galeatæ, averſa parte, Caſtoris & Pollucis decurrentium cum haſtis imagine. Bello Punico ſecundo auctum denarii pretium pluſquam dimidia parte, notata illico acceſſio eſt XVI. incertum quo temporis ſpatio, breviſſimo certe: id enim arguunt illius notæ pauciſſimi Nummi: atque interea militaribus ſtipendiis nihil imminutum eſt. Notat Fulvius denarios argenteos quo graviores ſunt, eo & antiquiores cenſendos eſſe. Ego non uſquequaque verum id effatum comperi, quare unius ponderis fuiſſe omnes arbitror, eos verò qui leviores ſunt, uſu ſolo detritos factos, non eo numero falſos, qui lamina argentea ſuperinducta, intus ærei ſunt, complector; quapropter Nummi ſerrati per aliquod tempus ſunt ſignati.

XII. Aurei denique Nummi cudi cœpere 62. poſt argenteos annis, C. Claudio Nerone & M. Livio Salinatore Coſſ. $^{546}_{7}$ tradit Dio lib. 56. pretium fuiſſe 25. denariorum argenteorum, ſingulos enim ad drachmas 25. revocat. Prodiere ſimul & quinarii aurei, iique ſemper ex auro probatiſſimo: quo factum ut pauciſſimi ad nos pervenerint, & fuſorium foculum evaſerint. Hoc certè plus Mantuanis Ducibus debemus, qui plurimos tantillæ molis nummulos olim collegere. Evaſerunt illi feliciter communem urbis cladem, ſuntque etiamnum in Regio Cimelio, inſignes præ ceteris, habent quippe impreſſam argenteam aquilam Mantuanæ gentis inſigne. Dixere nonnulli oppigneratam Mantuanam Gazam fuiſſe alicui fortè de vicinis Italiæ Principibus, à quo poſtmodum redempti per hujuſce ſupellectilis antiquæ ſtudioſis, tandem Regis Chriſtianiſſimi Theſauro acceſſere.

Porrò diſtinguendis metallis more ſolito, priora elementa adhibui aureis AV argenteis AR. æreis Æ. varios modulos ſignavi numerali nota. Primæ magnitudinis I. cujuſvis demum metalli ſint. Secundæ formæ 2. tertii moduli 3. ne quid morari Lectorem aut turbare poſſet.

Quinêtiam Autorum nomina, ut ſinguli præferrent, curavi ſedu-

 lo.

lo. Goltzianos notavi adjuncto G. Fulvianos adjuncto F. eos autem qui apud utrumque occurrunt adjunctis G. F. Patinianos adjuncto P. quibus autem invenies V. hos scias mea *Vaillant* cura ceteris additos esse. Ut autem sua Goltzio gloria fidesque constet, occurrendum censeo Patini duriori de eo sententiæ, sic enim pronuntiavit Imperatorum Nummorum in præfatione. *Tertiam Fastorum suorum Consularium iis numismatum exemplis implevit, quorum genuinas origines nemo unquam hominum vidit, nemo fortasse unquam videbit.* At ego contra post accuratissimum examen affirmare possum, nullum omnino esse debere suspectæ fidei, quandoquidem tam exactæ ad historicam veritatem consentiunt tum figuræ omnes, tum inscriptiones: nulla ut legitima possit esse de genuina ipsorum origine dubitatio.

XIII. Ceteris meis in libris gratum me facere Curiosis Rei Numismaticæ arbitratus sum, si singulis apponerem, qui rariores haberi deberent, qui obvii ac vulgares. Liberavit me hac cura, certior de Goltzianorum veritate investigatio, quare ne perdam operam, aut Lectoris abutar otio, sufficiat admonuisse semel, raros omnes esse qui sola G. nota inscripti sunt. De Fulvianis quæ dicturus eram, anteoccupavit Cl. Savotus Medicus Parisiensis, in erudito suo de Re veterum Nummaria, commentario. Sunt autem Fulviani numero 758. è quibus vix septem aut octo reperias, qui non asserventur in Regio Cimelio. Patiniani, qui vere Consulares sunt, hique pariter quos ego addidi de novo, pro raris omnino habendi.

Neque tamen est, quod tanta rariorum multitudo, quemquam ab iis colligendis deterrere debeat, aut in desperationem adducere: Non enim eadem est Consularium Nummorum quæ Imperialium ratio, illorum si plures rariores desint, hoc est plura Principum capita, interemptam & imperfectam seriem esse necesse est. Istorum verò etsi multi desint, modo adsint Familiarum omnium nomina, perfecta nihilominus & absoluta series haberi debet: quamvis non negem eo pluris faciendum Cimelium esse quo plures in singulis Familiis Nummi colligi potuerint: imo locupletius habebitur, si novarum denarii in illo sint additi.

XIV. Quo disponendi sint ordine Familiarum Nummi, nihil est quod pluribus dicam, qui enim Fulvio placuit Ἀλφαβητικὸς, omnium sane commodissimus est. Nihil potuisset præterea ejus in libro desiderari, si inter ipsa singularium Familiarum numismata suus cuique servatus ordo fuisset, quod non fecit Fulvius, mea tibi præstabit industria.

duſtria. Quum enim ſingulis explicandis accuratius incubuerim, eos quoque Hiſtorico ordine & habita exacta ratione temporis diſpoſitos reperies.

Verum quia nemo eſt, ne inter Principes quidem ſatis felix, qui ſperare poſſit ſe omnes Nummos aſſecuturum quos ego hinc inde collectos repræſentavi, quibus non erit ſatis magna copia, ut Hiſtoricam ſeriem integram contexere valeant, iis per me licet, ut primo loco Goltzianos, altero Fulvianos, tertio Patinianos, quarto meos collocent; poſtremo denique quos de novo repererint, ſuos. Ex hiſtoriæ porro illorum ſerie, quam exhibui, quicumque illuſtrandam ſibi Hiſtoriam propoſuerint certiſſimis illis priſcorum temporum monumentis, magnum ſibi naſci auxilium experientur, ut firma ex omni parte ſua argumenta conſiſtant.

XV. Scio non unum eſſe omnium qui in nummis colligendis verſantur, ſtudium, aut ſcopum. Alii enim illuſtrandæ, ut diximus, Hiſtoriæ teſtes exinde fideliſſimos quærunt. Alii ſibi ſolis, ſuæque voluptati ſtudent, quam ex vetuſtiſſimorum monumentorum conſpectu & intelligentia capiunt uberrimam. Ego utriſque ut ſerviam multiplicem iſti meo libro Indicem adjunxi. Primus eſt Rerum & Verborum, quo facile quivis ea reperiat, quæ cupit, ſive ad Hiſtoriam, ſive aliò ſpectantia, ea tamen cautione conſulendus ab eo qui hiſtorica quærit, ut intelligat me ſingularia cujuſvis facta non expreſſiſſe, ſed deſignaſſe tantum Familiam, ubi diſtinctius ea omnia inventurus eſt. Alter Index eſt in Numiſmata, quo continentur Typi omnes, ac Figuræ variæ quæ in ſingulis exprimuntur, quid ſcilicet ſignificent, & quibus adumbrandis rebus inſerviant. Tertius continet nomina Familiarum. Quartus cujuſvis de Familia ſeu cognomina, ſeu agnomina, quæ ſubinde memoriæ non occurrunt. Poſtremus eſt Geographicus qui maxime neceſſarius viſus eſt, eo quod frequens ſit in eorum vita quorum explicantur Nummi, Urbium ac Populorum mentio.

Feciſſem etiam libenter pro more, ut in Indice Autorum, quos toto in opere laudavi, quos aut illuſtravi, aut emendavi, ſeu denique quorum ſententiam amplexus ſum; ſed quia metus fuit ne tot repetitæ Familiarum & numerorum notæ tenebras potius, quam lucem affunderent, ſatius credidi ſolum Autorum nomina, quam minus explicata eorum loca proponere; præſertim quùm corrigendis τυπογραφικοῖς Σφάλμασιν præſens adeſſe non valeam. Non ideo tamen probare

poſſum

poſſum quod fecit Patinus, qui Fulvianum Indicem ſatis copioſum noluit repræſentare.

Quo vero caſu aut conſilio factum ſit, ut quùm eodem tempore Goltzius Fulviuſque de eadem re ſcriberent, neuter alterius meminerit. Refert quidem Goltzius Fulvium inter celebres Romæ Antiquarios, quùm ejus librum nondum editum videre potuerit. Fulvius autem ſi Goltzii librum vidit, de illo judicium potius Lectori reliquiſſe quam eum malitioſe conſectari maluit, quod ab omnibus probatum eſt; variæ enim de eadem materia lectiones ſemper jucundæ ſunt, ut nunc prodibunt, ſiquidem vir Cl. Andreas Morellius amiticia dudum mihi conjunctus è Germania nuper ad me ſcripſit ſe de Nummis etiam Conſularibus paratum opus habere.

XVI. Nemo dicat me operam luſiſſe, quùm ſingulorum Nummorum accuratam deſcriptionem appoſui, qui ſolo conſpectu ſe ipſos ſatis explicare videntur. Quis enim neſcit quam facile Chalcographorum incuria contingat, ut malè effingantur Nummi: quam neceſſe ſit quæ ſint appoſita Hominum Deorumve capita aperire, quùm Deque à Goltzio, neque à Fulvio appellentur. Denique quam opportunum ſit obſcuram Figurarum intelligentiam propalatam primo ſtatim obtutu conſpicere.

Scopum me ubique attigiſſe non profitebor jactantius, quid enim proclivius quam in tam lubrico labi? quid tam humanum, quam in denſis adeo tenebris palpare, & habere pro vero, quod tantùm veroſimile ſit? Poſſum tamen polliceri, rarius me meas conjecturas fefelliſſe: vel ſi fefellerunt, non idcirco tamen aut infelices, aut inutiles videri debere: facem enim ſaltem præferent meliora inventuris: quoties verò nemine mihi præeunte, excogitandum mihi fuit aliquid de meo, quod probabilius videretur, atque ad rem ipſam accommodatius: nemo id mihi vitio vertendum putabit, ſi intelligat præſtare mediis in tenebris, dubiam lucem afferre, quam nullam, meque ducem quandoque præbere ceteris, quam timide ſemper præeuntium veſtigia ſectari, ac ſi quopiam loco hæſerint, ibidem quoque velut ad ſcopulum naufragium facere: præſertim, quùm per ignotum iter tendentibus, ſua cuique debeat eſſe libera progreſſio. Tuum erit LECTOR BENEVOLE, ſequi quem credideris tutiorem viæ ducem, aut etiam, ſi videbitur, novam tibi ac commodiorem viam, tua induſtria, ſternere.

Vale.

ABURIA.

ABVRIA.



ACCOLEIA.



ACILIA.



TAB. I.

ACILIA.



AEBVTIA.



I. Goeree fec.

TAB. II.

AELIA



TAB. III.


AEMILIA
M·AIMILI·L·F
BARBVLA·COS
ROMA
PAVLVS
M·AIMIL
ROM
M·AIMILI·M·F.
VARO
ROM
PAVLLVS LEPIDVS
CONCORDIA
TER.
PAVLLVS
ROMA
CLEMENTIA
TAB. IV.

AEMILIA



TAB: V.

AEMILIA.



TAB. VI.


AEMILIA.
LEPIDVS PON·MX·III·VIR·ITER·R·P·C·
P·SEPVLLI
MACER
PAVLLVS LEPIDVS
CONCORDIA
PVTEAL
SCRIBON·
LIBO
AIMILIA
REF.
S·C.
M·LEPIDVS
II·VIR
COL·IVL·
AVG·
REGVLVS
PR·P·
SCAVRVS
M·F·
M·AIMILI·
M·AIMIL·M·F·
SCAVRVS
M·SCAVR·
AED·CVR·
EX
S·C
REX·ARETAS
AED·CVR·
PREIVER
L·BVCA
DIC·III
CAESAR IMP·IIII
CLEMENTIA
L·BVCA
C·CAESAR PAR ENS PATRIAE
EX·S·C·
CAESAR·IM
BVCA
L·AEMILIVS
I·Gosret fec.
TAB. VII.

AEMILIA



AFRANIA



TAB. VIII.

ALBIA



ALFINIA ALLIENA



ANICIA



ANNIA



I. Goeree fec:

TAB. IX.

ANNIA



ANTESTIA







ANTISTIA





TAB. X.


ANTISTIA
CAESAR
REGINUS
ANTIA
RESTIO
DEI PENATES
RES TIO
ANTONIA
M. ANON IMP
CAESAR DIC
ROMA
TAB. XI.


ANTONIA
M·ANTONIVS III·VIR·R·P·C·
M·ANTON·IMP·III·VIR·R·P·C·AVG·
CAESAR·IMP·PONT·III·VIR·R·P·C·
ANTONIVS IMP·
CAESAR IMP·
III·VIR·R·P·C· M·ANTONIVS
P·CLODIVS M·F·
M·ANTONIVS III·VIR·R·P·C·
C·ANTONIVS·M·F·PRO·COS·
PONTIFEX
MACER
CAESAR·IMP·PONT·III·VIR·R·P·C·
TAB. XII.


ANTONIA
ANTONIVS IMP
M·ANTONIVS IMP
CAESAR IMP
ANTONIVS IMP
L·ANTONIVS COS
PIETAS COS
CAESAR
IMP·
LVGV
TAB XIII

ANTONIA



TAB. XIV.


ANTONIA
TAB. XV.

ANTONIA.



TAB. XVI.

ANTONIA.




TAB. XVII.


ANTONIA



TAB. XVIII.


ANTONIA
ANT·AVG·
III·VIR·R·P·C·
LEG XIX
LEG XX
LEG XXI
LEG·XXII
LEG·XXIII
LEG·XXIV
LEG·PRIM·ANTIQVAE·
LEG·XII·ANTIQVAE·
LEG·XVII·CLASSICAE
LEG·XVIII·LYBICAE
LEG·XX·HISPANICAE
ANTONINVS·ET·VERVS·AVG·REST·
LEG·VI·
TAB. XIX

ANTONIA.



APPVLEIA.











APRONIA.



TAB. XX.

APRONIA.



AQVILIA.



TAB. XXI.

I Goeree fec.

AQVILIA.



ARRIA.



ARRVNTIA.



ASINIA.



TAB. XXII.



TAB. XXIII.

I Goeree fec


ATILIA
M·REGVLVS·M·F·
M·ATILI·C
ROMA
C·ATIL·REGVL·
ROM
ROMA
XXXXIIX
M·ATILM·F·M·N
REGVL
R·M
REG·
C·AIL·
XVI
L·AILI·
ROMA
SARN·
M·ATIL
ROMA
SAR·
ROMA
C·AL·
ROMA
SAR·
ROMA
SEX·ATIL·M·F·SERRA
C·MNCIN·A·F·
C·ATIL·M·F·SERRAN·
EX S·C
TAB. XXIV.

I: Goeree fec.

ATTEIA.



AVFIDIA.



AVRELIA.



TAB. XXV.

I. Goeree fec:

AVRELIA.



AVTRONIA.



AXSIA.



TAB. XXVI.

J. Goeree fec.

AXSIA.



BAEBIA.



BETILIENA.



CAECILIA.



TAB. XXVII.


CAECILIA
METELLVS
ROMA
M·SALINATOR
ROMA
ROMA
ROMA
ROMA
EX S·C·
Q·MEEL
MCEDONIC
Q·METEL
BALEARIC
EX S·C·
Q·METEL·Q·F·
FIDES
BALEARICVS
Q·METEL·Q·F·
ROMA
METELLVS
ROMA
ROMA
TAB. XXVIII.


CAECILIA
15
F. Æ. I.
ROMA
METELLVS
17
G. Æ. I.
M·CAECILI Q·F
Q·N
CN·MANLIVS
CN·F· MXIM·
18
G. N. I.
CARRIVS
C·METEL·Q·F·
19
G. Æ. 2.
C·METEL
CAPRAR
ROMA
CXXXIII
EX S C
20
G. Æ. I.
METEL CAVVS
L·CAECIL·Q·F
L·N
DELMATICVS
21
G. Æ. I.
L·METELL
EX S C
22
G. Æ. I.
Q·METELL
NVMIDICVS
PR·COS
23
G. Æ. I.
Q·METELL·
NEPOS
EX S C
ROMA
24
F. Æ. I.
METELLVS
25
G. Æ. I.
Q·METEL·PIVS
ROMA
S
26
P. Æ. 2.
Q · M
ET
PIVS
ROMA
27
G·F·Æ·I·
Q·C·M·P·I
TAB: XXIX.


CAECILIA
IMPER
Q·METEL
PIVS
SCIPIO
IMP
F.Æ.I.
G.F.Æ.I.
SCIPIO·IMP·
Q·METEL
LEG·F·C·
EPPIVS
SCIP·IMP·
METEL·PIVS
LEG·PRO·PR
P·CRASSVS·IVNI
CRASS·IVNI
SCIP·IMP
Q·METEL·PIVS
SCIPIO·IMP·
METEL·PIVS
M·METELLVS
ROMA
V.Æ.I.
F.Æ.I.
CELER
CRASS
Q·METEL
ROMA
G.Æ.I.
ROMA
CRETICVS
Q·METELLVS
TAB. XXX.

CAECILIA.



CAECINA.



CAEDICIA. CAESIA.




CALIDIA.



TAB: XXXI.

I: Goeree fec:

CALPVRNIA



TAB: XXXII.

I Goeree fec.

CALPVRNIA.



TAB. XXXIII.

I. Lecerce fec.

CALPVRNIA



CALVISIA



CANIDIA



TAB. XXXIV

CANINIA



CARISIA



TAB. XXXV

CARISIA



TAB. XXXVI

CARVILIA.



CASSIA.



TAB. XXXVII.

I. Goeree fec:


CASSIA
C·CASSI
ROMA
L·CASSI·C·F
Q·CASSIVS
CÆICIAN
L·CASSI
Q·CASSIVS
VEST
A·C
IMP·CAES·TRAIAN·AVG·GER·DAC·P·P·REST
LIBERT
M·SERVILIVS
LEG
C·CASSI·IMP
LEIBERTAS
LENTVLVS
SPINT
C·CASSI
IMP
TAB XXXVIII

CASSIA



CESTIA.



CICEREIA.



CIPIA.



CLAVDIA.




TAB: XXXIX.

I. Goeree fec.

CLAVDIA



TAB XL.



CLAVDIA




TAB. XLI


CLAVDIA
ROMA
M·MARCELL
FLACCVS
ROMA
M·CLAVDI·M·F·
CN·SERVILI
GEMINVS
MARCELLVS
MARCELLINVS
EX·SC
M·LEVIVS
AED·CVR
TAB.XLII

CLAVDIA



CLOVIA



CLOVLIA



TAB.XLIII

COCCEIA.



COELIA



TAB.XLIV

CONSIDIA



COPONIA



CORDIA



TAB.XLV

CORNELIA.



TAB.XLVI

CORNELIA

TAB. XLVII.

I. Coerso fec.


CORNELIA.
M·CETEGVS
EX S·C·
CETEGO
IIIVIR
Q·POP·SECVNDINO
L·LENTVLVS
L·F·L·N·
CN·LENTV
CN·LE NTVL
ROMA
CN·LENT
CN·LEN·
CN·LENTVL
CN·LENTVL
G·P·R·
CN·LEN·Q·
G·P·R·
LENCV R·M·F·L·
TAB.XLVIII.

CORNELIA.



TAB XLIX.

CORNELIA.



TAB. L.

CORNELIA



TAB.LI

CORNELLIA



TAB. LII

CORNELIA



CORNVFICIA



TAB.LIII

COSCONIA.



COSSVTIA





CREPERIA



CREPVSIA





TAB.LIV.

CRITONIA





CVPIENNIA



CVRIATIA







CVRTIA



TAB. LV.


CVRTIA
CN·DOMI
FÆI
Q·CVRTI
M·SILA
CN·DOMI
PÆI
Q·CVRT
SILAN
VÆL
C·CVRT
ROMA·FVIT
CÆSAR
AVG
JOVI
TAB.LVI

DIDIA.





DOMITIA









TAB. LVII.


DOMITIA.
VESTA
SCARI.
L.LIC CN DOM.
AHENOBARB
SC
OB
CIVIS
SERVATOS.
TAB. LVIII.

DOMITIA.





DVILIA





DVRMIA





TAB. LIX.

DURMIA.





EGNATIA





EGNATVLEIA



EPPIA



TAB. IX.


FABIA
LICINVS
ROMA
AEMILIAN.
TAB. LXI.


FABIA.



TAB. LXII.



FABRICIA



FABRINIA







FANNIA



FARSVLEIA



TAB LXIII

FLAMINIA









FLAVIA





TAB. LXIV


FONTEIA
FVRIA
TAB. LXV.

FULVIA.



TAB. LXVI.

FULVIA





FUNDANIA



FURIA




TAB. LXVII.

FVRIA



FVRNIA GABINIA



GALLIA



TAB. LXVIII.

GELLIA



HATERIA



HELVIA



HERENNIA



HIRTIA



TAB.LXIX.

HORATIA



HORTENSIA



HOSIDIA



HOSTILIA








TAB. LXX.

HOSTILIA



ITIA



IVLIA











TAB. LXXI.



IVLIA
CAESAR
V·Æ·I
CAESAR
P·Æ·I
CAESAR IMP
CAESAR
F·Æ·I
CAESAR
IMP·ITER
CAE SAR
P·Æ·I
CAE SAR
CAE SAR
C·CAESAR
PRO·COS
COS. TERT.
DICT. ITER
F·Æ·I
AVGVR
PONT·MAX·
C·CAESAR
COS·TER·
A·HIRTIVS PR·
Fecit
TAB. LXXII.


IVLIA
AVGVR·PON·MAX
COS QVAR·DIC·
QVAR·
COS QVINC
PONT MAX
AEGYPTO
CAPTA
LAEMI
LIVS
CAESAR IMP
CAESAR
PRAEF

T.A.B. LXXIII.

IVLIA

TAB. LXXIV.

IVLIA



TAB. LXXV.


IVLIA
L·MVNT·PLNCVS
PRAEF·VRB·
CAESAR III VIR R P C
CÆSAR DIC PER
DIVO IVL
DIVVS IVLIVS
DIVVS IVLIVS
IMP CAESAR
DIVI F
IMP CAES
DIVI F
CAESAR AVGVSTVS
IVLI·II·VIR·
IMP·CAESAR
TAB. LXXVI.


IVLIA
C·V·I
C·E·I
L·IV·LIB
ROMA
C·R·I
LIVI·LIB
ROMA
F·R·I
L·IVLI BVRSIO
IVNIA
BRVTVS
F·R·I
AHALA
L·BRVTI
PRIM·COS
V·A·I
F·R·I
LIBERTAS
BRVTVS
V·R·I
BRVTVS
C·IVNI
P·E·S
ROMA
F·R·I
C·IVNI·C·F
ROMA
C·F·R·I
M·IVNI
ROMA
HONORIS
C·R·I
M·IVNI·M·F
BRVTVS
ROM
TAB. LXXVI.


IVNIA
EX·SC
D·IVNI·M·F·
BRVTVS
D·IVNI·D·F·
BRVT·IMP·
EID·MR·
LIBERTAS
P.
R·
RESTIT·
Q·CAEPIO BRVTVS PRO·COS
L·SESTI·
PRO·Q·
LIBERTAS
CAEPIO BRVTVS PRO·COS
BRVT·IMP·
BRVTVS
LENTVLVS SPINT·
PRO·Q·
L·CESTI·
Q·CAEPIO BRVTVS PRO·COS·
Q·CAEPIO BRVTVS PRO·COS
L·CEST·
PRO·Q·
LEG·
COSTA
BRVTVS
IMP·
TAB LXXVII

IVNIA



TAB. LXXIX.

IVNIA

TAB. LXXX.

IVNIA





LAELIA





LAETORIA



LICINIA



TAB. LXXXI.

LICINIA

TAB. LXXXII.


LICINIA
SER GALBA IMP CAES AVG
MOVKIA
NOY AN
CRAS
CRAS
ROMA
C·LICINIVS
P·F·GETA
FIDES
L·LVCV
EX SC
ROMA
PR·COS
LVCVLVS
ROM
L·LICINIVS
LICINIVS L F
MACER
L MRENA
ROMA
MRENA
ROMA
MRENA
ROMA
ROMA
MVRENA
L·LICINI·P·F·
TAB LXXXIII.

LICINIA



TAB·LXXXIV.

LIVIA











LIVINEIA





TAB. LXXXV

LIVINEIA



LOLLIA



TAB. LXXXVI.

LOLLIA







LVCILIA



LVCRETIA





TAB. LXXXVII.

LVCRETIA



LVRIA





LVTATIA







TAB. LXXXVIII.


MAECILIA



MAENIA ceu MAINIA







MAMILIA





TAB. LXXXIX.

MAMILIA



MANILIA



MANLIA









TAB. XC.

MANLIA

MARCIA

TAB. XCI.


MARCIA
C·CENSORI
C·CENSOR
OB
CIVIS
SERVATOS
S·C
AVGVSTVS
TRIBVNIC
POTEST
FIGVL
C·MRCI
ROM
C·MARCI·C·F·Q·N
EX·S·C
FIGVLVS
FIGVLVS
C·MRCIVS
AED·CVR
LIBO
Q·MRC
ROMA
Q·MRC
LIBO
Q·MRC
LIBO
ROMA
Q·PILIPVS
ROMA
PILIPPVS
Q·MRCI·L·F
TAB. XCII.


MARCI
VESTA
L·MARCI Q·F·Q·N PHILIPPVS
CN·DOMIT·CN·F
L·PHILIPPVS
ROMA
L·PHILIPPVS
ROMA
ANCVS
PHILIPPVS
AQVA MR
L·PHILIPPVS
Q·MRC REX
M·MRC·
ROMA
ROMA
MARIA
C·MARIVS C·F·
TAB. XCIII.

MARIA



TAB. XCIV.

MARIA



MEMMIA









MESCINIA



TAB XCV.

MESCINIA





METTIA





MINATIA





TAB. XCVI.

MINVCIA



TAB·XCVII·

MINVCIA



MVCIA





MVMMIA





MVNATIA



TAB. XCVIII.

MVNATIA





MVSSIDIA









TAB. XCIX.

MVSSIDIA



NAEVIA



TAB. C.

NAEVIA





NASIDIA









NERIA





NONIA














NORBANA









TAB. CI.



NORBANA





NVMITORIA





NVMOMIA



TAB. CII.

OCTAVIA





OGVLNIA





OPEIMIA





Tab. CIII.


OPEIMIA
L·OPEIM
ROMA
M·OPEIMI
ROMA
OPPIA
Q·OPPIVS
PR.
M·OPPIVS CAPITO PROPR.
M·OPPIVS CAPITO PROPR
M·OPPIVS CAPITO PROPR PRAEF·CL
M·OPPIVS CAPITO PRAEF·CL
M·OPPIVS CAPITO PROPR PRAEF·CL

TAB. CIV.

PAPIA



PAPIRIA



TAB. CV.


PAPIRIA
COS.
CARBO
M·CARBO
ROMA
CARB
ROMA
ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ
ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ
ΝΙΚΑΙΕΩΝ
ΒΚΣ
ΡΩΜΗ
ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ
ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ
DIVI·F.
IVNONI
Q·Q·PAPIR·CAR
TVRD.
ROMA
TVRD.
ROMA
TAB. CVI.

PAPIRIA.



PEDANIA.



PEDIA.



PERPERNA.





PETILLIA.



J. Mulder *fec*

TAB. CVII.

PETILLIA



3 F.R.I.



PETRONIA



1 F.R.I.





2 F.R.I.





3 F.A.R.I.





4 F.A.R.I.





5 F.A.R.I.





6 F.A.R.I.





7 F.A.R.I.





8 F.A.R.I.





9 F.A.R.I.





10 F.A.R.I.



J. Mulder fec.

TAB. CVIII

PETRONIA



PINARIA



TAB. CIX.

PLAETORIA

PLANCIA

J. Mulder fc.

TAB: CX.




PLAUTIA
TAB. CXI.

POBLICIA



POMPEIA



TAB. CXII.


POMPEIA
CN·POMPEIUS Q·F·
ROMA
SEX·POM·
POMP·
ROMA
STRABO
CN·POMPEIUS
SEX·F·CN·N·
STRABO
CN·POMPEI
ROMA
CN·MAGNUS·IMP·
IMP·
CN·MAGN·
M·MINAT
SABIN·
MAGN·PRO
COS·
MAGN·
PRO COS·
ROMA
CN·MAG·IMP·
PRÆF
CLAS·ET·ORÆ
MRIT·EX·S·C·
TAB.CXIII.

POMPEIA



POMPONIA



TAB CXIV

POMPONIA

TAB. CXV.

POMPONIA



PONTINIA




POPILLIA



TAB. CXVI.

POPILLIA



POPPAEA



PORCIA



TAB. CXVII.

PORCIA



POSTVMIA



TAB. CXVIII.

POSTVMIA



TAB. CXIX.

PROCILIA



PROCVLEIA



PVPIA







QVINCTIA



TAB. CXX.

QVINCTIA

QVINCTILIA

TAB. CXXI.

QVINCTILIA.



RABIRIA RENIA



ROSCIA RVBELLIA



RVBRIA







TAB. CXXII.

RVBRIA.



RVPILIA



RVSTIA



RVTILIA



SALVIA



TAB. CXXIII.

SANQVINIA



SATRIENA



SAVFEIA



SCRIBONIA



TAB. CXXIV.

SCRIBONIA



SEMPRONIA.



TAB. CXXV.

SEMPRONIA.



TAB. CXXVI.


SEMPRONIA.
CONCORDIA
TI·SEM·C·F LONGVS
PITIO
L·SEMP.
ROMA
L·SEMP.
ROM
L·SEMP
ROMA
P·SEMPRON.
P·SEMP·P·F·
TVDITAN.
M·SEMPRON.
M·SEMPRONI·C·F· TVDITAN.
P·SEMP·C·F
TVDITN.
ROMA
TVDITAN.
C·SEMPRONI·
C·F·CN·
TAB.CXXVII.

SENTIA.




SEPVLLIA



TAB.CXXVIII.

SEPVLLIA.



SERGIA



SERVILIA



TAB. CXXIX.

SERVILIA



TAB.CXXX.

SERVILIA



SESTIA



SEXTIA




TAB.CXXXI.

SICINIA



SILIA









SOSIA



TAB. CXXXII

SOSIA





SPVRILIA





STATIA





STATILIA.

































TAB.CXXXIII.

SVILLIA.



SVLPICIA



TAB.CXXXIV.


SVLPICIA
ROMA
P·GALB
AE
CVR
S·C
DIVI·F
HISPANIA
SER·GALBA·IMP
GALLIA
SER·GALBA·IMP
VIRTVS
SER·GALBA·IMP
ROMA
CAESAR
AVGVSTVS
CAESAR
PLATORIN
QVIRINVS
EX
S·C
M·RIBV·IMP

TAB. CXXXV.

SVLPICIA.






TARIA



TARQVITIA





TERENTIA



TAB. CXXXVI.

TERENTIA



THORIA



TAB. CXXXVII.

TITIA



TITINIA



TITVRIA



TAB. CXXXVIII.

TITVRIA.



TREBANIA.



TREBONIA



TVLLIA



TAB. CXXXIX.

TVLLIA





VALERIA









TAB. CXL.


VALERIA
TAB. CXLI.


VALERIA.
TAB. CXLII.



VALERIA.



VALGIA



VARGVNTEIA



VARIA



TAB. CXLIII.


VATINIA



VENTIDIA




VERGINIA





VETTIA



VETVRIA



TAB. CXLIV.

VETVRIA



VIBIA



TAB. CXLV.

VIBIA.



TAB. CXLVI.

VIBIA



VILLIA



VINICIA







VIPSANIA



TAB. CXLVII.

VIPSANIA

VISELLIA

TAB. CXLVIII.

VITELLIA



VMMIDIA



VOCONIA



VOLCATIA



VOLTEIA



TAB. CXLIX.

VOLTEIA



VOLVSIA



INCERTA
VRSINI









TAB. CL.

INCERTA
VRSINI



INCERTA
[illegible]



TAB. CLI.


INCERTA
PATINI
ROMA
ROMA
VAILLANT
ROMA
TAB. CLII.



A B U R I A.

ABURIÆ gentis, ut opinor, plebeiæ, unus (quod ſciam) *Livius* facit mentionem, *lib.* 41. *&* 42. inquit *Urſinus*, ſed in multis illius exemplaribus AMBURIUS malè legitur. Gentile nomen ab aburendo voce vetuſta deductum videtur, ut GEMINUS cognomen, quod uno partu cum fratre editus ſit Marcus & Caius, qui ambo variis temporibus Tribuni Plebis fuere.

I.

Primus Tabellæ denarius exhibet Romæ caput cum voce GE*minus*, in cujus averſa parte Sol capite radiato in quadrigis, d. flagrum, ſ. equorum habenas, cum epigraphe M. ABURI*us* ROMA. argenteus eſt.

Ad Marcum Aburium ſpectat nummus, qui apud *Livium* Tribunus plebis anno, U. C. 560. ſe Fulvii triumpho de Ætolis & Cephalenia, Æmilii Conſulis nomine oppoſuit, ſed tandem Tib. Sempronii collegæ victus oratione, ceſſit. Is etiam Prætor inter cives & peregrinos juriſdictionem ſortitus, an. 577. obtinuit. Solis ſymbolo capite radiato à poſtica parte in quadrigis ſignato cum flagro, ad gentile ſuum nomen, ab aburendo deductum, Aburius alludere videtur.

II.

Secundus denarius idem Romæ caput galeatum, cum ſimili voce GE*minus*. In averſa Mars in quadrigis, d. trophæum, ſ. haſtam, cum epigraphe. C. ABURIUS ROMA.

Nummus hic argenteus Caii est Aburii fratris, ut opinamur, superioris, ut indicat Gemini cognomen. Hunc *Pighius*, *Annal. lib.* 10. inter Plebis Tribunos anni U.C. 568. duobus annis seriùs quàm fratre recenset. *Livius* eum P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. an. U. C. 588. Legatum ad Massinissam & Carthaginienses missum narrat lib. 42. In eam rem Legati ad Massinissam Carthaginiensesque missi L. Postumius Albinus, P. Terentius Culeo, C. Aburius &c. Quadriga in postica parte, nummi argentei nota fuit, ut tradit Plinius lib. 33. cap. 3. Nota, inquit, argentei fuere bigæ atque quadrigæ, & deinde bigati, quadrigatíque dicti. In istis autem Deum quem præcipuo honore colebant, exhibere soliti, ut C. Aburius hîc Martem signare videtur, sicut M. Aburius frater Solem ad gentile nomen alludens, cuderat, sed Martem etiam ad gentilitium ipsius nomen etiam spectare existimat *Pighius lib. Annal.* 10.

III.

Caput Mercurii petaso seu galero alis ornato insigne, supra collum caduceus, cum duabus notis versus ambitum. In aversa prora navis cum duabus itidem notis & litteris, C. ABURius.

Ad Caium Aburium spectat etiam nummulus iste æreus seu primæ formæ, ut indicant duæ illæ notæ in utraque parte signatæ ad indicandum pretium monetæ, quæ sextans erat, id est, sexta pars assis, seu unciæ duæ: Rostrum verò navis, nota erat ærei nummi, ut notat *Plinius lib.* 33. *cap.* 3. Nota æris, inquit, fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera navis, ast usus posteà invaluit, ut pro Jano quisque Deum, quem vellet, cudere posset, ut hîc Mercurium C. Aburius apposuit.

IV.

Caput Herculis pelle leonina amictum, pone quod tres notæ. In postica navis & tres iterùm notæ cum epigraphe, C. ABURI Roma.

Æneus ille nummus paulò grandior superiore, ut indicant notæ utraque in parte signatæ, quòd quarta esset assis pars, quadrans, Ratitus dictus, ad C. Aburium etiam spectat. Ratiti meminit *Pomp. Festus.* Ratitum, inquit, quadrantem dictum putant, quòd in eo & triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse, sed *M. Varro lib.* 4. *de lingua latina*, quadrantem, quòd pro vectura solveretur ab iis, qui ratibus ex Urbe in Aventinum montem, paludibus

tunc

tunc disclusum veherentur, ratitum à Lucilio vocatum scribit. Hujusmodi quadrantes in funere Valerii Poplicolæ collatos fuisse tradunt *Livius lib. 3. & Plutarchus in vita Poplicolæ.*

Hercules in hoc nummo à C. Aburio percussus est, ut in superiore Mercurius, quòd illi dii ex Romanis essent antiquissimi, nam Romulus Mercurium ex Albanis, & ab Arcadibus Herculem receperat, teste *Dione* Halycarnasseo.

V.

Quintus verò nummus caput idem Herculis, sed cum clava humero & tribus notis. In postica parte cum rostro navis & litteris M. ABURius. M. F. id est, *Marci filius*, GEMinus.

Ad Marcum Aburium Marci Aburii filium pertinet hic æreus mediæ formæ nummus, ut testantur hæ notæ M. F. *Marci filius*. Hîc autem à *Pighio lib. 12. Annal.* inter Tribunos plebis anni v.c. 598. adscribitur, & ipsi Propr. Sardiniæ prorogato Imperio an. 604. obtinuisse refert.

De quadrante tertia assis parte, de navis rostro, ut de Hercule in superiori nummo dictum est.



ACCOLEIA.

ACCOLEIA gens, ut arbitratur *Urſinus*, plebeia eſt, cujus nulla extat mentio, niſi in duabus antiquis inſcriptionibus, ubi ſcribitur ACCULEIUS pro ACCOLEIUS, uti antiquitùs Agricula, Poplicula, pro Agricola & Poplicola. *Antoninus Auguſtinus dial.* 4. Accoleiam dictam eſſe ab Accola, vicino, ab accolendo, id eſt, juxta habitando: ut accola Padi, qui juxta Padum habet domum. Lariſcolus autem cognomen, ab abundantia laricis arboris quæ juxta ædes erant.

Caput feminæ cum epigraphe P. ACCOLEIUS LARISCOLUS, in averſa parte, tres Nymphæ, quæ in larices arbores mutari videntur.

P. autem Lariſcolus à Julio Cæſare ſi *Ant. Auguſtino* credimus, civis Romanus, & quidem Triumvir monetalis factus eſt, qui, ut ait *Urſinus*, majores ſuos ex aliquo prope Padum fluvium loco oriundos indicaret, tres illas mulieres quæ in arbores, ut apparet, vertuntur, ex una parte, etſi nobis conjecturæ locus, Clymenes eorum matris caput in anteriore parte, illas verò feminas Phaëthontis ſorores & in larices arbores non autem alnos vel populos, converſas eſſe ſignificare Lariſcolus voluit: in quo veteris alicujus auctoris commentum ſecutus videtur; ut ex iis quæ *Palladius lib.* 12. *cap.* 15. de Larice ſcribit, „ Conjicere poſſumus. „ Reſina, inquit, illa liquida eſt, lachrymæ ſimilis, non recipit „ flammam,quaſi odio proſequatur ob combuſtum Phaëthontem. Apud *Vitruvium* etiam *l.* 2. *cap.* 9. *Plinium lib.* 16. *cap.* 10. Larices pino ſimillimas, nec alibi notas, quàm in Padi ripa: prætereà flammam non recipere, & reſinam habere liquidam mellis Attici colore, ſcriptum legimus.



ACILIA.

ACILIAM gentem plebeiam fuiſſe ſatis conſtat ex veterum Scriptorum autoritate, apud quos corruptè multis locis ATILIA pro ACILIA ſcriptum reperitur. Opinamur autem Acilios à Græco verbo ἀκέομαι, id eſt ſano, quemadmodum Æmilii ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, à feſtivitate, ut *Plutarchus* inquit, gentis nomen traxiſſe.

Ex ea in nummis duo tantùm reperiuntur cognomina, Glabrio nempe & Balbus. Glabriones, dicti ſunt qui corpus glabrum, & pilis nudum habet: Balbi verò, qui vitio linguæ non benè poſſunt exprimere verba, & obſcurè loquuntur hæſitantes.

I.

Primus tabellæ nummus exhibet ab una parte caput Jani bifrontis barbati in averſa illius parte; corona laurea, in cujus medio legitur *Manius* ACILIUS *Quæſtor*.

Nummus ille æreus primæ formæ videtur à Manio Lucii F. Glabrione in Quæſtura ſua percuſſus anno V. C. 540. ubi eam aſſignare videtur *Pighius lib. Annal. 9*. Plurima enim moneta in ære tunc cudebatur ob auri & argenti inopiam, nam ante tres annos poſt pugnam Cannenſem Ti. Minucius Augurinus Trib. Plebis legem nummariam tulit de III Viris menſariis creandis, qui pecuniam publicam curarent, autore *Livio*.

Antiqua moneta Romanorum Janum exhibebat bifrontem, ſed cum roſtro ſeu dimidia navi in averſa parte, quòd dicerent Janum vetuſtum Italiæ Regem monetæ uſum reperiſſe, teſte *Athenæo*, ſed Manius Aburius illum tamquam peculiare numen ſignare videtur. Bifrons pingebatur, quòd exitus veteris & ingreſſus novi anni in Jani eſſet tutela, hinc Janitor cæli fingebatur. Corona in nummi poſtica parte ad Janum ſpectat, quod illum coronarum inventorem veteres exiſtimaverint, id quod Dragon Corcyræus apud *Athenæum* pluribus docet, *lib.* 15. *cap.* 14.

II.

II.

Caput Æſculapii barbatum & laurea inſigne, pone quod nota ſeu littera S. in averſa parte roſtrum navis cum epigraphe M. Acili. Roma, & littera pariter S.

Hunc liceat nobis ſecundum revocare etiam ex ære nummum ad eundem Man. Acilium Lucii F. qui poſt Quæſturam anno tertio Legatus ad Ptolemæum Ægypti Regem miſſus eſt apud *Livium dec.* 3. *lib.* 7. anno v. c. 543. „ Alexandriam ad Ptolemæum „ Cleopatrámque Reges M. Attilius & Man. Acilius legati ad „ commemorandam renovandámque amicitiam miſſi dona tulere. Acilius caput Æſculapii ad indicandam nominis originem, utpote ſanitatis Deum percuſſit.

Rates ſeu navis roſtrum ut ſolitum nummorum ex ære ſymbolum videtur ſignatum. In utraque nummi parte appoſita eſt littera S. id eſt ſemi, ad indicandum monetæ pretium quod arguit ſemilibram quæ ſex uncias primò pendebat, ſed bello Punico primo anno $^{489.}_{90}$ quùm impenſis Reſpublica non ſufficeret, imminui cœpit, & ſextantario pondere, id eſt, duabus unciis cudi, & poſteà Annibale urgente Q. Fabio Max. Dictat. an. $^{536.}_{7}$ unciales facti ſunt, ut probat hic nummus hoc pondere conſtans.

III.

Caput idem Æſculapii laureatum in cujus poſtica parte baculus cui ſerpens involutus & litteræ M. ACILI.

Subdubitat *Urſinus* ad quem Acilium ſpectet hic nummus, ex pondere quidem vetuſtior eſt ſuperiore, ergo ante Punicum primum bellum quo tempore imminutam diximus fuiſſe monetam cuſus eſt, nomen verò Manii præfert, & licèt nulla ſit hujus appellationis apud autores mentio. Acilia gens vetuſtiſſima erat, laudatur enim, C. Menenio, P. Sextio Coss. anno 301. „ lex Acilia apud *Livium dec.* 1. *lib.* 3. his verbis. Admiſcerentúrne plebeii controverſia aliquamdiu fuit. Poſtremò conceſſum „ patribus; modò ne LEX ACILIA de Aventino, aliæque ſacratæ leges abrogarentur.

De Æſculapii baculo & ſerpente ita ſcribit *Julius Hyginus* in Ophiucho: „ Quùm Æſculapius Glaucum ſanare cogeretur, incluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, quùm quid „ age-

„ ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus arrepſiſſe: „ quem Æſculapius mente commotus interfecit, bacillo fugien- „ tem feriens ſæpiùs. Poſteà fertur alter anguis eò veniſſe, „ ore ferens herbam, & in caput ejus impoſuiſſe, quo facto „ fugiſſe. Quare Æſculapium uſum eſſe herba eadem, Glau- „ cum revixiſſe: itaque anguis in tutela Æſculapii eſſe dicitur.

IV.

Caput Herculis pelle leonina amictum, pone quod tres notæ in averſa parte rates & litteræ, M. ACILI. ROMA.

Quartum ex ære denarium, quadrantem eſſe denotant tres illæ notæ in utraque ejus parte ſignatæ, & pro quo quatuor uncias haberi, quæ quarta pars eſſet aſſis, ſed tunc non ejuſdem ponderis, quippe hic nummus unius tantùm eſt, & à Manio Acilio quodam ante Punicum bellum Romæ quidem percuſſus, ut arguit vox ROMA quùm ſuperior, extra urbem ſignatus videatur.

V.

Caput Romæ galeatum ante quod vox GLABRIO, & pone illud ROMA. In averſa parte vir togatus in quadrigis, d. equorum habenas, ſ. Scipionem eburneum in cujus apice aquila, victoria per aëra volitans ipſi coronam porrigit, in uno M. ACILIUS.

Quintus hic argenteus nummus ob Manii Acilii Glabrionis triumphum exhibet de Rege Antiocho cognomine Magno, & Ætolis anno v. c. 563. de quo *Livius* inquit, magno conſenſu decretus eſt triumphus, íſque triumphans de Rege Antiocho & Ætolis urbem eſt invectus, ob hanc victoriam Glabrio voti compos ædem Pietatis Romæ in Foro Olitorio extruxit, quam poſteà filius ejus Man. Acilius Glabrio II vir dedicavit & in eadem, anteà nec Romæ nec ulla in parte Italiæ viſam inmauratam Statuam patris equeſtrem primus poſuit, qui etiam hunc nummum argenteum in ejus honorem percuſſiſſe videtur.

VI.

Caput Romæ galeatum in circulo circa quem M. ACILIUS M. F. in averſa Jupiter Feretrius nudus in quadrigis, d. fulmen, ſ. trophæum.

Sextus

Sextus ille denarius ad Manium Acilium Manii filium Glabrionem ſpectat, ut ipſa epigraphe arguit, licèt dubitarit *Urſinus* ex Apicis defectu in littera M. quæ ſic Marcum deſignat, ex quo prænomine nullus extitit Acilius, ſed illi Manii dicti ſunt, in quo inquit, ſi erratum qui monetam cudit, ut plerumque fit, poſſet denarius hujuſmodi ad M. ACILIUM GLABRIONEM referri, qui an. $\frac{563.}{4}$ de Ætolis triumphavit, ſed ille Manius filius erat Lucii, qui Tribunus Plebis fuit anno $\frac{525.}{6}$ apud *Livium*, & hic Manius Manii qui Antiochum devicit, filius appellatur.

Ut Manium Manii Acilii Glabrionis filium ſuperiorem nummum in Triumphi patris memoriam cudiſſe diximus, ſic ipſum in hanc rem ſignavit, pro patris imagine in quadrigis ſupra poſuit, in hoc Jovis Feretrii ſignum exhibet, quod pater ejus, qui de Antiocho Rege triumphaverat, ejus veſtem magnificam in templo Jovis, tamquam opimum ſpolium tuliſſet.

VII.

Caput muliebre laureatum Salutis; in poſtica tripus, ſupra quem vas diotum, hinc & inde ſtella, cum epigraphe M. ACIL. M. F. C. N. GLABRIO.

Manius Glabrio ſe Manii, qui ſcilicet de Antiocho triumphavit, filium in ſuperiore denario inſcripſit, in hoc ſe Caii qui ex *Livio* Tribunus plebis, anno $\frac{525.}{6}$ fuit, nepotem appellat. Is verò Tribunus plebis laudatur, anno $\frac{592.}{3}$ imò & Conſul ſuffectus ex *Faſtis Capitolinis* $\frac{599.}{600}$ Poſtumio Conſule in Magiſtratu mortuo.

Salutis caput eſt, ut in ſequente denario planè videbimus, quæ ad indicandam nominis originem Acilii ab ἀκέομαι, quod eſt ſano, ab Acilio ſignatur. Salutis & ejus ædis in Quirinali, meminerunt *Livius lib. 9. & P. Victor in regione VI.* Æſculapii filia credebatur, cujus mentionem facit *Marcianus, lib. 2. Nuptiarum,* harum altera ab *Ariſtophane* Ὑγίεια, altera Ἰασὼ, appellatur in *Pluto.*

Tripus in averſa, ad ſacra ejus deæ ſpectat, illud autem inſtrumentum pedibus conſtabat tribus, ſupra quod ſacra fiebant: ex vaſe autem dioto ſupra tripodem poſito effundebat liquorem qui ſacra agebat. An verò ſtellæ, duas ſorores Hygieam, & Jaſum Æſculapii filias deſignent, juxta *Hippocratem* qui duas tantùm in juramento commemorat? an ad Æſculapium patrem & Coronidem tamquam Sanitatis numina ſpectent?

Aureus

Aureus eſt nummus, quo uti cœperunt Romani C. Claudio Nerone, M. Lucio Salinatore Coſs. ann. $\frac{546.}{7}$ poſt annum 62. quando argenteus percuſſus eſt: illum autem valuiſſe denarios 25. ex *Dione* colligimus, *lib.* 55.

VIII.

Caput idem muliebre laurea ornatum, cum voce SALUTIS, ex altera mulier ſtolata ſtans, d. ſerpentem, ſ. columnæ innixa, cum litteris M. ACILIUS III VIR VALETU*dinis*.

Manius ille Acilius qui ſuperiorem denarium & hunc haud dubiè percuſſit, in quo ſe III virum Valetudinis, id eſt, tuendæ, ut interpretatur *Onuphrius de Civitate Romana*, ubi ait. „ Hujus „ Magiſtratûs nulla apud veteres *Auctores*, quod ſciam, mentio „ eſt. In antiquo verò argenteo nummo ſic ſcriptum eſt, M. ACI„ LIUS III VIR VALETU. Hi noſtra ætate peſtis cauſa creari ſo„ lent, atque Domini ſanitatis vocantur, quibus temporibus „ de morbo ſuſpectis, magna poteſtas concedi ſolet. Nummi „ autem verba, ſic ego interpretor. M. Acilius III vir valetudi„ nis tuendæ. Valetudo autem Dea Romanis erat apud *Mar„ cianum*. Venit ex altera Fortuna, & Valetudo, Favorque, „ Pavore & manibus refutatis. Hæcque ut Sanitas exiſtimatur, „ & Bona Valetudo, cui ſerpens pro ſymbolo ut patri Æſcu„ lapio tribuitur.

IX.

Caput Romæ galeatum intra lauream, cum vocibus BALBUS, ROMA. In averſa quadrigas agit victoria, in quibus figura galeata, ſ. haſtam, in imo M. ACILI.

Duo Aciliorum tantùm cognomina, nempe Glabrionis, de quo diximus, & Balbi, de quo nunc agimus, in nummis reperiri ſuprà obſervavimus. Manius Acilius qui Tribunus plebis fuit anno 544. Lucii F. Kæſonis Nepos Balbus in *Faſtis Capitolinis* inſcribitur, ubi Conſul renunciatur an. $\frac{603.}{4}$ Filius ejus dictus Manii F. Lucii Nepos Tribunus fuit ann. $\frac{628.}{9}$ & tandem Conſul $\frac{630.}{10}$ qui dum Quæſtor eſſet, Triumphi patris ſui memoriam in hoc denario reſtituere voluit.

De Γ. Quinctio Flaminio & de Manio Acilio Balbo coſs. an. $\frac{603.}{4}$ altum eſt ſilentium; de illorum rebus bello geſtis, nihil ferè certi invenitur. Porrò nummus victoriam indicat Acilii Balbi

quùm agat quadrigas in quibus ipſe galeatus vehitur, niſi Martem dixeris, quod confirmat laurea in anteriore nummi parte, triumphantibus conceſſa; nec myrtea eſt, ut refert *Urſinus*, ovantibus tributa, qui non in quadrigis Urbem ingrediebantur, ſed pedibus aut equo vecti, ut quidam volunt, ovantes.

X.

Caput, cui Victoria ante poſita ſtans lauream imponit cum his verbis D. JULIUS CAESAR. In omiſſis ex *Patino* pag. 307. Nos verò ſimilem nummum in Theſauro vidimus, cum epigraphe IMP. CAES. DIVI F. AUGUST. COS. IX. In averſa parte capita Auguſti & Liviæ adverſa, cum inſcriptione M. ACILIUS GLABRIO PROPR.

Auguſti Legatus Proprætore fuit Manius ille Acilius Glabrio, qui nummum cudit, is autem ex forma in Hiſpania ſignatus eſt, Auguſtus verò ex *Dione* in provinciarum eum P. Romano diviſione has habuit, *lib.* 53. *pag.* 503. „ Cæſari autem Hiſpa-
„ niæ quod reliquum erat, ut Tarraconenſis Luſitaniaque; nam
„ Bætica Senatui erat relicta.

Quis fuerit ille Glabrio non facile eſt pronuntiare, ultimus ante Auguſtum Conſul ejus gentis fuit an. 686/7 Manius Acilius, Sulpicio in Achaia provincia ſucceſſiſſe videtur, *Cic. Ep. ad Curium Fam.*
„ 7. de quo ait Acilius, qui in Græciam cum legionibus miſ-
„ ſus eſt, maximo meo beneficio eſt.: bis enim eſt à me judi-
„ cio capitis rebus ſalvis defenſus. Poſt Auguſtum alius conſulatum geſſit cum Trajano ſub Domitiano, ab hoc Imperatore necatus. Audi denique Aciliorum nobilitatem ab *Herodiano*
„ ſub Pertinace laudatam. Simul Glabrionem manu compre-
„ henſum protrahens, ſeſſitare imperatoria ſella jubebat: erat
„ enim ille omnium Patriciorum nobiliſſimus ad Æneam Vene-
„ ris & Anchiſæ filium, ſeriem generis referens, idemque ite-
„ rum Conſul.

ÆBU-



ÆBUTIA.

ÆBUTIÆ gentis frequens mentio apud *T. Livium*. Duobus distincta est cognominibus, nempe Elvæ & Cari, quibus Cornicen ab *Onuphrio* additur cum Elva conjunctum. Elva quidem familia fuit Patricia, illiusque primus gentis Consul fuit an. 254. Plebeia verò, cui cognomen CARUS: nam C. Æbutius Carus dicitur Tribunus iterùm plebis 489. & nulla ampliùs iis dignitas apud Historicos assignatur post Tribunatum plebis C. Æbutii, an. 640.

I.

Caput M. Antonii Triumviri nudum, pone quod CORINT. in aversa, prora navis L. AEBUTIO ....VIR. quam ex integriore restituimus: P. AEBUTIO C. PINNIO II VIR.

Quis ille fuerit P. Æbutius Corinthi Duumvir, an ex gente Elva, an ex Caro? An ex earum liberto quodam, qui quùm deducta est colonia sub Julio Cæsare Corinthus, in hanc urbem transiit. Sex. Æbutius accusavit A. Cæcinam defendente *Cicerone*. Alter M. Æbutius Falcidii affinis laudatur ab *eodem, in oratione pro Flacco*, an alteruter, aut alterutrius filius? cui res Romæ tunc tenuis, in Nobilium ordine illic transmissus est, quod satis probabile videtur, quùm ille Duumvir cum Pinnio, quæ summa est ut Consulis in urbe dignitas, sub Antonio recenseatur.

II.

Caput Augusti nudum, cum Epigraphe AUGUSTUS CORINT. in aversa parte, intra lauream P. AEBUTIO C. JULIO HERAC. II VIR. QUI. ITER. id est, *Duumviris Quinquennalibus iterùm*. *Patinus* alterum exhibet nummum cum capite CORINT. & eadem in aversa parte inscriptione, quem nummum, ex eo quòd detritus sit, malè iterùm M. Antonio tribuit; idem & Augustus, sed sine nomine.

Prodit alter P. Æbutii nummus Corinthi percussus, prior quidem cum Duumviri dignitate, quæ est ut diximus, loco Consulis in coloniis; quùm urbs illa sub Antonii potestate esset, divisione Imperii

perii inter eum & Augusto facta, & totus Oriens post Sicilium mare Antonio cessisset.

Secundus verò nummus, Augusti effigiem cum hoc nomine exhibet, postquam Antonius occupata à Cæsare Alexandria, sibi violentas manus attulisset, & Cæsar Imperium solus obtinuisset, in hoc P. Æbutius *Duumvir Quinquennalis* recensetur, quæ dignitas in Coloniis censoriam Romæ æmulabatur, uti videre in nostro de Coloniis libro, & quidem iterùm, id est, secunda vice, quùm eum jam Magistratum iniisset cum altero Collega, cujus nomen nobis indicabit, si nummus umquam ejus occurrat.

Caput Tiberii laureatum TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUSTUS. In aversa SEX. AEBUTIUS L. LUCRETIUS II VIR. C.C.A. id est Duumviri colonia CAESAR AUGUSTA in area Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Liceat nobis in gentis Æbutiæ primum nummum Tiberii hîc proferre, quia familiarum Romanarum Numismata stante tantùm Rep. Romana, dum ipsæ illa cuderent, nobis *Ursini* exemplo describere proposuimus, illæ autem ad Augusti usque tempora hanc facultatem, sub Triumvirorum cudendæ monetæ titulo, saltem sibi conservarunt, & quidem Romæ: nam Romani illi qui in Colonias sub eo missi sunt, vix nomine suo agnoscuntur, *ut in libro nostro de Coloniis* observare est.

De Sexto Æbutio qui A. Cæcinnam accusavit defendente *Cicerone* suprà diximus, ejus autem filius Cæsaraugustam transiisse potuit, quùm hanc Hispaniæ Tarraconensis urbem nomine Saldubam ad Iberum fluvium fecit coloniam Romanam, & posteà Duumviratum obtinere sub Tiberio qui illi in Imperio successit, cujus multum in nummo hoc æreo secundæ formæ cum Collega suo L. Lucretio percussit.

Aquila legionaria inter duo signa militaria Cæsaraugustam Colonos ex legionum veteranis accepisse nos edocet, at quùm etiam Colonus agens boves alterum Coloniarum symbolum in aliis Cæsaraugustæ nummis reperiatur, cives etiam Romanos cum Veteranis in hanc urbem missos etiam nobis demonstrat, sed dum aliquis Duumvir signa militaria exhibet, eum se ex Veteranorum numero fuisse aut ab illis originem duxisse significat.

ÆLIA.



ÆLIA.

ÆLIA gens plebeia est, Ælii verò iidem sunt ac Allii. Ex *Capitolinis monumentis* dicti sunt Allii, quibus nupsissent duæ sorores, auctore *Eustachio in Iliad. 2. pag. 162. & Cælio l. 15. cap. 24.* Eorum in nummis cognomina sunt Pætus, Catus, Tubero, & Lamia.

Sed alii existimant ab Alliorum cultu Allios fuisse appellatos.

I.

Caput Romæ galeatum: in aversa Castor & Pollux equites decurrunt astris insigniti, C. AL. id est Caius ALLIUS. ROMA.

„ Hic denarius pro incerto ab *Ursino* relinquitur, nec inquit „ ad C. Ailium referendum arbitror, qui anno 457/8 Consul fuit „ cum M. Valerio Potito Maximo, quique primus Pæti co- „ gnomine affectus est, nondum cum argento signato P. Ro- „ manus eo tempore uti cœperat, quo Ailius is Consul fuit, „ sed nonne potuit habere filium aut fratris filium, qui Caius etiam appellatus, hunc denarium viderit, quùm primò signatus sit 484/5 annis quinque ante primum bellum Punicum, quod huic tempori congrueret.

Typus nummi plurimùm redolet antiquitatis, nam, ut ait *Pighius Annal. lib. 6.* „ Argentei verò primùm signati, notæ fuerunt, „ deorum atque in primis Romæ deæ, nec non Heroum in uno „ latere, vel bigæ, vel quadrigæ, vel gemini Castor & Pollux „ in equis decurrentes. Nemo nescit in pugna ad lacum Regillensem commissa duce Postumio Dictatore feliciter eos apparuisse, & victoriæ nuntium tulisse, in cujus beneficii memoriam vota illis est ædes à Postumio, quæ ab ejus filio II viro dedicata est, teste *Dionysio lib. 8.*

II.

Caput Junonis cum litteris BALA C. ex altera Diana Lucifera in curru duorum cervorum d. habenas, s. facem accensam, in imo spica demissa & C. ALLI.

Ad eumdem Caium Allium, aut ejus filium ſpectat ſecundus hic denarius, qui prolongatis deinde nominis ſuis litteris ALLius dicitur; primis enim temporibus Ælia gens, cum pronunciatione aſpera eſt vocata Allia, deinde tenuiore Ailia, & tandem Ælia. Vox BALA ſeu BALARUS, videtur Allii cognomen, etſi mihi conjicere liceat, potiùs quàm nihil afferre, pro Exule appoſitum.

Pauſanias lib. 10. exules à Corſis Balaros eſſe nominatos nar-„ rat. Eos, inquit, patria lingua ſua Balaros Corſi appella-„ runt, quod eodem nomine exules vocant. Allius fortè in inſulam exul miſſus, unde S. C. revocatus eſt, & hoc illi cognomen BALA ſeu Balarus tamquam glorioſum eſt inditum, idquod confirmare videtur littera C. quaſi *Corſicus*.

Junonis eſt caput in parte anteriori, at quùm plures eſſent Romæ Junonis ædes, eam eſſe Junonem Lucinam in averſa parte Ælius ſignificavit, quæ & Diana dicitur & Luna, unde in curru ſuo cum face ardente depingitur, à cervis tracto, quùm in illius eſſent tutela. *Plinius lib.* 16. *c.* 44. Junonem putat Lucinam dici, quod oculis præſit: vocati autem Ælii cognomine etiam Pæti, quia aliquo oculi defectu laborabant; an ideò Ælius in nummo eam ſignaverit, ob cultum in familia peculiarem?

Nobis ſupereſt, ut de ſpica in nummo exarata loquamur, *Urſinus* noſter in gente Cæcilia ſupra nummum in quo legitur AD FRU. EMU. EX SC. id eſt, *ad frumentum emundum ex Senatuſconſulto*, ubi ſunt hinc & inde ſpica. *Spicis* autem, & Cereris Saturnique imaginibus Magiſtratus, qui annonam curabat, in denariis uti conſuevit: ideò fortè littera C. in anteriore parte *Curator* eſt.

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod denarii nota † : in averſa Caſtor & Pollux decurrentes cum haſta, aſtris inſigniti, & epigraphe P. PAETVS ROMA.

P. PÆTUS, qui in tertio tabellæ denario notatus eſt, deſignatur, opinor, is qui Prætor fuit anno 550. deinde Conſul cum Cn. Cornelio Lentulo 552. teſte *Urſino*, meliùs hunc etiam nummum *Goltzius* P. Ælio Pæto tribuerat, quem incidi curavit *pag.* 116. Hic in *Faſtis Capitolinis* inſcribitur Quinti F. Publii N. Pater quidem Quintus Pontifex & Prætor fuit *Livio* teſte, & poſt repulſam conſu-

Conſulatus periit in prælio Cannenſi: Avus autem Publius fuit Tribunus Plebis anno 494/5 & iterùm 497/8 fratrem habuit Sextum Ælium, de quo in nummo ſequente.

Romæ caput in anteriore parte, ſolitum eſt primorum denariorum ſymbolum, ut in poſtica Caſtor & Pollux, de quibus in ſuperiore diximus: aſtris ſunt ſupra caput ornati, quòd inter aſtra relati ſint ex Fabula, & ideò à navigantibus coluntur, quòd quando apparent eorum ſtellæ, tempeſtas ceſſare videatur. Vox autem Roma, quùm in parte anteriore cum deæ galeatæ effigie non eſt exarata, non ad eam denotandam, ſed ad monetam in urbe Roma potiùs ſignatam ſpectare videtur, quia nummi plurimi extra urbem ſint percuſſi.

IV.

Caput Jovis Anxuri laureatum ſine barba, cum epigraphe AED. CUR. EX. S.C. in poſtica Aquila inſiſtens fulmini. SEX. ALLIUS Q. F. CATUS.

Ad Sextum Ælium ſuperioris P. Ælii Pæti, cujus nummum ſumus interpretati, fratrem hîc pertinet, ut diximus; hic cognominatus autem eſt Catus quaſi cautus, quod ob ingenii acumen, atque inſignem juriſprudentiam ipſum obtinuiſſe refert *Cicero Tuſc. Quæſt. lib.* 1. laudans hunc verſum Ennii Poëtæ.

Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Nummi epigraphe nummum indicat ab Ælio Cato percuſſum, quando is fuit Ædilis curulis cum M. Claudio Marcello anno v.
553/4 Marcelli illius quinquies Conſulis, ab Annibale occiſi, filio.

Goltzius nummum protulit ſub ejus Conſulatu, ſed illum non iniit, niſi poſt duos Ædilitatis annos v. c. 555/6 porrò ejus Magiſtratus nullas edidit in nummo notas, quùm ipſius Collega in ſuo, quem ſuo loco videbimus, duas ſpicas in imo ſub biga ſignaverit, ſed Catus tantùm Jovem Anxurum exhibuit, ut depingi ſolet juvenis ſine barba quaſi ἄνευ ξυροῦ, hoc eſt ſine novacula. Unde urbs Italiæ quam nunc *Terracinam* vocant, dicta eſt Anxur, teſte *Servio*, quod ibi hic Jupiter coleretur, de qua *Virgilius Æneid.* 7.

Circeumque jugum, queis Juppiter Anxurus arvis
Præſidet.

Catus

Catus hunc Jovem ſignaſſe videtur, ad originem gentis ſuæ ex hac urbe indicandam.

Aquila Jovis ales inſiſtit fulmini, quod ſemper huic Anxuro Jovi tribuitur, qui quùm ſit imberbis & laureatus pro Apolline ſæpiùs accipi poſſet:

V.

AUGUSTUS TRIBUNIC. POTEST. In corona civica ſeu quercea. ex averſa SEX.AELIUS CATUS III VIR A A. A. F. F. In area S.C. nummus ſecundæ formæ æreus.

Prodit alter Sextus Ælius Catus, etiam Quinti Filius in *Faſtis Capitolinis* appellatus, ſed longè ab Æliis Catis, tempore diſſitus, ex eadem tamen gente, quem nummus Triumvirum monetalem ſub Auguſto fuiſſe denotat; quùm verò Julius Cæſar minorum Magiſtratuum numerum auxiſſet, nam ex Triumviris, quartumviros inſtituerat, illos Auguſtus poſteà ſuos ad Triumviros redegit, ut paſſim in hoc opere videre eſt, ex eorum numero Sextus Ælius Catus fuit, Conſulatum tamen obtinuit cum L. Sentio Saturnino anno v. c. 756/7 quùm ambo Triumviri monetales anteà extitiſſent.

Moneta ærea in diviſione Provinciarum cum Senatu & P. Romano videtur ipſi Senatui conceſſa ab Auguſto, ut hæc nota S. C. ab hoc tempore in omnibus æreis Imperatorum Romanorum nummis uſque ad Gallienum eſt impreſſa. Corona quercea à Senatu „ Auguſto decreta eſt apud *Dionem lib.* 53. Cæſari quùm orationem de ejurando regno, ac dividendis Provinciis habuiſſet, „ multi erant honores delati, nempe ut ante ipſius domum in „ palatio lauri ponerentur, ac ſuper eas coronæ quernæ ſuſ- „ penderentur, nimirum quòd perpetuus hoſtium Victor, ac „ civium eſſet Servator.

VI.

Caput Neptuni laureatum pone quod tridens; in poſtica Neptunus ipſe in quadrigis quatuor equorum marinorum. Q. TUBERO.

Quintus ille Tubero apud *Dionem* Quinti F. indigitatur in ejus conſulatu ſub Auguſto 742/3 cujus pater fuit Quintus ille Tubero Lucii F. Juriſconſultus, qui Q. Ligarium accuſavit apud Cæſarem, defendente

fendente illum Cicerone: At denarius ille videtur esse percussus, dum consulatum gessit Tubero, nam quùm apud *Frontinum de Aquæ ductibus*, sub ejus Consulatu Senatusconsultum fuisset factum de aquarum tutela, & primus fuisset aquarum curator creatus, Tubero huic edicto promulgato alludens, Augustum tamquam alterum Neptunum qui aquis imperaret, in nummo repræsentari curavit.

Tubero Æliæ gentis cognomen à defectu corporis, ut & alia ejusmodi plurima occurrunt in familiis Romanis, videtur inditum pro Gibbo: Primus autem Æliorum qui hoc cognomen tulit, fuisse reperitur L. Ælius apud *Livium* Tribunus Plebis an. V. C. 528. & Prætor 534. Unde Quintus in nummo descriptus originem trahit.

VII.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. In corona ex lauro conflata: ex aversa, SEX. AELIVS LAMIA III VIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

Tuberoni succedit aliud Æliorum cognomen LAMIA, quod à Lamo, qui regnavit Formiis, deductam scribit *Horatius*, *Od.* 17. *lib.* 3.

ÆLI vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos
Autore ab illo ducit originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrim
Latè tyrannus.

„ Sed, inquit *Glandorpius Onom. Rom.* Quis nescit, Poëtas id „ genus assentationibus magnatibus gratificari solere? Nos ut Arvi- „ nas à pinguedine, Nervas à robore, Capellas à capillorum hir- „ sutia dictos accepimus, sic etiam Lamias à voracitate, vel ab „ insigni corporis deformitate nominatos judicamus. Primus verò Æliorum qui cognominatus est Lamia, Tribunus Plebis fuit anno 639.40. & gens Ælia jam pluribus distincta erat cognominibus, nempe Pæti, Cati, & Tuberones dicti erant.

Q. Ælius Lamia, unus ex Triumviris monetalibus sub Augusto fuit, ut indicat ejus nummus secundæ formæ æreus, qui

coronam ex Lauro, quod Augustus perpetuus hostium Victor, ex *Dione, lib.* 53. palàm fuisset appellatus.

VIII.

Q. AELIVS L. F. LAMIA III VIR A. A. A. F. F. In ambitu, in area verò S. C. ex aversa quercea corona hinc & inde rami laurus, & epigraphe OB CIVIS SERVATOS.

Hic æreus tertiæ formæ nummus nobis iterùm exhibet Q. Ælium Lamiam ut in anteriore Triumvirum monetalem, sed eum Lucii filium appellat, qui patrem habuit L. Ælium Lamiam, Clodianis temporibus ob amicitiam quæ ei intercedebat cum *Cicerone* relegatum ab A. Gabinio consule, sed postea ædilitatem $\frac{709.}{10}$ & præturam $\frac{711.}{12}$ obtinuit.

De ramis lauri 8. corona civica ante Augusti domum appositis diximus, nimirum quod perpetuus hostium victor, ac civium esset servator; illa autem dabatur ei qui civem in acie, aut in obsidione, aut in alio periculo conservasset, cujus honos argenteis & aureis coronis excellebat.

IX.

LAMIA SILIVS ANNIVS circa duas dexteras junctas caduceum tenentes: ex aversa III VIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

In hoc minuto nummo æreo Triumvirorum monetalium nomina continentur. Lamia nempe, Silius & Annius. Prior nempe, ob ejus cognomen Æliorum genti tribuitur, quùm jam eum in duobus anterioribus noverimus. Triumviri autem isti à Senatu legebantur postquam ærea moneta ab Augusto concessa est, ut alii qui argenteam & auream signari curabant, ab eo nominabantur, & duæ dexteræ cum caduceo ad indicandam pacem & concordiam Augusti cum Senatu indicandam.

X.

Eadem epigraphe, in area verò Simpulum & lituus, ex aversa III VIR. A. A. A. F. F. in area S. C. ut suprà.

Simpulum & lituus signa sunt Pontificalia, & ad sacra facienda spectant, an Augustalia in honorem Augusti tunc instituta denotent? an quod moneta in templo Junonis asservaretur, unde sacra dicta est? nam plurima in iis minutis æreis nummis exarantur, quæ

ad

ad monetæ officinam pertinent, ut videre eſt in gente Annia & Silia.

XI.

Capita Auguſti & Julii ſociata, ambo ſunt laureati. L. LAMIA L. F. In averſa ſella curulis, in vertice duo aſtra, à dextris capis ſeu vas anſatum, à ſin. lituus, in imo C. CANINI. L. F. GALLVS.

L. Ælius Lamia quem ſuprà diximus Ciceronis amicum fuiſſe & præturam geſſiſſe an. v. c. $^{711.}_{2}$ duos reliquit filios, priorem Q. Ælium Triumvirum monetalem ex nummis ſuperioribus, & hunc L. Ælium, quem *Faſii Conſulares* nos docent Conſulatum iniiſſe cum M. Servilio Gemino $^{755.}_{6}$ ſed nummus ut Triumvir ſacris conquirendis & donis perſequendis, de quibus *Livius lib.* 25. cum C. Caninio Gallo, quo anno ſellam curulem in ſacrario Julii poſita eſt, & ſic ait *Dio lib.* 51. Julii quoque patris ſacrarium multis in eo ſuſpenſis donariis ex præda Ægyptiaca exornavit. Vas & lituus ad Pontificatum Julii maximum ſpectant. Aſtrum Julii eſt in vertice divinitatem denotans, & alterum eſt Veneris, in cujus templo erat illud ſacrarium in utriuſque honorem, nempe Julii & Auguſti ſociata illorum capita cudi curavit Ælius Lamia. De Caninio ejus collega in gente Caninia dicemus infrà.

XII.

Caput Tiberii laureatum, cum epigraphe TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS: in averſa TI. CAESARE V. L. AELIO SEIANO COS. AVGVSTA BILBILIS. corona civica.

Nummus ille ſecundi moduli ita rarus eſt, ut etiam locum in Ælia gente mereatur, quùm ille Sejanus olim Tiberio gratioſus, ſed poſteà odioſus in hanc familiam tranſierit, ille genitus Vulſiniis patre Seio Strabone equite Romano Prætorianarum cohortium Præfecto, & matre Junia, Junii Blæſi ſub Tiberio Proconſulis Africæ, ſorore. Sed à quo Ælio fuerit adoptatus, nullus retulit *Hiſtoricus*, nobis tantùm Ælii nomen, & ejus productum Seiani ſuperſunt.

Nummus quidem Hiſpaniæ cuſus eſt in Municipio Bilbili *Martialis* Poëtæ patria, dum Tiberius Conſulatum V. cum Ælio Seiano gereret, quem tantùm ut per ſpeciem honoris illum à ſe dimitteret, & res novas molientem ſubverteret, acceperat, nam antè Id. Maiis $^{784.}_{3}$ per litteras accuſavit, & capite plectus eſt, idque obſervatum omnes qui Conſulatum iniere, violenta morte periiſſe.



ÆMILIA.

ÆMILIA olim AIMILIA gens Patricia fuit, antiquissima & clarissima, multis dignitatibus domi & militiæ decorata, ita ut inter alias ferè omnes occupaverit Pontificatum maximum, Dictaturas, Principatus, Senatus, Censuras, Consulatus, Magisteria Equitum, Tribunatus militum Consulari potestate & Triumviratum Reipublicæ constituendæ, ut reliquos Magistratus & Sacerdotia prætercam.

Unde dicta sit, alii inquit *Festus Pompeius lib.* 1. à Mamerco Pythagoræ filio descendere volunt; quia primi Æmilii vocati sunt Mamerci. „ Alii ad Ascanium hujus gentis originem re„ ferunt, qui duos habuerit filios, Iulum, à quo Julii Cæ„ sares, & Æmylum, Æmilii generis propagatorem. *Plutarchus in Pauli Æmilii vita* à voce Αἱμυλίας, id est à lepore in dicendo & venustate. Distincta est in plurimas stirpes, Mamercinorum, nempe, qui in nummis non occurrunt, sed Barbularum, Papporum, & Regillorum apud *Goltzium*, Lepidorum, Paullorum, & Scaurorum apud *Ursinum*, additis novis cognomine Bucarum ab utroque.

Inter illos primus post Mamercinos Barbula est, cujus nummus apud *Goltzium* ex illius posteris exhibetur.

I.

Caput Genii Populi Romani & litteræ EX S. C. in aversa curulis sella, hinc & inde securis, cum fascibus, in vertice M. AIMIL. L. F. BARBVLA COS. in imo C. SERVEILI. P. F. AED. CVR.

Marcus ille Æmilius Barbula qui Consul in nummo scribitur, Magistratum suum gessit cum M. Junio Pera anno V. C. 513/4 cujus memoriam expressit in denario C. Servilius Cæpio hoc anno Ædilis curulis qui non modo nomen ejus & dignitatem Consulis in eo apposuit, sed insignia Magistratus exhibuit, nempe sellam curulem, & fasces cum securi, illam quidem eburaeam, in qua jus, ut olim reges Romani: nunc dicebant Consules

ſules; & faſces quas ante ipſos ferebant Lictores duodecim ad plectendos facinoroſos, virgæ autem quùm vitia eſſent ſanabilia quæ his corrigerentur, & ſecures quùm illa eſſent immedicabilia, ipſis amputarentur.

Barbulæ cognomen huic Æmiliorum ſtirpi, à parva barba quam gerebat primus eorum L. Æmilius Barbula Quæſtor militaris apud *Livium* an. 373. inditum videtur.

Amicus exiſtimat non Genii P. Romani, ſed Apollinis caput, ob ludos Apollinares hoc anno à Servilio Cæpione in Ædilitate ſua Senatuſconſulto editos, cujus nota circa dei caput, ſed illos ludos à Prætoribus celebratos ferunt, alii, dijudicent *Eruditi.*

II.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii & voce ROMA, ex averſa victoria agit quadrigas ſin. lauream, in imo L. AIMILI. Q. P. PAPVS, in area XXVIII.

Altera Æmiliæ gentis ſtirps, cui cognomen Pappus prodit, quippe primus illud tulit M. Æmilius Ædilis curulis cum Foſlio Flaccinatore an. v. c. $\frac{528}{9}$. Unde verò Æmiliis Papporum cognomen inoleverit, *Grammatici* non tradunt. Veriſimile eſt ab ætatis veneratione inditum eſſe: Pappum enim *Latini* avum vocant. Vel ab inſigni lenitate, quod Pappi carduorum flores, decuſſi, veluti flocci per aërem volitant, unde *Lucretius* Pappos volantes appellat.

Veſtem, nec plumas avium, Papoſque volantes.

Lucius autem Æmilius Q. filius L. Nepos Pappus, qui denarium cudit, conſul fuit cum C. Atilio Regulo an. $\frac{528}{9}$. & ob victoriam inſignem, quam non procul Telamone in Etruria contra Gallos reportavit, ubi collega interfectus fuit, de illis III Nona triumphum egit, in cujus memoriam victoria quadrigas agens cum laurea in manu, ille Romæ ſignatus eſt, in anteriore cujus parte galeata exhibetur.

III.

Caput Romæ galeatum, ante quod vox PAVLLVS, & pone illud S. C. ex altera M. AIMILI. M. F. L.N. in imo ROMA. Navis Prætoria cum remis, ſupra quam columna & in vertice corona.

Ad Paullorum ſtirpem ventum eſt, quòd primò ex iis inditum eſt, ut quidam putant à voce παῦλος, Latinè modicus, Græcè quie-

quietus. Nam παῦλα quies dicitur, littera duplicata ob asperam Romanorum primis temporibus pronuntiationem. Marcus ille Æmilius Paulus habuit patrem M. Æmilium Consulem cum M. Livio Dentre an. v. c. 451. Is verò Quæstor fuit Provincialis Appii Claudii in Sicilia, 489/90. Ædilis Curulis cum Sp. Furio, & tandem Consul cum Ser. Fulvio Nobiliore 48/9.

Ambo Consules in Africam migrare jussi sunt, M. Attico Regulo à Carthaginiensibus in prælio capto, qua fama hi perculsi, à Clypeæ urbis obsidione discedunt, & classe ducentarum navium instructa Romanos ab Afro littore pellendos contendunt; navali itaque prælio concursum est acerrimè non procul à Mercurii promontorio, teste *Polybio*, qui centum quatuordecim naves Pœnorum demersas, triginta captas, & quindecim hostium ferè millia occisa scribit, quamobrem decretus est utrique Consuli triumphus navalis, quem anno sequente inierunt.

SER. FVLVIVS· M. F. M. N. PAETINVS AN. CDXCIX. / CDXCX. *Varr.*
NOBILIOR PRO COS. DE COSSYRENSIBVS
ET POENEIS NAVALEM EGIT XIII. KAL. FEB.
M. AIMILIVS M. F. L. N. PAVLLVS AN. CDXCIV. / CDXCX *Varr.*
PRO. COS. DE COSSYRENSIBVS ET POENEIS
NAVALEM. EGIT. XII. K. FEBR.

Nummus verò hic in memoriam ejus triumphi navalis videtur percussus, in quo Prætoria navis instructa remis exhibetur, cum corona ipsi ob rem benè gestam decreta. Columna autem in navi erecta est, & monumentum videtur illius quod rostris navium vestitum in Capitolio posuit ob suam de Pœnis victoriam: illam instante bello Macedonico secundo nocturna tempestate disjectam memorat *Livius.*

IV.

Caput Victoriæ alatæ, ante quod vox PAULLUS, in aversa parte Pegasus alatus, postremis pedibus in terra anterioribus saliens, cum epigraphe M. AIMILI M. F. L. N.

Æmilius & Fulvius Consules post Carthaginienses mari deletos, exposito ad Clypeam exercitu, terrestri iterùm prælio, duos Hannones Pænorum Imperatores vicerunt, in quo novem hostium

ſtium millia cæſa ſunt juxta *Oroſium*, poſteàque Clypeenſi demùm præſidio navibus impoſito, in Siciliam deinde Romam navigarunt. In hanc victoriæ memoriam, Deam ipſam victoriam ab una parte ſignari curavit, hæc autem Romæ colebatur, cujus ædicula fuerat à Porcio Catone ſeniore dedicata, & in averſa nummi parte Pegaſum Africæ ſymbolum de quo in Maria gente.

V.

Caput Romæ galeatum, pone quod denarii Nota. In averſa parte Jupiter nudus d. fulmen & ſ. ſceptrum in quadrigis. In imo L. PAVLVS M. F. M. N. & ROMA.

L. Paulus quem exhibet nummus filius dicitur Marci, nempe ſuperioris conſulis anno $^{498.}_{9}$ Marci verò nepos itidem conſulis, qui anno $^{451.}_{2}$ hunc magiſtratum geſſit, ipſe verò poſt quæſturam exactam an. 524. & ædilitatem curulem an. 529. primum Conſulatum cum M. Livio Salinatore obtinuit 534. quibus decreta in Illyrium gerendi bellum Provincia anno primo ſecundi belli Punici.

Illyrii hoc anno rebellarant, Demetrius Phalereus eorum Rex beneficiorum à P. Romano acceptorum immemor, quùm illos & Gallorum & Pœnorum metu attonitos putaret, nec non Philippi Macedoniæ Regis potentia & amicitia fideret, urbes Illyricas imperio Romano ſubjectas vaſtare cœpit, ut narrat *Polybius lib.* 3. conſules mox in Illyrium venere, & quùm oppida ſua recuperaſſent, urbéque exciſa quam præſidio munierat, bellum confecere; Rex interea fuga elapſus eſt, & ad Philippum in Macedoniam confugit.

Utrique conſuli decretus eſt triumphus, & in memoriam L. Pauli triumphi denarius poſteà ſignatus eſt, in quo Jupiter agit quadrigas triumphales tamquam ejus auxilio victoriam de Illyricis reportaſſet: Jupiter autem ſub nomine Victoris colebatur Romæ, quòd omnia vincere putaretur, ut ſcribit *Livius*, *lib.* 10. & ideò illi conſules, ut plurimùm illi aliquod vovebant, quapropter illum in quadrigis exhibebant, dies illi ſacra celebrabatur Idibus Aprilis, de quo *Ovidius in Faſtis.*

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Juppiter, hac illi ſunt data templa die.

VI.

VI.

Caput Fidei coronatum pone quod littera antiqua F. In averſa ſella curulis cum epigraphe L. AIMIL. M. F. PAVLVS. C. TERENT. A. F. VARRO, in vertice ex S. C.

Iterùm conſul L. Paulus M. filius fuit triennio pòſt, qui tertius erat belli Punici ſecundi an. [537/8] Collega illi electus eſt C. Terentius Varro, in cujus memoriam percuſſus videtur hic denarius ex decreto Senatus, ut nos docet nota illius S. C. Pro ſtemmate ſignata eſt ſella curulis utriuſque conſulis inſigne, erat autem illa ex ebore, qua in publico & privato loco ſedendi cauſa utebatur conſul. Fides capite depicta eſt laureato, quia Imperatores etiam vincit.

Decretum eſt utrique conſuli bellum contra Hannibalem cum octo legionibus quinum millium peditum & trecentorum equitum ſingulis magnoque ſociorum numero in Apuliam profecti aliquamdiu hoſtium exercitum coercuerunt, & ad inopiam quùm eum redigerent C. Varronis impatientia & fatali temeritate, vel repugnante L. Paulo, prælium tentare volentis, clades illa inſignis ad Cannas accepta eſt, in qua conſul Æmilius interfectus eſt cum quadraginta millibus peditum, & duobus millibus equitum & ſeptingentis; Varro autem cum ſolis ſeptuaginta equitibus, ut tradit *Polybius*, ex ea profugit.

VII.

Caput Neptuni laureatum ante quod Tridens, in imo vox PAVLLVS: in averſa victoria agit quadrigas decurrentes. In area L. AIMIL. L. F. in imo ROMA.

Paullorum ſtirpem Æmiliæ gentis claudit L. Æmilius, filius Lucii ſuperioris, qui bis conſul in prælio Cannenſi occiſus eſt. quæſturam ipſum non petiiſſe nec geſſiſſe narrat *Plutarchus in ejus vita*. ædilis cum Æmilio Lepido electus fuit an. [560/1] Prætor Hiſpaniam ulteriorem ſortitus obtinuit cum proconſulari imperio [562/3] prorogato imperio infeliciter cum Luſitanis in Vaſcetanis pugnavit, at quùm exercitum in agrum paratum reduxiſſet, decretus eſt triumphus, de quo nummi non occurrunt.

Anno V. C. 571. tandem poſt tresrepulſas conſulatum ægrè obtinuit cum Cn. Bæbio Tamphylo, at quùm novi motus in Liguria

guria eſſent oborti, decretum eſt utriſque Conſulibus contra Ligures bellum cum quatuor legionibus & ſociorum auxilio; prorogatum eſt anno ſequente Proconſulis nomine L. Æmilio Imperium, quùm autem ab Ingaunis, quorum urbs Albingaunum in ora Liguſtica ſita erat, pacem petentibus, intra induciarum tempus in caſtris repentè obſeſſus fuiſſet, poſt aliquot dies, hoſtem derepentè aggreſſus, in fugam eos fudit & caſtris exuit, ſupraque quindecim millia eo die occiſa ſunt, quapropter triumphus P. L. Æmilio decretus eſt.

L. AEMILIVS L. F. M. N. PAVLLVS ANN. DLXXII. DLXXIII *Varr.*
PROCOS DE LIGVRIBVS INGAVNEIS.

In Æmilii Paulli triumphi monimentum ſignatus eſt hic denarius, in cujus anteriori parte exhibetur Neptuni, caput ad deſignandum Ligures Ingaunos eſſe littoralis inter montem Apenninum & mare Liguſticum conſtructos, quorum regio hodie dicitur, *la Riviera di Genoa.* Alii verò mediterranei erant, qui Montem Ferratum Ducatum, magnam partem Principatus Pedemontani, partemque Ducatus Mediolanenſis continebant. Victoria dea agit quadrigas currentes quod velox & prompta fuerit de Liguribus victoria. Caput ejus Neptuni iterùm exhibetur in nummo P. Mutii Scævolæ, qui de iis cum Liguribus poſt ſex annos [578/9] triumphum egit.

VIII.

Caput Romæ galeatum ante quod vox PAVLLVS, & retrò ROMA, ex averſa Figura virilis togata in quadrigis triumphalibus d. habenas, ſ. ſcipionem eburneum. L. AIMILI. L. F.

L. Æmilius Paulus anno decimo quarto poſtquam primum conſulatum geſſiſſet, iterùm Conſul factus eſt cum Licinio Craſſo V. C. [585/6] Æmilio autem Macedonia evenit. *Plutarchus* extra ſortem ei datam fuiſſe narrat, cum Octavio Prætore qui claſſem ſortitus erat contra Perſen Macedoniæ Regem. Roma profectus eſt Kal. Aprilis & ad Pydnam urbem cum Rege prælio dimicavit III Non. Septembris, illiuſque exercitum profligavit, & Æmilius intra biduum totum ejus regnum in deditionem accepit, Perſes autem in Samothraciam ſe recepit, ubi ab Octavio Prætore cum liberis & uxore captus, ad Conſulem miſſus eſt.

Prorogata Æmilii provincia anno ſequente, Macedonas pronuntiavit liberos eſſe, ſed tributum illis dimidium quod pependiſſent Regibus, imperavit; legibus deinde Macedoniæ datis. Poſtremò ludis epuliſque magno apparatu datis, exercitu in naves impoſito in Italiam rediit. ex *Livio* & aliis. Triumphus illi à Senatu decretus eſt, & inter pulcherrimos, quos Roma vidit umquam, numeratus eſt; æternum cujus monimentum exhibet denarius hic, in averſa cujus parte ſtat in quadrigis triumphalibus conſulari habitu L. Æmilius, ſcipionem eburneum gerens, ſolemne Conſulum inſigne. triduum autem *Lucius* in hoc triumpho impendit.

IX.

Caput muliebre velatum cum epigraphe CONCORDIA PAVLLVS LEPIDVS. In averſa trophæum cui dextram apponit Figura togata, ex adverſo à dextris ſtant Perſes, & duo ejus filii manibus poſt terga revinctis, cum epigraphe TER PAVLVS.

Habet expreſſum hic denarius L. Æmilii de Perſe Macedoniæ Rege trophæum ex *Urſino*. Trophæa erant corpora trunca cum ſpoliis hoſtium in loco ubi hoſtes in fugam converſi, ſeu eminentiore Provinciæ aut Regni bello ſubacti, ad æternam memoriam erecta. Ei dextram apponit Victor quaſi illud poſuerit; ex altera trophæi ſtat cum duobus liberis Philippo & Alexandro Perſes, ad indicandum quod illo capto, & filiis Romam adductis, Macedoniæ regnum non ampliùs ejus poteſtati ſubjacet, ſed Imperio Romano tributarium eſt. De Paulo Æmilio qui nummum ſignari curavit, & de Concordia in ſequentibus denarium agemus. VOX TER. id eſt quod Lucius Ter, ut ſuprà diximus, triumphaverit, ut eſt in antiquo marmore.

L. AEMILIVS. L. F. PAVLLVS.
COS. II. CENS. AVGVR.
TRIVMPHAVIT. TER.

X.

Caput iterùm Concordiæ velatum cum eadem epigraphe CONCORDIA PAVLLVS LEPIDVS in averſo trophæum, à dextris Perſeus ſtans & Bithus Cotyois regis Thraciæ filius cippo inſidens, uter-

uterque nudus, & manibus post terga revinctis: à sin. suggestus in quo Lucius stans togatus dextram trophæo apponens, & pone eum figura pariter togata, sed minùs alta.

Cognomen Paulli & Historia Persei impulerunt nos, ut illos nummos & sequentem potiùs ad seriem Paullorum quàm ad Lepidorum stirpem revocaremus, eò quòd ille Æmilius qui eos signari curavit ex Paullorum stirpe in Lepidorum familiam adoptione transivit. De illis verò nummis qui ad Lucii Æmilii Historiam non spectant, suo loco, id est in Lepidorum stirpe exhibebimus.

Paullus ille Æmilius qui historiam Persei in suis denariis restituit, de Paullorum stirpe haud dubiè fuit, ut indicat illud cognomen: *Ursinus* ait, Paullus Lepidus adoptatus à patre M. Lepidi Triumviri fuit, & ex Æmilio Paullo, Paullus Æmilius „ Lepidus dictus est. At quùm esset ejusdem gentis, nomen „ suum, ut mos erat, producere non poterat, sed cognomen Paulli quod servare debebat, anteposuit gentis nomini, quasi esset prænomen & sic utrumque & Paulli & Lepidi cognomen tulit.

Ipse qui in suggestu est, pone L. Paullum videtur esse M. Paullus ejus frater, à quo originem trahebat Paulus Æmilius Lepidus, ut se ab illo progenitum esse denotaret, quem ita parvulum post fratrem fama minùs celebrem collocavit; non est enim aliquis ex filiis L. Pauli, quùm omnes eum stirpem nullam masculam reliquisse norint.

Qui à dextris visuntur manibus post terga revinctis, prior est Perseus, stans, in æternum captivus futurus, alter cippo insidet, ut belli socius, nempe Bitis quem teste *Livio* in triumpho ductum pater Cotys Rex Thraciæ à Romanis pro lytro per legatos postulavit. Senatus eum à Carseolis accersitum patri filium remisit, dicens beneficia gratuita esse P. Romani.

Caput Concordiæ deæ selegit Paullus Lepidus, ut concordiam suam cum fratre adoptivo M. Lepido denotaret, quæ maximè inter fratres optanda; nam Paullus Lepidum P. Romani hostem judicavit, & Lepidus tandem Triumvir Reipublicæ constituendæ factus eum proscripsit, quem milites servavere honoris causa & passi sunt eum ad Brutum in Asiam confugere, quem Octavius Cæsar posteà revocavit.

XI.

Caput Romæ galeatum. ROMA. In aversa Trophæum, à cujus dextris lictor Perseo genibus nixo, manus post terga revincit: à sinistris autem L. Paullus togatus dextram trophæo apponens, pone eum duo pueri prætexta insignes.

Iterùm & iterùm prodit de Macedonia trophæum quod erigit L. Paullus coram Perseo, cui manus post terga revincit lictor, ad triùmphum, de quo vide *Livium*, *Plutarchum*, & *alios Romanæ Historiæ Scriptores*: sed qui sint illi prætextati, non videntur L. Pauli esse majores filii, quùm prior natu datus sit Corneliæ genti in adoptionem, qui posteà dictus est P. Cornelius Scipio Æmilianus Africanus, nempe minor: & junior Fabiæ familiæ, posteáque vocatus Q. Fabius Maximus Æmilianus: nec duo filii, quos domi reliquit in bello Macedoniæ; nam ex iis major, triduum ante parentis triumphum, & alter triduum pòst, etiam mortuus, & sic orbus filiis remansit.

Verisimile videtur Paullum Lepidum ab hac tam celebri stirpe ut genitum se gloriabatur, in superiore nummo Marcum Lucii Proconsulis fratrem exhibuisse, & in hoc ejus filios prætextatos, ingenuos nempe pueros, ex quibus duæ iterùm Paullorum familiæ sunt ortæ, percussit; ex Marco enim majore filio genitus est ille M. Æmilius Paulus, qui Consulatum gessit anno $\frac{703}{4}$ & ex Lucio natu minore ipse fuit nepos, & Consulatum etiam, sed suffectus iniit Kal. Jan. $\frac{519}{20}$

Romæ caput solemne est denariorum Romanorum typus.

XII.

PAVLVS LEPIDVS, CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: ex averso latere CLEMENTIA. Clypeus in cujus medio deæ Clementiæ caput directa fronte.

Iterùm prodit Concordiæ deæ caput à Paullo Æmilio Lepido ad denotandam semper cum M. Lepido fratre adoptivo concordiam & vox *Clementia* in gratiam L. Paulli, à quo originem trahere se gloriabatur: hac enim virtute præsertim præditus erat ille vir insignis, ut ejus abnepos in nummis illius memoriam consignare voluerit, testes fuere præcipuè Macedones, quibus debellatis & victis pro servitute libertatem concessit; ideò in medio clypei

Ma-

Macedonici Clementiæ caput percussit, in æternum rei monumentum, de summa cujus virtute L. Paullo innata hæc ait *Plutarchus in ejus vita.* ,, Neque enim solùm quo tempore victor fuit, omnibus se præbuit clementem benignúmque, sed per vitam suam ,, reliquam non destitit de iis benè mereri & præstare iis, ut si ,, familiares essent & propinqui, patrocinium. ,,

XIII.

Caput Veneris victricis laureatum, ante quod simpulum, & pone corona : in aversa parte figura in equo, d. trophæum spoliis onustum, cum epigraphe, M. LEPIDVS AN. XV. PR. H. O. C. S. id est, *annos quindecim prætextatus, hostem occidit, civem servavit.*

A Paullorum familia ad alteram Lepidorum transimus, quæ eam antiquitate sequitur; nam M. Lepidus ejus cognominis primus, Quæstor fuit militaris an. 459/60 & Consul cum Claudio Canina 468/9 de Lepidi autem cognomine ait *Ant. Augustinus lib. de Famil. Romanorum,* ,, non reticebo videri eo voluisse exprimere, quid Æmilii nomine significaretur, ut cùm familia dicitur ,, Æmilia, à voce Αἱμυλίας, id est, *Lepore*, idem latinè exprimere voluit. ,,

Ut superiores nummi à L. Paullo Æmilio Lepido ad memoriam illustrem de L. Paullo gentili suo revocandam sunt percussi; ita M. Lepidus ejus per adoptionem frater, Marci illius Lepidi, qui bis Consul fuit, Ptolemæi Ægypti Regis Tutor, Princeps Senatus, & de Gallis Liguribúsque triumphavit gesta insignia, monimentis publicis in æternum ad illustrandam Lepidorum stirpem consignare voluit.

In hoc denario primum indolis ejus & virtutis militaris specimen habes, quùm prætextatus tantùm annorum quindecim; (erat autem prætexta toga, ita dicta, quòd ei purpura prætextabatur, qua cum bulla ingenui pueri utebantur usque ad annum 17.) M. Æmilius Lepidus M. F. hostem occidit, civem servavit, illius, inquit, *Val. Maximus lib.* 3. *cap.* 1. ,, Æmilius Lepidus ,, puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit, cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio ,, statua bullata & incincta prætexta Senatusconsulto po- ,, sita. ,,

Equeſtris ſtatua cum trophæo ad eumdem Lepidum ſpectat, ſed non ob idem factum; de qua in ſequente nummo. Solùm corona quæ pone caput Veneris Victricis ei tribuenda, ex quercu, quam ei Senatus decrevit ob ſervatum civem; nam major erat honos, quàm occidere mille hoſtes: unde idem *Valer. Maximus* addit loco lau-
„ dato. Inter quæ Æmiliæ Gentis pueritia, coronam mereri,
„ ſpolia rapere valuit. Simpulum nota eſt M. Lepidi Pontificis
„ Maximi, qui nummum cudit. De Venere Victrice in ſequente denario.

XIV.

Idem Veneris victricis caput, ante quod ſimpulum: in averſa parte eadem figura equeſtris cum trophæo, ut ſuprà & epigraphe M. LEPIDVS.

Voces illæ M. LEPIDVS, ſunt ancipites vel ad M. LEPIDVM Triumvirum qui nummun cudit, referri poſſunt, vel ad M. Lepidum, qui prætextatus adhuc meruit ſtatuam bullatam, ut nos docuit *Val. Maximus*, & qui alteram equeſtrem habuit, poſt triumphum quem egit de Gallis & Liguribus, ut ex *Faſtis & Marmoribus* eruimus.

M. AEMILIVS M. F. M. N. LEPIDVS. ANNO DLXXIIX. DLXXIX. *Varro.*
COS. DE LIGVRIBVS ET GALLIS.

Poſteaquam *Livius lib.* 41. enarravit, quoſnam Ligurum populos M. Lepidus in plana deduxiſſet, de P. Mucio Scævola ejus in conſulatu & exercitu collega adjicit. „Inter Audenam P. Mu-
„ cius cum iis qui Lunam Piſaſque depopulati erant, bellum geſ-
„ ſit, omnibuſque in deditionem redactis, arma ademit. Ob
„ eas res in Gallia Liguribuſque geſtas duorum conſulum ductu auſpicioque Senatus in triduum ſupplicationes decrevit, & quadraginta hoſtiis ſacrificari juſſit.

Denarius ille nos docet etiam Statuam ob illas victorias in æternam rei memoriam à Senatu equeſtrem fuiſſe erectam; unde in anteriore ejus capite Venerem Victricem quòd ea diceretur omnia vincere, exhibuit M. Lepidus qui denarios percuſſit, victorias confirmat trophæum quòd figura equeſtris dextra gerit, terreſtre quidem ob Gallos, porrò qui fuerint, ignoratur, quod prorſus inter-

intercid erint horum Conſulum res geſtæ in Gallia, & navale ob Ligures littorales qui Peſas, Lunam, & Albingaunum, ut ſuprà diximus, habitabant: id etiam confirmare videtur extremum trophæi, quod biſulcum eſt, in duas nempe partes diviſum, duas ideò diverſi generis victorias denotans.

Simpulum ex parte Veneris ad Pontificatum M. Lepidi Triumviri ſpectat, ut nota illius qui denarium ſignari curavit.

XV.

Caput galeatum pone quod vox ROMA. & antè LEPIDVS: ex averſa parte M. AIMILIVS M. F. M. N. Jupiter in quadrigis triumphalibus d. vexillum, ſ. habenas.

Quadrigæ in hoc denario expreſſæ, M. Lepidi triumphum de Gallis deſignare videntur, quippe in iis ſtat Jupiter ſummus Romanorum deus, & d. erecta vexillum gerit, denotans Lepidum ejus auxilio equitum Gallorum turmas profligaſſe; Galli enim equitatu valido pollebant, ut *Hirtius* ſcribit *de bello Alexandrino*, his verbis, quos idoneos ex equitibus Gallis arbitrabatur. Equitum autem inſigne erat vexillum; quod tamquam eorum trophæum geſtat Jupiter.

XVI.

I. S. M. R. id eſt, *Juno Soſpita Magna Regina.* Caput Junonis pelle caprina amictum: ex altero latere M. LEPID. M. F. in imo TI. SEMP. P. F. GRAC. Sella curulis. S. C.

Duo hæc nomina in denario inſcripta cum ſella curuli M. Lepidum & TI. Sempronium Ædiles Curules haud dubiè denotant, hic verò P. Filius appellatur, & ludos illos magnificentiſſimè edidiſſe tradit *Livius*, ut videre eſt infrà in gente Sempronia num. II. quos aſſignavimus an. $^{571.}_{2}$ M. Lepidus M. F. ejus collega inveſtigandus: non ille eſt qui conſulatum geſſit an. $^{566.}_{7}$ quia Ædilis Curulis eſſe hoc anno non potuit; ſed ille M. Lepidus eſſe videtur Filius M. Lepidi Prætoris an. $^{535.}_{6}$ & qui repulſam conſulatus anno ſequente paſſus eſt. Is verò Quæſturam provincialem iniit an. $^{565.}_{6}$ & inter III viros qui Mutinam Parmamque colonias an. $^{570.}_{1}$ deduxere, à *Livio* recenſetur *libri* 30. *fine*, & ſequente $^{571.}_{2}$ Ædilis curulis creatus eſt cum TI. Graccho P. filio, ut teſtatur denarius iſte, ipſorum nominibus ornatus cum ſella curuli ejus magiſtratûs inſigni.

Ca-

Caput Junonis Magnæ Reginæ Megalesios ludos in ejus honorem ab illis editos indicat, illi erant scenici, & pridie Nonas April. celebrari solebant per sex dies, ut *Livius* indicat, de quibus sparsim egimus, quùm plurimi magistratus eosdem celebrasse in hac nummorum serie notentur.

XVII.

Caput muliebre velatum & turritum cum epigraphe ALEXANDREA. In postica parte M. LEPIDVS PONT. MAX. TVTOR REG. S. C. Figura togata stans d. diadema regium imponit puero pariter togato d. scipionem eburneum gerenti.

Alludit M. Lepidus Triumvir, quùm esset Pontifex maximus huic dignitati, quam etiam M. ille Lepidus qui Tutor Regis Ptolemæi Epiphanis fuit, obtinuerat: nam Lepidus senior non adhuc Pontifex Maximus erat, quando mortuus est Ptolemæus Philopator, qui moriens filio quinquennali, ex *Epiphanio lib.* 1. tutorem testamento P. Romanum reliquerat, sed Agathocli per interim, ex *Polybio*, & Alexandrini illud Romam non tulerunt, nisi postquam Antiochus Magnus Syriæ Rex Cœlesyriam ingressus esset, de quo *Justinus lib.* 30. *cap.* 2. *&* 5. Legatos ad Romanos miserunt, orantes ut tutelam Regis susciperent, tuerenturque Regnum Ægypti, quod jam Antiochum & Philippum facta inter se pactione divisisse dicebant.

Quùm jam à Senatu Legati ad illos Reges missi fuerant C. Claudius Nero, P. Sempronius Tuditanus, & M. Æmilius Lepidus qui Pontifex Maximus non adhuc erat, qui nuntiarent iis ut regno Ægypti abstineant, ob istam verò Alexandrinorum legationem M. Lepido mandatur à Senatu, ut tutorio nomine in Ægyptum appellat, regnumque pugilli Regis administret, etsi Legatorum minimus natu: nam de indole dum prætextato adhuc Statua à Senatu in Capitolio erecta fuerat, & de animi sui magnitudine specimen jam dederat, quùm duorum illorum legatorum consensu ad Philippum Macedoniæ obsidentem Abydum missus fuerat. Igitur Alexandriam tendit, & Ptolemæi tutelam suscepit: quare à M. Lepido Triumviro ejus abnepote diadema Ptolemæo puero imponens in denario exhibetur, ad honorem, quem ei Senatus detulerat posteris revocandum, & ut M. Lepidus proavus Pontifex Maximus, postquam Tutor Regis extitit, renuntiatus fuerat,

rat, & ille qui tunc, quùm denarium cudit, Pontifex maximus etiam erat, duo illa maxima Sacerdotia in duobus ejusdem gentis & nominis M. LEPIDVS, in eodem denario reponere voluit.

Valerius quidem *Maximus* M. Lepidum Regis Tutorem jam Pontificatum maximum fuisse adeptum, antequam in Ægyptum proficisceretur, narrat *lib. 6.* cap. *6.* sed haud dubiè hoc denario, quem fortè viderat, delusus, cujus sensum non accepit: adde quod Pontifici maximo abesse Roma non licebat, ut testatur *Plutarchus in Fabio*: unde *Pighius ex Val. Maximi* verbis, Lepidum non Ptolemæi Epiphanis, sed Philometoris ejus filii, tutorem fuisse, quòd tunc non esset adhuc hoc Sacerdotio summo ornatus, sed hic jam erat Ægypti Rex coronatus quando Romam venit, ut videre est in nostra horum *Regum Historia*.

Sed ut qui nummum tractaret, & cujus Regis Lepidus fuisset Tutor, nosceret, caput urbis Alexandriæ in ejus parte anteriore signari curavit, ad indicandum eum Regis Ægyptum fuisse, & notam S. C. apposuit, ut Lepidum Senatusconsulto ejus Principis nominatum fuisse significaret.

XVIII.

Caput Vestæ velatum, pone quod simpulum LEPIDVS: in aversa templum Vestæ rotundum, in quo duæ sellæ curules & epigraphe VESTA. Q. AIMILIVS.

A M. Lepido Ptolemæi olim Tutore ad Q. Lepidum M. Lepidi Triumviri avum descendimus: hic illum nummum in memoriam Ædilitatis curulis, quam gessit cum P. Cornelio Nasica anno 635/6 percussit, in eo Vestæ caput & illius templum, quod in magistratu refici curaverunt exhibuit, quod duæ sellæ curules in templo positæ abundè confirmant. Ædilium autem curulum erat officium ut templa magnificis operibus reficerent, & ornarent: nam Ædiles dicti, quod ædes sacras & privatas procurarent, teste *Varrone lib. 4. de lingua latina.* Curules verò, à sella curuli qua utebantur: quæ ideò positæ sunt in templi aditu.

De Vestæ templo narrat *Tacitus lib. 15. Annal.* in quod se receperat Piso à Galba electus, qui Othonis jussu extractus, est occisus. *Plutarchus in Numa* ait, Ferunt ædem quoque Vestæ sa-

cro igni orbicularem circumivisse. *Phornutus* ipsam Vestam rotundè etiam effingi solitam prodit, quod ut ipsa pro Terra, quæ rotunda est, existimata, capiat omnia. Simpulum Vestæ pro insigni datur, ut videre est in Claudia gente Vestalem id d. gerentem, quia in eo ignis inextinguibilis asservari credebatur: antiqui verò Romani, ut refert *Procopius*, ignem Vestam vocabant.

XIX.

Caput muliebre velatum Concordiæ MAM. LEPID. LIVIAN. *Mamercus Lepidus Livianus.* Ex altera AP. CLAVDIVS AP. F. PVLCHER. Sella curulis.

Temporis ratio in recensenda Lepidorum stirpe postulet, ut ad Mamercum Lepidum Livianum divertamus, qui ex Livia gente plebeia in Lepidorum patriciorum familiam transiit, is M. Livii Drusi filius fuisse dicitur, adoptatus à Mamerco Æmilii Senatus Principis filio: unde illi Mamerti pronomen, Oscorum autem lingua à Marte deductum est, quem illi Mamertem appellarunt, & nomen gentis Liviæ producendo dictus est Æmilius Lepidus Livianus.

Is nummum cudit, ut ejus epigraphe denotat, & Concordiæ caput adoptionis Symbolum ex una parte, ut in Paulli Æmilii nummis superioribus observavimus, exhibuit, nam adoptati cum iis in quorum familiam asciti erant, concordissimè vivere se jactabant; ex altera sellam curulem, quòd ille Prætor Urbanus an. 671. creatus esset cum Appio Claudio Pulchro. Alii volunt in Quæstura sua urbana cum eodem Claudio an 565. 6 nummum signasse, sed Quæstoribus sella curulis numquam data fuit, quæ erat proprium Præturæ ad jus dicendum insigne. Tanta erat inter eos concordia, ut dum Lepidus Livianus Consul esset an. 676. Claudius inter Patricios creatus est interrex, nequid detrimenti eo absente in urbe reciperet, vide in Claudio.

XX.

Caput Apollinis laureatum, ex altera templum tetrastylum in conum desinens, in quo cippo insidet Apollo nudus d. patera s. lyram: ante quem Victoria stans ei coronam porrigens, cum epigraphe. MAM. AEMIL. LEPIDVS LIVIANVS.

Alte

Alterum Præturæ Lepidi Liviani teſtimonium prodit per hunc nummum Apollinem ex parte anteriori exhibentem qui in eo ſignatus eſt ob Apollinares ludos à Prætore Urbano Lepido Liviano in magiſtratu celebratos; illi autem ex vaticinio Marci vatis apud *Livium lib.* 25. orti ſunt. „ His, inquit, faciendis præerit Prætoris, qui jus populo plebique dabit. Itaque factum eſt Senatuſconſultum quo ludos Prætor in circo maximo facturus eſſet, inde omnes deinceps Prætores Urbani hos ludos ediderunt.

Templum Apollinis ex altera parte, de hoc dubitare non ſinit, in eo autem ſacra fiebant, antequam in circo agerentur. Apollo inſidet cippo, ut in Auguſti nummo repræſentatur in noſtro *Præſtantiorum libro ex argento edit.* 2. *pag.* 33. & quidem cum patera ad ſacra quæ illi fiebant indicanda, ſiniſtra verò lyram gerit, quæ illi à Mercurio data eſt; ſed in hoc denario victoria porrigit coronam, quia Marcus ille vates P. Romano victoriam de hoſtibus pollicitus erat, ſi Apollini voverent ludos, & ſic *Pomp. Feſtus* narrat, P. Sulpitio Cn. Fulvio coſſ. M. Calpurnio Piſone Prætore urbis facientes ludos, quùm Romani ſubitò ad arma „ exiiſſent nunciato adventu hoſtium, victores in theatrum re- „ dierunt. Ergo ludorum Apollinarium origo victoriæ cauſa eſt. „

XXI.

Caput Veneris Victricis laureatum, ante quod ROMAE, in averſa Pons cum tribus fornicibus, ſupra quem ſtatua equeſtris d. haſtam, cum epigraphe M. AEMILIO LEP.

Sublicius eſt ille Pons in denario exaratus, quem *Plutarchus in Numa* nos docet, lapideum multis poſt ſæculis ex ligneo ab Æmilio Quæſtore eſſe factum: dictus autem erat ſublicius, quod ligneus eſſet, & ſubliciis fulciretur. Ita enim vocant palos ad pontis ſuſtentationem in aqua defixos, poſteà ab inſtauratore dictus eſt Æmilius, cujus adhuc hodie reliquiæ in Tiberi. Ad quem verò pertineat ſtatua equeſtris ſupra pontem erecta, ex epigraphe Manio Lepido dicata videtur, de qua ait *Urſinus*, „ illi qui „ pontem fecit, vel Lepido alicui ob rem benè geſtam à Senatu de- „ cretam, impoſitam eſſe: Qui pontem fabricari juſſit, Manius vocabatur, & quæſturam geſſit an. 675. & conſulatum cum L. Vol-

catio Tullo 687. gessit, de quo inquit *Ant. Augustinus.* Hujus parentes ignorantur.

XXII.

Caput Dianæ cum crescente Luna, & pone dorsum arcus & pharetra EX. S. C. ex aversa templum rotundum, in quo ipsa Diana cippo insidens, d. tenet arcum cum epigraphe M. LEPIDVS. M. MARCEL. AED. CVR. Ædiles curules.

Primus est M. Lepidi qui Triumvir Reipublicæ constituendæ fuit nummus, quum Ædilis Curulis magistratum iniit cum M. Marcello V. C. 701½ id epigraphe abundè testatur. Diana in parte anteriore & ejus templum in postica ab iis restitutum ex Senatusconsulto denotant: nomen enim Ædilis ab ædibus tum sacris tum privatis derivatum, eorum autem erat officium illas curare. Dianæ templum quod restituisse videntur Lepidus & Marcellus, erat in Aventino monte qui ex illo dictus est collis Dianæ apud *Martialem lib. 7. ad Maximum.*

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ.

Primum hoc Dianæ templum antiquissimum erat, siquidem extructum fuit à Populis Latinis Servio Tullio regnante, ait enim *Dionysius*, convocatis Latinorum optimatibus, suasit eis, ut templum cum inviolabili refugio communi sumptu constituerent. Collatis deinde oppidatim pecuniis, Dianæ templum ædificavit in Aventino eminentissimo urbis tumulo.

XXIII.

Caput Romæ galeatum ROMA: ex aversa clypeus M. AIMILI. M.F. Q.N. LEPIDVS PRAEF. VRB.

Lepidus in hoc denario inscribitur Marci filius, ut quùm habuerit Marcum Lepidum Consulem cum Q. Catulo an. 5. qui acta Syllæ rescindere voluit, & à collega victus, & ex Italia pulsus est, Quinti verò nepos, qui tantùm Prætor fuit Provincialis anno 638. Lepidus autem noster Præturam urbanam potitus an. 704. C. Cæsaris partibus adhæsit, à quo Urbi etiam est Præfectus, quum fugato extra Italiam Pompeio Romam occupasset, & rebus ibi constitutis in Hispaniam properare vellet.

Præfectus Urbis erat magistratus extraordinarius, qui non singu-

lis

lis annis creabatur, ſed quùm ejus neceſſarius videbatur uſus, ille à Romulo inſtitutus, quando ex urbe proficiſcebatur Rex ad bellum, ut ea non ſine imperio non maneret, ejectis Regibus, etiam à Conſulibus ante inſtitutam Præturam, quotieſcumque ad bellum properandum ipſis erat, Præfecti Urbis declarabantur, qui illis abſentibus, munus Conſulare obibant, & jus dicebant, & à Regibus & Conſulibus eligebantur. At poſt introductum Præturæ magiſtratum defuit Præfectus Urbis, niſi quod Latinarum feriarum cauſa profectis Urbe Conſulibus.

Lepidus verò ut Præfectus Urbis magiſtratum cum Prætoris Urbani dignitate conjungeret ac retineret, Cæſarem debellatis in Hiſpania Pompeianis partibus, lege ad Populum promulgata, Dictatorem dici curavit, quia ſeditionis domeſticæ cauſa, hic magiſtratus creari ſolebat, & ideò videtur clypeum votivum in Jovis templo appendiſſe, ut illius victoriis omnia tranquilla redderentur, in cujus rei teſtimonium plurimi illi clypei votivi in nummis argenteis Auguſti ſcalpti obſervantur.

XXIV.

Caput Romæ galeatum LEPIDVS ex averſa parte Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. fulmen, ſ. ſceptrum & habenas equorum M. AIMIL. M. F. M. N. PROPR.

Lepidus ex Prætura Hiſpaniam citeriorem obtinuit anno $\frac{704}{5}$ à Cæſare in eam miſſus, de quo *Dio lib.* 43. Ut enim primum à Lepido Dictator proditus fuit, ſtatim eum ex Prætura in Hiſpaniam citeriorem miſit, de qua anno ſequente 705. triumphum egiſſe nos docet hic denarius, ut & *Dio*, hoc loco. „ Reverſo ex Hiſpania, triumphum quùm neque viciſſet quemquam, neque omninò ſignis collatis dimicaſſet, conceſſit, ea cauſa prætexta quòd is à Longino & à Marcello geſtis adfuiſſet. Ceterùm in triumpho ſuo nihil intulit, præter eas pecunias, quibus ſocios ſpoliaverat; ideò forſan ille in quadrigis non invehitur, ſed Jupiter Victor, qui omnia vincere dicebatur.

XXV.

Caput Julii Cæſaris laureatum & velatum cum lituo ante caput

CAESAR. . P. M. DIC. TER. ex averſa parte M. LEPIDVS IMP. caput Lepidi nudum.

Cæſar an. $^{708}_{9}$ ut inquit *Dio lib.* 43. „ Dictaturam Conſulatum„ que tertiò, utrumque magiſtratum, collega in utroque geſſit. Hic denarius utrumque repræſentat Cæſarem cum titulo Dictatoris tertiò, & Lepidus dictus eſt Imperator, nempe poſt triumphum primum, nempe propr. de Hiſpania citeriore, in qua provincia hic titulus ei datus eſt: dum autem *Dio* refert in utroque magiſtratu collega, intelligit illum ſecum Conſulem nominaſſe, & quando fuit creatus Dictator iterùm, eum fecit Magiſtrum Equitum: nam quùm Dictator quis erat creatus, eligebat ſibi ipſe Magiſtrum Equitum.

XXVI.

Caput M. Lepidi nudum M. LEPIDVS IMPER. ex averſa parte figura equeſtris habitu pacificatoris, d. in altum ſublata cum litteris S. C.

In ſuperiore denario Julii Cæſaris ab una parte effigiem & Lepidi vultum ex altera, quùm ambo fuiſſent Conſules an. V. C. $^{707}_{8}$ an non iidem: Lepidus nempe, cum imagine qui nummum ſignari curavit ex Senatuſconſulto, & Julius Cæſar equo ſublimis Pacificatoris habitu, quando Romam ex Albano monte rediens in urbem poſt ovationem redit an. $^{709}_{10}$ ut inquit *Dio lib.* 44. inter alios honores à Senatu decretos Cæſari permiſſum ipſi eſt, ut poſſet Feriis Latinis in monte Albano peractis, curru lictoribuſque laureatis invehi, ſed ille equo uſus eſt, quem in ovatione conſcenderat, in cujus rei memoriam Lepidus, qui illius erat magiſter Equitum ut collega percuſſit: nam abſente Dictatore ejus officium obibat magiſter equitum, ſed *amicus* Lepidi ſtatuam ſuſpicatur eſſe, ſed Lepido tantùm togata pro roſtris erecta ob rem benè geſtam in Hiſpania poſt Julii mortem, quæ poſteà quùm declaratus eſt hoſtis P. R. dejecta eſt: inſtat verò, ille eſt ut magiſter Equitum, ſed ea figura Pacificatoris habitu, adventum in urbem denotat, quæ Cæſari convenit, & quidem Senatûs decreto.

XXVII.

M. LEPID. IMP. ITER. PRO. COS. Lepidus togatus in quadrigis triumphalibus d. habenas equorum, ſ. ſcipionem eburneum, ex

ex altera parte III VIR. R. P. C. Victoria ſupra navis proram d. coronam, ſ. palmam.

Cæſare in curia occiſo, Sex. Pompeius bellicos motus renovaverat, at quùm Lepidus, qui tunc in Hiſpania citeriorem Provinciam iterùm adminiſtrabat, ſilentio, ut inquit *Cicero Philip.* 13. quòd bellum confeciſſet ſine ſanguine, & Sex. Pompeium bonis conditionibus Senatui Reipublicæque reconciliaſſet, illi Statuam, ut ſuprà diximus, in roſtris cum inſcriptione præclara, & triumphum abſenti quoque decreviſſet, quem ille egit poſteà, quando Triumvir R. P. C. cum Antonio & Cæſare Juniore factus eſt, ut teſtantur *Marmora Capitolina.*

M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS. II. III VIR. R. P. C. AN. DCCX. DCCXI. *Varro.*
PRO. COS. EX HISPANIA PRIDIE K. JAN.

In triumphi autem hujus memoriam denarius ille percuſſus eſt, in quo Lepidus conſulari habitu in quadrigis triumphalibus vehitur, ſcipionem eburneum, in cujus apice aquila, ſolemne Conſulum inſigne gerens, & Imperator iterùm hac de cauſa inſcribitur. Victoria in altera ejus parte proræ navis inſiſtit, quòd mare eſſet, Sex. Pompeii reconciliatione cum P. Romano, liberum.

XXVIII.

LEPIDVS IMP. PONT. III VIR. R. P. C. Caput Lepidi galeatum: ex averſa parte EX. S. C. Aquila legionaria cum trophæo inſiſtens proræ; hinc & inde ſignum militare.

Hic eſt habitus quo Triumviri ex agro Bononienſi Romam contenderunt, armati ſcilicet omnes, & galea in capite, ut ex illorum nummis obſervatur, hos tamen Senatus repræſentari decreto juſſit, ut indicat nota S. C. addit verò *Dio.* „ Itaque & ſacrificia eorum nomine, tamquam felici rerum conditione oblata, decreta, & veſtis ea quæ lætis rebus geſtari conſuevit, reſumpta, quamvis multùm terroris eum ex ipſis, quæ tunc agebantur, rebus, tum verò magis à prodigiis etiam impenderet. „

Aquila legionaria cum ſignis militaribus in quolibet Triumvirorum nummo, legionum inter eos diviſionem denotat, quæ earum auxilio imperium iis per terram ex trophæo, & per mare

re ex prora navis procuravit; nam inquit *Dio eodem loco*: Hi ita- „
que eo modo, primò Cæſar, dein reliqui duo, Romam ſeor- „
ſum unuſquiſque cum his omnibus militibus ingreſſi. „

XXIX.

M. LEPIDVS III VIR. R. P. C. Caput M. Lepidi nudum: in poſtico latere L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS III VIR. A. P. F. Mars nudus & galeatus d. haſtam, ſ. parazonium, pede ſ. clypeo impoſito.

Cæſar initio ann. $^{709.}_{1.}$ Lepido Galliam Narbonenſem & Hiſpaniam finitimam conceſſerat, in eamque progredi paratus ille erat, quando Cæſar in Senatu Idib. Mart. à conjuratis confoſſus eſt. Lepidus tunc apud exercitum in ſuburbio erat, & res valdè turbatæ ſunt. Lepidus cum Antonio hujus anni Conſule ſocietatem inter ſe pacti ſunt, & hic filiam ſuam Lepidi filio nuptam dedit, ipſumque Lepidum patrem conſtituit Pontificem Maximum.

Creatis coss. Hirtio & Panſa an. $^{710.}_{1}$ Lepidus in provinciam à Cæſare decretam abierat, & Antonius, cui Macedonia obtigerat, Galliam ciſalpinam ſibi vendicare cupiens, D. Brutum, hujus provinciæ rectorem Mutinæ obſedit: ſed à Conſulibus, & ab Octavio Cæſare prælio profligatus ad Lepidum ſe recepit, unde ambo in Italiam contra Cæſarem venere, qui ſimul congreſſi in inſula parva fluvii qui præter Bononiam labitur v. Kal. Decemb. ſe æqua poteſtate & ſummo imperio Triumviros R. conſtituendæ in quinquennium renuntiarunt.

Muſſidius Longus T. filius Quatuorvir monetalis an. $^{711.}_{2}$ Lepidi effigiem percuſſit, cum his notis A. P. F. id eſt, argento publicè feriundo, ut monetam ex ærario, non impenſis Triumviri ſignatam eſſe denotaret: addidit Martem Gradivum quidem, nam contra Julii percuſſores bellum decreverant, alter verò eſt Mars tranquillus & mitis ad urbem cuſtodiendam, cujus templum in ea erat; ſed Gradivi in via Appia extra illam prope portam ad arcendos hoſtes. Haſta & Clypeus illius ſunt inſignia.

XXX.

M. LEPIDVS PONT. MAX. III VIR. R. P. C. Caput M. Lepidi

di nudum : in postico latere, L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS. IIII VIR. A. P. F. Duæ dexteræ junctæ caduceum alatum tenentes.

Alter prodit denarius cum M. Lepidi effigie ab eodem Mussidio T. filio Longo Quatuorviro monetali percussus, ex argento publico ad concordiam & pacem inter Triumviros R. constituendæ denotandam, cujus symbola sunt nempe concordiæ, dexteræ illæ junctæ, & pacis caduceus, unde qui pacem denuntiant, ipsi caduceatores appellantur : additæ sunt alæ quia verbis quæ volare videntur, pax pronuntiatur.

XXXI.

Caput, M. LEPIDVS PONT. MAX. III VIR R.P.C. COS. ITER. pone caput lituus : in aversa parte, C. VIBIVS VARVS. Mulier stolata stans, d. victoriam, s. cornucopiæ.

Epigraphe capitis nummum Lepido percussum denotat, anno quo consulatum gerebat cum Planco V. C. 712. dum custodia urbis illi esset commissa, quùm Antonius & Cæsar Dictatoris percussores bello prosequerentur. Mulier togata in posteriore parte, Concordia est, ad illam inter Triumviros arguendam; læva cornucopiæ gerit, ad rerum omnium abundantiam declarandam, sed pro patera solita, victoriæ signum gerit, quam dum nullam in consulatu suo retulit, ad Philippensem spectat, quam Antonius & Cæsar hoc anno de Bruto & Cassio obtinuerunt: Triumviri enim antequam hi Roma proficiscerentur, omnes simul decreverant, teste *Dione, lib.* 47. si qua esset victoria aliunde nunciata, supplicationes seorsim pro victore, at quùm illa esset de hostibus, tunc communis esset : ideò in Lepidi nummis Philippensis fuit etiam signata. De Vibio Quatuorviro Monetali, in ejus gente dicturi sumus.

XXXII.

LEP. IMP. Instrumenta Pontificalia, nempe simpulum, aspersorium, Secespita, & albogalerus : ex altera, ANT. IMP. Præfericulum & gallus gallinaceus.

Hic denarius ad concordiam inter Lepidum & Antonium indicandam signatus est. Insignia Pontificatus maximi quem gerebat Lepidus, exhibet. Simpulum autem vas erat parvum, quo vinum in sacrificiis libabatur à sumendo dictum, ex *Varrone, lib.* 4. *de lingua latina*. Aspersorium, quo aquam lustralem aspergebant, secespita, à secando dicta, instrumentum scilicet ferreum, quo

ad ſacrificia utebantur Pontifices. Apex, pileus erat Pontificis, quia in conum deſinebat, ſic appellatus. Averſa pars ad Auguratum M. Antonii pertinet, præfericulum ſcilicet, vas quidem æneum quo utebantur in ſacrificiis, quod illud præferre ſolebant, apud *Feſtum*; gallus autem gallinaceus exhibetur, quia præter alias aves, iis præſertim utebantur Augures: unde qui eorum cuſtodiam habebat, pullarius erat appellatus.

XXXIII.

Caput Lepidi nudum ſine inſcriptione: ex averſo latere, M. LEPIDVS PONT. MAX. III VIR. R. P. C. Præfericulum, lituus, ſimpulum & culter.

Signa hæc ſunt rurſus Pontificalia, ad ſummum Pontificatus Lepidi Triumviri ſacerdotium denotandum; ſed inſtat *Amicus*, in nummo, inquit, Antonii cum Lepido, præfericulum ad illius auguratum ſpectare diximus, ut & lituum illius ſacerdotii inſigne, quod verum eſt: cur igitur ante vel poſt Julii Cæſaris caput, qui Pontifex Maximus erat, modò præfericulum, modò lituus, & aliquando ambo occurrunt; cui reſpondemus, Pontificem Maximum omnia ſacerdotia in ſe continere, & ideò indiſcriminatim ſacerdotiorum ſymbola illi tribuuntur.

XXXIV.

M. LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. III VIR. R. P. C. circa caput Lepidi, pone verò illud præfericulum: in poſtica parte tripus, cui ſerpens in gyros circumflexus ſe ſuper eum erigit, à dextris lituus, à ſiniſtris ſimpulum, & EX S. C. per tranſverſum.

Tripus etiam ad Pontificatum Lepidi maximum cum aliis ſacerdotalibus ſignis ſpectat; inſtrumentum quidem erat tribus pedibus conſtans; non inſtar eorum, quibus ſuperſedebant Phæbades, dum vaticinari volebant, factum: ſed in horum vertice vas erat concavum, in quo carbones erant accenſi, ſupra quos è patera Pontifex ſuffimentum pro ſacris effundebat, ut obſervare licet in plurimis Imperatorum nummis. At ſi conjicere audemus, eum in hoc denario expreſſum fuiſſe, ad revocanda ſacrificia, quæ Lepidus ut Pontifex Maximus pro victoria de Julii percuſſoribus Romæ fecerat, quod ſerpens victo-

riæ felix augurium & nota EX. S. C. Senatuſconſultum arguens arguere videntur.

XXXV.

LEPIDVS PONT. MAX. III VIR. R. P. C. Caput Lepidi : ex altera, CAESAR IMP. III VIR. R P. C. Caput Cæſaris Junioris.

Effigies Lepidi ab una parte, & vultus Cæſaris ab altera eorum concordiam denotare videtur, & ſi aliqua exterior emicuit, illa notata eſt, quando Lepidum moleſtè ferentem ſe ſua imperii parte ſpoliatum, Auguſtus in Africam miſit, ut narrat *Dio, lib.* 48. ut ſibi cum eo amiciorem haberet, quod à ſe ſolo, & non Antonio, eam Provinciam accepiſſet: nam Cæſar & Antonius ſtatim à victoria Philippenſi Lepidum, qui ejus victoriæ ſocius non fuerat, non ſolùm antecelluerunt; ſed inter ſe Imperium ſtatim partiti erant, ac Cæſari quidem Hiſpania & Numidia, Antonio Gallia & Africa aſſignatæ ſunt, ea tamen conditione, ut ſi id animo iniquo Lepidus ferret, Africa ei cederetur.

XXXVI.

M. LEPIDVS IMP. ITER. PONT. MAX. III VIR. R. P. C. Caput Lepidi, pone quod lituus : ex altera parte, SALVS PROVINCIARVM AFRICAE S. C. Lepidus in equo, pacificatoris habitu.

Africa Lepido ab Auguſto data, duas, ut diximus, provincias, nempe Numidiam, & alteram propriè Africam complectebatur. T. Seſtius qui illam regebat, Antonii rebus ſtudens, Cornuficium & Lælium pro Cæſare in hac ſtantes debellaverat, & poſt pugnam Philippenſem Fulviæ Antonii uxoris inſtinctu Phangone & Arabione deletis & mortuis, ſolus Africam iterùm occupavit uſque ad Lepidi adventum : Seſtius autem Lepido, quem ex Antonii ſententia advenire exiſtimans, ſive quod longè majores is copias haberet, non repugnavit, id quod neceſſariò faciebat, gratificari Lepido ſimulans, quievit : Lepidus itaque utramque Provinciam recepit in ſuam poteſtatem, quòd ubi reſcivit Senatus, denarium hunc in Lepidi honorem percuti curavit, Pacificatoris habitu, & quaſi ob tot in his provinciis ſeditiones fuiſſet Africæ ſalus.

XXXVII.

LEPIDVS PONT. MAX. III VIR. ITER. R. P. C. Caput Lepidi, hinc lituus, inde urceus: in altero latere, P. SEPVLIVS MACER Tripus inter duas fasces cum securibus.

Sepulius Macer Quatuorvir monetalis Lepidum exhibet, postquam in alterum quinquennium Triumviri Reipublicæ constituendæ causa se denunciaverant, primùm autem quod pridie Kal. Jan. Ap. Claudio & C. Norbano coss. exire debebat an. 715 non aspectarunt, ne adversariorum spem erigerent. Adjecit lituum & urceum ad summum sacerdotii gradum indicandum, quo Lepidus gaudebat. Tripus in aversa parte ad Pontificatum maximum etiam spectat, ut suprà diximus. Fasces cum securibus summam Triumvirorum ut Consulum denotat, quùm jus vitæ & necis haberent illi primi magistratus.

XXXVIII.

PAVLLVS LEPIDVS CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: in aversa parte, PVTEAL. SCRIBON. LIBO. Ara encarpiis ornata, in cujus imo malleus.

De Paullo Æmilio Lepido ex Æmiliorum familia quæ Paulli cognomen tulit, suprà diximus, quùm nummos in L. Æmilio, qui de Perseo Rege triumphavit, retulimus, & quia ab illo originem ducebat, aliquot denarios ipsius egregia facta renovantes percussit: nunc de illo ordine suo agimus, nam à M. Æmilio Lepido Triumviri patre adoptatus, M. Lepidum Triumvirum pro fratre per adoptionem habuit, & in ejus memoriam usus est cognomine pro prænomine, & sic appellatus est PAVLLVS AEMILIVS LEPIDVS, porrò ut Lucius nominabatur, Lucii & non Paulli filium se nuncupavit; ille Concordiæ caput signavit, ad concordiam cum fratre arguendam expressit, & L. Libo, qui denarium percussit, ad antiquitatem nominis sui revocandam, puteal, de quo in Scribonia gente dicturi sumus, exhibuit.

XXXIX.

Caput Libertatis laureatum & velatum: in averso latere, AEMILIA REF. id est, *refecta*, S. C. M. LEPIDVS. Basilicæ Æmiliæ prospectus.

Ad

Ad M. Lepidum pertinere denarium demonſtrat Epigraphe,
non quidem ad Triumvirum, ſed ad filium ejus fratris adoptivi
qui Paullus prænomen accepit, de hoc ait *Cicero ad Atticum lib.*
4. duas baſilicas, veterem reſtituit, novam magnificentiſſi- ,,
mam extruxit. M. ejus filius Quæſtor in memoriam patris ,,
hunc denarium percuſſit cum proſpectu refectæ Baſilicæ, ut in-
ſcriptio docet, AEMILIA REF*ecta*, additur S. C. quia refecta eſt
decreto Senatus. De Baſilica nova, quam pater, *Dione* teſte *lib.* 49.
pag. 416. perfecit, non nobis ſuperſtites ſunt denarii, Porticum, ,,
inquit, quæ Pauli dicitur, Æmilius Lepidus Paulus propriis ,,
impenſis perfecit, & in conſulatu ſuo, gerebat enim eum cum in
parte iſtius anni $^{719.}_{20}$ dedicavit. Unde novimus eum bis conſulatum
egiſſe, nam primum inierat cum Claudio Marcello an. $^{703.}_{4}$ & poſt
duos illos conſulatus, Auguſtus eum Cenſorem cum Munatio
Planco nominavit an. $^{731.}_{2}$ in quo magiſtratu mortuus eſt.

Idem *Dio* ad annum $^{735.}_{40}$ inquit, Paulli porticus incendio ab- ,,
ſumpta eſt, igniſque ab ea ad Veſtæ ædes uſque graſſatus eſt. ,,
Hæc poſteà porticus verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, ,,
qui primus hanc fecerat, genus ſuum trahebat, re autem ab ,,
Auguſto & Paulli amicis refecta eſt: ſed hic denarius ad hoc tem-
pus non ſpectat, ut putat Amicus, quia non ampliùs denarii cum
familiarum nominibus niſi Triumvirorum monetalium, & qui-
dem cum Auguſti effigie, nec minus ſub Tiberio quo iterùm ex
Tacito ab alio Lepido refecta eſt, percuſſus eſt denarius, ut *Ful-
vius* arbitratur. Caput Libertatis à M. Lepido L. filio expreſſa
quidem eſt, quùm illa adhuc quo tempore ſignatus, non om-
nino extincta adhuc eſſet.

X L.

II VIR. Caput Jovis Capitolini laureatum: ex averſo latere. M.
LEPIDVS L. F. in vertice, COL. JVL. AVG. Colonus capite velato
agens boves, d. ſtivam, ſ. flagrum.

Ab eodem M. Lepido L. filio percuſſus eſt nummus, quùm
Duumvir deducendæ coloniæ ab Auguſto nominatus, & ut ſolus
nominatur, ideò deductionis ejus princeps fuiſſe videtur, ab il-
lo fuit in honore habitus, nempe vir moderatus & ſapiens, &
ad conſulatum perductus an. $^{757.}_{8}$ Tot autem colonias conſtituit

 Augu-

Auguſtus, ut quæ ſit illa Julia Auguſta in nummo ſcripta, igno-
„ ratur, *Lapis Ancyranus* de illo ſic ait. Unus & ſolus omnium
„ qui deduxerunt colonias militum in provincias ad memoriam
ætatis meæ, tamen ex illius Juliæ Auguſtæ inſcriptione unam fuiſſe ex iis quas Julius Cæſar in tabellis deſignaverat ante mortem. Caput Jovis Capitolini in anteriore parte expreſſum eſt, quod in coloniis Romanis illius cultus conſtituebatur. Colonus agens boves, coloniæ deductæ ſymbolum ut videre eſt in noſtro coloniarum libro.

XLI.

REGILLVS. Caput Junonis caprina pelle amictum : ex averſa parte, L. AIMILI. M. F. PR. P. figura togata in quadrigis triumphalibus, d.equorum habenas.

Deſcriptis Æmiliæ gentis in Lepidorum familia nummis, hunc tandem alterius nempe Regillorum proferimus, quem ad L. Æmilium L. filium Regillum pertinere nos docet ejus epigraphe: Marcus autem pater Lucii, Flamen Quirinalis & Prætorius apud *Livium*, *lib.* 34. indigitatur & Conſul cum T. Otacilio 538. 9 adverſus Annibalem, diſſuadente Q. Fabio Maximo magiſtratum tamen non iniit : Scipione verò Conſule an. 549. 50 deceſſit, relictis duobus filiis L. & M. Æmiliis Regillis.

L. Æmilius primò Quæſturam accepit an. 556. 7 Præturam verò peregrinam 563. 4 claſſem contra Antiochum Syriæ Regem ſortitus obtinuit, quam C. Livius Prætor habuerat, in Provinciam veniens, adjuncto ſibi Rhodiorum auxilio, ad Myoneſum navali prælio Polyxenidam claſſis regiæ Præfectum profligavit, & poſſeſſione maris expulit, ut narrat *Livius*, & anno ſequente Romam rediit, extraque Urbem in Æde Apollinis Senatus illi datus eſt, & auditis ejus rebus, cum quantis hoſtium claſſibus dimicaſſet, quot inde naves demerſiſſet, aut cepiſſet, magno conſenſu Patrum triumphus ei eſt decretus.

Ille in denario quadrigis triumphalibus invehitur, ſcipionem eburneum, in cujus apice erat aquila, inſigne triumphantium gentes, ad æternam ſplendidiſſimi ejus de Antiocho Rege triumphi, quem legere eſt apud *Livium lib.* 37. M. Æmilius ejus frater cum eo profectus Sami, ante ejus victoriam deceſſit. Cur

autem

autem Junonis Sospitæ caput denarii partem occupat; illa dea videtur diem, qua triumphum egit Romæ L. Regillus, denotare. Si quidem *Fasti* eum Kal. Feb. triumphasse referunt.

L. AEMILIVS M. F. N. REGILLVS PRO. PR. AN. DLXIV. DLXV. *Varr.* NAVALEM EGIT DE REGE ANTIOCHO. KAL. FEBR.

Kalendis autem Februariis festum erat dedicationis templi Junonis Sospitæ, ut fert Kalendarium, de quo ita canit *Ovidius.*

Principio mensis Phrygiæ contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.

XLII.

Caput Apollinis laureatum, SCAVRVS: in postica Pegasus, sub cujus pedibus crescens luna, M. AIMILI. M. F.

Tam illustris Æmiliæ gentis tot fuerunt stirpes & quidem insignes, ut inter Scauros emicuerit præsertim M. Æmilius Scaurus qui Consul triumphalis, princeps Senatus & Censor fuit. Is quùm neque Marcus pater, neque avus, neque etiam proavus honores, ob rei familiaris tenuitatem adepti essent, autore *Pædiano,* dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret, sed eloquentiæ consultus ex ea gloriam peperit.

Is Ædilis fuit anno 630. quem in hoc magistratu magis juri reddendo quàm muneri edendo studuisse, testatur, *Victor de viris illustribus cap.* 72. quia cùm hos ex officio facere debebat, eorum magnificentiam nihil auxit, gratiam sibi justitia atque æquitate tantùm comparans. Prætor deinde factus Urbanus, an. 633. ludos Apollinares celebravit, cum aliis Prætoribus qui iis præsunt, quandoquidem hi ex publicis impensis eduntur. Prætor in Circo Maximo cùm facturus est, edicit ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferat. Vulgò apertis januis in propatulo epulantur.

Scaurus in memoriam ludorum Apollinarium quos ut Prætor celebraverat, caput ipsius Apollinis exhibuit, uti plures alii Prætores eam ob rem iterùm signaverant, in hac familiarum Historia observare est. In aversa parte Pegasum cudit, Apollini alludens Musarum comiti, imò & patri, quarum Pegasus Symbolum est, hic enim in Helicone Boetiæ monte, in quo habitabant soro-

ſorores, ungula ſaxum feriens illis fontem aperuit, qui ex ejus nomine Hippocrene eſt dictus, inde Pegaſus in aërem evolans inter aſtra conſtitutus eſt, quod indicat creſcens Luna ſub ejus pedibus, ad denotandum illam ei eſſe inferiorem, de quo *Aratus*

Sed Pegaſus æthere ſummo
Veloces agitat pennas, & ſidere gaudet.

Pegaſus famæ ſymbolum dicitur, apud *Fulgentium*: ideò alas habet, quia volat.

XLIII.

Caput Mercurii cum galero alato, ante quod ſpica in averſa quadrigæ aurigante victoria d.coronam, M. AIMILI M. F. SCAVRVS.

Sequitur alter M. Æmilii Scauri denarius, quem in triumphi ſui de Gallis Karnis memoriam ſignari juſſit, is poſtquam conſulatum cum M. Cæcilio Metello geſſiſſet, anno V. C. 638. Conſulibus decretæ ſunt provincia Gallia atque Sardinia. M. Scaurus Galliam ſortitus eſt, Cæcilio Sardinia. Novi in Gallia exorti ſunt tumultus, Gallia hæc erat comata, quam Karni inhabitabant Venetis vicini, eorum regio hodie *Carniola* dicitur, eos celeriter domuit Scaurus, cujus rei index eſt etiam victoria in quadrigis, quam ſignare ſolebant, quùm haud valdè difficilem expeditionem habuerant, ſic habet *Marmor Capitolinum.*

M. AEMILIVS M. F. L. N. SCAVRVS COS. A. DCXXXIIX.
DE GALLEIS KARNEIS V.

Poſtica nummi facies exhibet Mercurium galero alato ornatum, quem peculiari cultu colebat Scaurus, quùm inter alia ejus attributa dictus eſſet deus facundiæ, quod hominibus eloquentiam præſtare putabatur: nam Scaurus, ut ſuprà diximus ex *Aur. Victore*, „ eloquentiæ conſultus ex ea gloriam peperit: Mercurii autem ga- „ lero alas addunt veteres, volucrem per aëra ferri ſermonem ſignificare volentes.

Nobis ſupereſt ut de ſpica ante illius caput exurgente dicamus; illa videtur regionis, quam domuerat Scaurus, fertilitatem frumentique copiam indicare. *Pighius* autem Celtica lingua vetere, quam eamdem cum Germanica fuiſſe putat, voce, (*Karnen*) grana ſignificari refert, hæc Germanis adhuc etiam tempo-
ris

ris tenuiore tamen cum pronunciatione in uſu eſt.

Scauri cognomen ab inſigni tumore & pravitate talorum deſumptum videtur, quo laboravit hujus ſtirpis autor, ad poſteros tranſiit : Hi enim *Grammaticis* Scauri dicuntur, vel *Horatio* teſte, *l. Serm. Sat.* 3.

.... Scaurum, pravis fultum malè talis.

XLIV.

M. SCAVR. AED. CVR. in imo, REX ARETAS, per tranſverſum, EX S. C. Camelus, ad cujus pedes Rex genuflexus ramum profert. In altera, P. HYPSAEVS AED. CVR. in imo, C. HYPSAEVS COS. PREIVER. CAPTV. Jupiter in quadrigis currentibus, d. fulmen ſ. habenas.

Marcus ille Scaurus, qui denarium cudit, ſe Marci filium inſcribit, re quidem vera, quùm filius fuerit M. Scauri principis Senatus, cujus ſupra nummos exhibuimus, is Pompeii in Aſia & Mithridatico bello Proquæſtore fuit, anno V. C. 690. confectis deinde rebus & Syria in provinciam Romanam redacta, Pompeius Scaurum ad tempus ei præfecit, relictis duabus legionibus an. $^{691.}_{2}$ anno ſequente $^{692.}_{3}$ bellum Arabibus intulit, & Aretam eorum regem ad pacem impulit : anno $^{694.}_{5}$ accepto ſucceſſore L. Marcio Philippo viro Prætorio à Senatu miſſo, Romam rediit, Ædilitatem poſteà petiit & obtinuit.

Scaurus & Plautius anno $^{695.}_{6}$ Ædiles curules creati, in rei memoriam communi nomine ſignarunt, hinc & inde AED. CVR. Celeberrima quidem fuit Scauri ædilitas, ob raram ludorum & muneris magnificentiam, de qua lege *Autores*; ſed illa tanta magnificentia geſta eſt, ut in ejus impenſas abſumpſerit opes ſuas, magnumque æs alienum contraxerit, primus hippopotamos Romæ exhibuit, nihil quidem de tam celebri Ædilitate in denario expreſſit, ſed Aretam Arabiæ regem ad pedes ſui cameli ſupplicem cum oleæ ramo, quaſi pacem à Romanis poſtulantem, de quo vide *Joſephum*, qui ait eum trecenta talenta dediſſe, ut Scaurus exercitum ex Arabia deduceret.

Prætor anno $^{697.}_{8}$ factus, quæſtionem inter ſicarios ſortitus anno $^{698.}_{9}$ Sardiniam Proprætor obtinuit, anno $^{699.}_{700}$ è provincia redux ad conſulatus petitionem, Sardis conquerentibus à P. Va-

lerio Triario postulatus est repetundarum; sed ob vetustissimam nobilitatem & recentem memoriam patris absolutum, refert *Pædianus in argum. orationis, quam Cicero habuit in Scauro defendendo.*

XLV.

L. BVCA. Caput Veneris in postica parte; Sulla dormiens, adest Diana cum Luna crescente in capite, velo circumdata sedens in nubibus, ut videtur, in medio stat Victoria, d. palmam gerens, in imo litteræ incognitæ.

Atque ut omnes Æmiliæ Gentis familias absolvamus, denarios ecce Æmilii Bucæ. Hic qui denarium cudit, L. BVCA appellatur, at quia ejus filius ejusdem prænominis L. Buca Quatuorvir monetalis sub Julio Cæsare fuit, *Fulvius* existimavit eum hunc denarium signasse, quem ideò in Julia gente reposuit. *Tristanus* noster ut & *Patinus* ex eo ad Cæsaris originem retulerunt, & ipsis Venus ad Anchisen in Ida monte jacentem deduci à Genio Romanæ gentis visa est, cujus interventu compressa Venus Æneam edidit; sed ipsa Diana est ut Luna bicornis in ejus capite denotat, & ad Corneliam gentem pertinet ut & ad Æmiliam, ad Corneliam quidem quia somnium Sullæ exponit.

Plutarchus in vita Sullæ pag. 457. narrat, quùm ille è Nola movisset an. 671½ exercitum quidem promptum videbat ad petendam Romam, sed fluctuabat animo secum & timebat periculum, & Posthumium aruspicem victoriam illi portendisse, & inquit. „ Dicitur etiam ipsi Sullæ in somniis se obtulisse „ dea, quam ex disciplina Cappadocum Romani colunt, sive ea „ Luna, sive Minerva, sive Bellona sit. Hæc Sullæ visa est as„ sistere, & fulmen ei tradere, jussisseque singulis nominatis inimi„ cis ejus ferire: & C. Sulla ostento erectus Romam contendens ea potitus est cum victoria; in cujus memoriam L. Buca pater ut Quæstor ejus hunc denarium percussit, qui Dianam quæ eadem est cum Luna, ut symbolum ejus supra caput demonstrat, & sic Minervam & Bellonam excludit; signavit, & victoriam adjecit tamquam assistricem Sullæ.

Caput Veneris in anteriore denarii parte expressum est, ut numen Sullæ tutelare quod summo cultu venerabatur, quùm se Epaphroditum ex *Plutarcho* appellaret. Litteræ in imo denarii incogni-

cognitæ an *Scalptoris* ignorantia, ut ſæpè ſolet? an nomen deæ, lingua quadam vetere exprimat. Vide in Cornelia gente.

XLVI.

L. AEMILIVS BVCA. Julius in ſuggeſtu togatus adloqui videtur; hinc Faſcis cum ſecuri, inde Aquila legionaria: in imo, DIC. III. ex averſa parte IMP. IIII. Cæſar in quadrigis triumphalibus, d. lauri ramum, ſ. habenas equorum.

L. Æmilius Buca L. Æmilii Bucæ filius Quatuorvir monetalis factus, quùm ex Africa redux Julius Cæſar magiſtratus minores auxit; ex *Suetonio,* hunc denarium initio anni 708/9 dum unuſquiſque munus inire incipit, percuſſit, quod nos, IMP. IIII. titulus edocet, quem de Africa tulit, & triumphum egit, ut teſtantur *Marmora Capitolina.*

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR IV. COS. III. ANN. DCCVII. DCCVIII. *Varr.* EX AFRICA DE IVBA REGE.

Ipſe in quadrigis triumphalibus vehitur, d. lauri ramum ob victoriam gerit; in anteriore verò parte in ſuggeſtu ſtat alloquens, ut innuere videtur *Dio, lib.* 43. dum ait, Cæſar poſtquam Romam advenit, ſuamque potentiam Romanis, & animi altitudinem ſuſpectam eſſe, eoſque ſibi de ipſo non minora, quàm olim perpeſſi fuerant, mala polliceri; itaque non benevolentia erga ipſum motos, ſed adulandi cauſa immodicos iſtos honores decreviſſe: conſolandi eos, inque ſpem adducendi gratia, hæc in Senatu verba fecit, &c.

Inſcribitur DIC*tator* III. quam Dictaturam in decennium illi, videlicet poſt Africanam victoriam, decreverunt: at ipſa die quo erat accepta numerabatur, ut poſteà Tribunicia poteſtas Imperatorum: unde bis in anno numeratur aliquando. Faſcis cum ſecuri ſummæ potentiæ, ut ſæpè diximus, inſigne eſt, Aquila verò legionaria ſummi exercitus ducis ſymbolum. De L. Buca in ſequentibus.

XLVII.

CLEMENTIA L. BVCA. Caput Clementiæ, ante quod lauri ramus: ex averſo latere, C. CAESAR PARENS PATRIAE. Templum

rotundum, in quo Clementia ſupra cippum ſtans, d. cornucopiæ ſ. haſtam puram, in imo, EX. S. C.

Quùm Julius Cæſar multis, qui contra eum bellum geſſiſſent, ignovit, ut legere apud *Hiſtoriæ Scriptores*, ideò *Plutarchus in ejus vita*, inquit, „ Ac Clementiæ quidem ædem tunc non immeri-„ tò ad honorandam lenitatem Cæſaris decreviſſe eos dicas. Quippe „ hoſtibus ſuis multis ſalutem dedit, nonnullis honores & ma-„ giſtratus, velut Bruto & Caſſio, addidit. In cujus rei memoriam L. Buca hinc Clementiæ deæ caput expreſſit, & ex altera parte ejus templi icônem exhibuit, de Clementia ita *Claudianus* :

Nonne vides ut noſtra ſoror Clementia, triſtes
Obtundat gladios.

Onuphrius de illo templo ſic ait; Templum Clementiæ Cæſaris, qua regionis parte reponeretur, non liquet, illud tamen agnoſcit.

XLVIII.

CAESAR IMP. P. M. Caput Julii Cæſaris laureatum, pone quod Luna creſcens: ex averſa parte, L. AEMILIVS BVCA. Venus Victrix ſtans, d. Victoriam, ſ. haſtam.

Ex ſuperioribus denariis L. Bucam ex Æmiliorum familia fuiſſe non liquet, quùm tantùm ejus cognomen inſcriptum eſt, ſed in hoc L. AEMILIVS BVCA nominatur, eumque ut propinquum adfuiſſe L. Æmilio Scauro reo narrat *Aſconius Pædianus in arg. Orat. quam Cicero habuit pro illo*, his verbis : ad genua judicum, „ quùm ſententiæ ferrentur bifariam ſe diviſerunt, qui pro eo „ rogabant : ab uno latere Scaurus ipſe; & M. Glabrio ſororis „ filius & Paullus, & P. Lentulus, Lentuli Nigri Flaminis filius, „ & L. Æmilius Buca filius, & C. Memmius Fauſto natus ſuppli-„ caverunt : ex altera, &c.

Creſcens Luna pone caput Cæſaris nobis magni momenti eſſe videtur, quippe nihil fruſtrà in denariis ſignatur, illamque ob annum à Julio Cæſare reformatum ac reſtitutum fuiſſe expreſſam rerum; cujus rationem *Dio* afferre videtur, „ jam, inquit, quùm „ annorum dies invicem ſibi non ſatis congruerent, (eo enim „ tempore etiamnum Lunæ revolutionibus menſes æſtimabant) an-

annum constituit, intercalatis septem ac sexaginta diebus. Imperator appellatur honoris loco non addito numero. Litteræ P. M. Pontificatum ejus Maximum notant. De Venere Victrice vel Genitrice in sequente denario.

XLIX.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Julii Cæsaris laureatum: L. BVCA. Venus Victrix stans ut suprà.

L. Buca Quatuorviratus monetalis magistratum anno 708/9 quo Julius Cæsar ex Africa redux anno superiore Dictaturam tertiam inierat, ideò in primo ejus denario ille inscribitur, DIC. III. at quùm hoc anno quarta Dictatura illi fuisset decreta, *Dio*, inquit, *lib.* 43. „ non ut ad tempus Rempublicam constitueret, sed ut quamdiu „ viveret, potestate Dictatoria regeret & administraret, quare à „ L. Buca dictus est DICT. PERPETVO. Sed post ejus mortem Consules legem tulere, ne quis in posterum Dictator crearetur, execrationesque addidere, ac mortem ei qui mentionem Dictaturæ fecisset, aut eum magistratum in se recepisset, pecuniamque ei qui talem occidisset, constituere, & sic abolita est Romæ Dictatura.

Signum Veneris in posteriore denarii parte expressum à L. Buca videtur, quòd Julius Cæsar ab ea originem trahere gloriaretur, & templum hoc anno dedicasset, de quo *Dio Cassius*. „ Forum verò & templum Veneris (quam sui generis autorem ferebat) à se con- „ ditum Cæsar statim tunc consecravit: multa ibidem & varia „ spectacula edidit.

L. LI.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Alter sine epigraphe: in utroque latere averso Fascis & caduceus, decussatim, globus, duæ dexteræ & securis, in ambitu.

Hos denarios mirè explicat *Fulvius in Julia gente*, Globus, inquit, imperium quidem totius orbis terrarum Cæsari delatum, Fasces, justitiam, Dextræ concordiam cum Senatu scilicet, Caduceus, pacem, Securis religionem significare videntur, quæ omnia Cæsar, ut est apud *Dionem, lib.* 43. *in ejus oratione ad Senatum* P. Romano in Reip. gubernatione se præstiturum pollicitus fuerat.

LII.

CAESAR IMP. Caput Julii laureatum: ex altera parte, L. AEMILIVS BVCA IIII VIR. Duæ dexteræ junctæ.

Iterùm prodit Julii Cæſaris caput ab Æmilio Buca, cum titulo IMP*eratoris* ſolo, percuſſum: non enim eo modo, quo appellabantur omnes qui alicui bello præerant, quùm acclamatione inclytum re benè geſta, atque aliquot millibus hoſtium cæſis, aut Senatus decreto hunc titulum ſemel, bis, aut ter, erant conſecuti: ipſe enim Cæſar Imperator ſextùm vocatus erat; ſed pro prænomine accepit, ut autor eſt *Suetonius, in illius vita*, cap. 76. „ Prænomen, in„ quit, Imperatoris, cognomen patris patriæ ſumpſit.

Duas dextras junctas concordiæ ſymbolum eſſe quis neſcit, ſed cur in Julii Cæſaris nummo expreſſæ, haud dubiè cum Senatu, qui ei tam multos decrevit honores, apud *Hiſtoriæ Scriptores*.

LIII.

PAXS. Caput muliebre: ex altera parte, L. AEMILIVS BVCA IIII VIR. Duæ dexteræ junctæ.

Caput deæ Pacis in hoc quinario L. Buca exhibuit, ad indicandam eam quam cum Senatu habere optabat Jul. Cæſar: nam ipſe pacis ſtudioſus ſemper fuit, & eam ſæpè cum Pompeio fruſtrà tentavit, uti narrat *Appianus lib. 3. de bello civ.* ſed illam ſummoperè deſideraſſe demonſtrat apud *Dionem lib. 42. in oratione, quam habuit in Senatu poſt Scipionem & Catonem in Africa debellatos Romam redux.* „ Pro„ inde, ait, confidenter P. C. in gratiam redeamus, omniumque „ quæ neceſſitas quædam divinitùs impoſita attulit, recordatione projecta agedum omni ſuſpicione omiſſa, mutuo amore nos invicem complecti, tamquam novos incipiamus.

Vox Paxs antiquam Romanorum ſcripturam oſtendit, ut Maxſumus & alia verba.

LIV. LV.

CABE. Caput muliebre in poſtero latere, LEPI. Cornucopiæ in laurea.

COL. Caput galeatum, CABE ex altera parte, caput muliebre idem in laurea.

De priore nummo, ſcribit *Fulvius*; Cabæ, ut opinor cuſus fuit,

fuit quæ civitas est Africæ provinciæ, cujus administratio, diviso in Triumviratu imperio, M. Lepido obtigerat, ex averso corona Lepido decreta est, & Cornucopiæ ad indicandam loci ubertatem, impressum est: sed sequentem protulit *Patinus* ex eadem, ut videtur urbe.

De posteriore addit *Fulvius*, „ hancque coloniam fuisse facit, ut credam, octavus nummus litteris COL. scriptis: Nos verò Ca- „ bam Africæ urbem non coloniam accepisse remur, sed hos nummos ad coloniam Cabellionum, quam *Ptolemæus lib. 2. cap. 20.* collocat in Gallia Narbonensi apud Cavaros, hodie *Cavaillon*, spectare arbitramur , quæ antequam Lepidus in hanc provinciam abiisset, deducta erat , & ita nummi ad Æmiliam gentem non attinent, etsi vox LEPI, uno vocabulo , vel forsan diviso. LE. PI.

Caput muliebre videtur esse deæ illius coloniæ, ad quam pertinet corona in qua expressa est. Caput verò galeatum , fortasse Martis, qui in Gallia summo honore colebaur.

LVI.

Caput M. Antonii, pone quòd labyrinthus, C. I. N. C. EX DD. id est, *Colonia Julia nova Carthago.* Ex aversa parte caput Augusti, M. AIMILIO T. FVFIO. II VIR. Idem est subsequens tertius Q. tab.

Patini nummos ex integriore resarcimus in nostro *de Coloniis libro pag.* 10. & præsertim *pag.* 38. ubi M. Antonii & Augusti capita exhiberi diximus, à colonis Novæ Carthaginis in Hispania Tarraconensi percussa, postquam Lepidus imperii parte privatus est à pugna Philippensi, & ipsi ut concordes novis provinciis gauderent, ideò M. Æmilius & T. Fufius Duumviri in eorum honorem hunc nummum devoti percusserunt, sed quis ille M. Æmilius fuerit, difficile est pronuntiare, an ex illa Æmilia gente nobilissima, an aliquis ex ea libertus , ideò ejusmodi nummi inter Consulares haud reponendi sunt.



A F R A N I A.

AFRANIA gens plebeia fuit, cujus frequens mentio apud *Scriptores*, ſi quidem C. Afranius C. filius tribunus plebis renunciatur an. $^{591.}_{2}$ & ædilis plebis $^{594.}_{5}$ cujus pater Prætor fuerat $^{568.}_{6}$ quùm Prætores ex plebe jam ab anno $^{416.}_{7}$ creati fuiſſent.

I.

Caput Romæ galeatum, ex altera S. AFRA. ROMA. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. equorum habenas.

Spurius Afranius qui denarium hunc argenteum cudit à *Pighio* exiſtimatur Quæſtor Urbanus fuiſſe anno $^{760.}_{1}$ quia etiam ſequentem percuſſit æreum primæ formæ nummum, publicæ vulgatæque ſignatura, nempe cum Victoria bigas agente, & Jano bifronte in altero. Primis enim temporibus, nempe annis quinque ante primum bellum Punicum, argenteos nummos auctis opibus ſignare cœperunt Romani, in iisque Romæ capite galeato ab una parte expreſſo, & in poſtica modò bigis & quadrigis eas agente Victoria, unde hi denarii dicti ſunt Bigati & Quadrigati imò & Victoriati, qui decem aſſes valerent: ex his autem Spurius ille Afranius vetuſtior eſſe poſſet, quàm exiſtimat *Pighius*; ad ſequentem tranſeamus.

II.

Caput Jani bifrons, ex altera parte, S. AFRA. navis.

Ab eodem Sp. Afranio nummum hunc æneum fuiſſe percuſſum indicat eadem, S. AFRA. inſcriptio, ſed illius pondus ex duabus unciis conſtans ſextantarium eſſe, ſextam nempe aſſis partem: quùm autem bello Punico primo impenſis non ſufficeret, aſſes librales imminui cœpere, &, ut refert *Plinius lib.* 33. *cap.*,, conſtitu-,, tum ut ſextantario pondere ferirentur, poſteà autem An-,, nibale urgente Q. Fabio Maximo Dictatore, unciales facti ſunt: poſſetque inter utrumque tempus Afranius in magiſtratu ſuo ſextantarium illum aſſem cudiſſe.

Janus bifrons depingitur, quod ſuperorum & inferorum janitor

nitor ſit, ſeu, quod ait *Servius*, Romulum & T. Tatium quùm in fœdera convenirent, ſimulacrum duplicis frontis effeciſſe, quaſi ad duorum populorum imaginem. Numa poſteà Janum conſecravit, ut narrat *Plinius*, tamquam pacis bellique indici ei templum dedicavit; & ut primus æs rude ſignaſſe dicitur, in illo ejus bifrontis effigiem percuſſit: vel Jani Italiæ olim regis ſequutus eſt exemplum, hinc viſa narrat *Macrobius*.

Nam in averſa Jani ſignati navis. Sic narrat ille, *Saturnal. lib.* 1. Quùm Janus Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio & „ ab eo edoctus peritiam ruris ferum & rudem ante fruges cogni- „ tas victum in melius redegiſſet, regni cum ſocietate remunera- „ vit. Quùm primus quoque æra ſignaret; ſervavit & in hoc Sa- „ turni reverentiam ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex „ una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera verò navis expri- „ meretur; quo Saturni memoriam in poſteros propagaret.

III.

Caput Mercurii cum galero: in averſa parte navis cum duobus globulis infrà, s. AFRA.

Ad eumdem Sp. Afranium ſpectat nummus æreus minutus, cum duobus globulis notatus ad indicandum ſextantem valere, id eſt pro duabus unciis, etiamſi minor eſſet pondere, ob rationem ſuprà allatam de diminutione monetæ in primo & ſecundo bello Punico. Mercurius in anteriore parte tamquam deus mercium creditus; nam *Feſtus* ait, Mercurius à mercibus dictus eſt: hunc etenim negotiorum omnium exiſtimabant eſſe deum; at moneta commercii nervus eſt, illa autem omnes emuntur merces.

Pondus illius ſextantis ab Afranio percuſſi, ſextantarii partem eſſe ſextam demonſtrat, & nummum in prima monetæ diminutione percuſſum arguit: nam ſextans, poſt diminutionem in ſecundo bello Punico inſtitutam, longè minor & levior, ut eorum quoſdam nobis obſervare licuit.

IV.

Caput Romæ galeatum, in averſa, L. AFRA. ROMA. Victoria in bigis, d. flagrum.

L. Afranius qui denarium cudit, Auli filius perhibetur à *Cicerone epiſt. ad Atticum, lib.* 1. de quo ait, uno vitio minùs vitio- „

ſus, quod iners, quod ſomni plenus, quod imperitus, quod ἀπεραχτότολος, καχέκτη, ex Spurii Proqu. Afranii progenie ut videtur ortus. Pompeii M. in Aſia legatus, quem reliquit ad præſidium Armeniæ, & ipſe poſteà ſubjugavit Arabas qui Amanum incolebant, eum poſteà Romam miſit, ut conſulatum peteret, & ut refert *Plutarchus*: „ Intereà quærens Pompeius Afranium conſulem faceret, nummos pro eo in Tribus pronuntiavit, atque ad eos accipiendos venerunt in hortos Pompeii, ſperans per eum omnia quæ habebat in animo confecturum, ut tradit *Dio*, 37. *lib.*

Conſul itaque fuit cum Q. Cæcilio Metello Celere, V. C. 693. & licet *Cicero* Afranii conſulatum Pompeii ὑπώπιον vocet, nihil ei adjumento fuit, quippe, ut ait *Dio*, ſaltationibus homo quàm rebus gerendis aptior, poſteà legatus Pompeii in Hiſpania cum Petreio pacem petere, & copias ſuas dimittere per Cæſarem coactus eſt: unde poſteà apud Pompeium proditionis accuſatus eſt, victo tandem Pompeio ad Catonem fugit in Africam, nullam in Cæſare ſalutis ſpem habens, quod vita à Cæſare donatus, iterùm arma contra eum cepiſſet; at poſt pugnam Thapſitanam quùm victoriam retuliſſet Cæſar, Afranius fuga in Mauritaniam perlatus à Sittio comprehenſus cum Fauſto Sylla, eos indicta cauſa Cæſar tamquàm captivos occidit.

Afranius ſimilem denarium quem Spurius cuderat, & ipſe ſignavit ad denotandam generis ſui ab eo antiquitatem.

Tertium *Urſini* denarium ex Afranii familia ſuſtulimus, quòd ille ſit nummus Gothicus, & litteris ignotis, ut alii frequenter occurrunt.

AN-



A L B I A.

GEns Albia quæ ab albo corporis habitu dicta videtur ut Albinus, plebeia fuit, ſi quidem C. Albius anno 562/3. Tribunus Plebis renuntiatur, ut & Sextus Albius ejus nepos an. 635. quem etiam magiſtratum plurimi geſſerunt eorum poſteri. Carrinas illis cognomen fuit, an quod in Carinis Romæ maneret: nam Carinæ loci nomen fuit, quo in loco Pompeius M. ædes habuerat. *Cicero* Sext. Albium vocat Quirinatem, an pro Carinate? unde illi à quiri, ſeu haſta Sabinis, ut Romulus dictus Quirinus quòd ea ſemper uteretur, datum cognomen Carinas.

I.

Caput Jani bifrontis: ab altera, C. CARRIN. ROMA. navis.

Caius ille qui tantùm ſuo Carrinatis cognomine in nummo inſcribitur, Albius eſt: nullam enim gentem præter Albios reperimus cum eo cognomine, ſi ſecundum *Oratorem* ſub Caligula dictum Carrinam excipias, qui forſan ex hac erat familia. Nummus pondere ſextantarius, nempe duarum unciarum primo bello Punico percuſſus videtur, ut fuerunt illi ejus ponderis, & ſic ad Caium Albium, qui pater fuit C. Albii Tribuni Plebis an. 562/3 ſpectaret: nam ſecundum bellum Punicum, in quo unciales facti ſunt aſſes, cœpit tantùm an. 535/6 De Jano bifronte & navi in averſa parte vide in Afrania.

II.

IMP. CAESAR DIVI IVLI F. Caput Auguſti nudum. C. CARRINAS C. F. PROCOS. Victoria ſupra proram navis, d. coronam, ſ. palmæ ramum.

Alter C. Albius Carrinas ex eadem ſtirpe prodit: nam Caius illius pater dictus erat, qui Marianæ factionis dux, quùm Sulla victor cum exercitu Romam veniret, prælio bis victus, ac in fuga captus occiſus eſt. Hic verò Tribunus fuit an. 703/4 Ædilis plebis 705/6 Prætor 708/9 Hiſpaniam ulteriorem obtinuit. Præfectus à Julio Cæſare ibidem poſt devictos Pompeios, ex *Appiano*,

lib. 4. „ De his rebus edoctus Cæſar ad eum debellandum „ miſit Carinatem cum majoribus copiis. Anno verò, 710. poſtquam Octavianus conſulatum occiſo in magiſtratu Vibio Panſa accepiſſet, & ipſe poſteà abdicaviſſet, in ejus locum ſuffectus eſt C. Carrinas.

Poſt conſulatum obtinuit Galliam ulteriorem, de quo ait *Dio, lib.* 51. „ Nam C. Carinas Morinos alioſque eorum rebellionis „ ſocios domuerat, Suevoſque Rhenum magno numero tranſ-„ greſſos profligaverat : itaque & ipſe triumphum (quamvis pa-„ ter ejus à Sulla interfectus, & ipſe cum aliis proſcriptis ſui ſi-„ milibus magiſtratum gerere prohibitus fuerat) duxit & Cæſar: „ quoniam victoria ad ſummæ rei præfectum Imperatorem re-„ ferri ſolebat. Quod evenit, anno 725.6. in primo Cæſaris triumpho: nempe per tres continuos dies triumphavit.

C. Albius, in memoriam triumphi ſui, eodem die quo Cæſar ſuum etiam egit, ab una parte Cæſaris caput, cum titulo Divi Filii, quem priùs quàm Auguſti nomen fuiſſet illi inditum, gerebat exhibuit, ex altera verò victoriam proræ inſiſtentem, ut indicaret illam, quam de Suevis qui Rhenum tranſire vellent, ipſe reportavit.

AL-



ALFINIA.

PLebeia gens fuit Alfinia, si quidem primus illius nominis Sutor fuit, ut scribit *Horatius, lib.* 1. *serm.* 3.

——— Ut Alfinius vafer omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna
Sutor erat.

Acron Grammaticus ejus enarrator, urbanè satis illum ridet, qui abjecta sutrina, quam in municipio suo Cremonensi exercuerat, Romam venit; magistroque usus Ser. Sulpitio Jurisconsulto, ad tantam pervenit scientiam, ut & consulatum gereret, & publico funere efferretur.

Caput Herculis laureatum, d. humero exuvias & clavam in aversa, P. ALFINIVS P. F. VARVS III VIR. Templum rotundum, cujus quatuor visuntur columnæ.

Publius Alfinius vocatur à *Dione, lib.* 5. Publii filius, cui suffragatur denarius ille argenteus; relicta autem urbe Cremona Romam venit, Servii Sulpitii discipulus, ita jurisprudentiæ studuit, ut inde gloriam & magistratus sit consequutus: per eos omnes ad Consulatum pervenisse nos edocent *Fasti Consulares*, quem gessit cum P. Vinicio anno 754. Alfinius ita celebris evasit *Jurisconsultus*, ut reliquerit *Digestorum libros* 40. *quos Paulus in epitomen redegit*. Alfinii Jurisc. meminit *A. Gellius*, quem rerum antiquarum non incuriosum appellat, *lib.* 6. *cap.* 5.

Alfinius Varus cognomen fuit ex illo gentis primo, qui introrsum pedes vel crura obtorta habuit, unde *Horatius, lib.* 1. *sat.* 3.

—— Hunc Varum distortis cruribus, illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum malè talis.

Alfinius, quem alii Alfem & Alphenum appellant, hunc denarium non cudit tamquam Consul, ut putavit *Goltzius* (nihil enim continet quæ in consulatu gerere potuit) sed antequam consulatum obtinuisset, nempe quando fuit Triumvir, ut indicat nummus; non autem monetalis, verùm ædibus Sacris incendio

 con-

consumptis restituendis : de his *Livius lib.* 25. ita scribit. „ Comi-
„ tia deinde à Prætore Urbano de Senatu sententia, plebisque
„ scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueviri ; muris tur-
„ ribusque reficiendis, & Triumviri bini, uni sacris conqui-
„ rendis, donisque præsignandis, alteri reficiendis ædibus, For-
„ tunæ & Matris Matutæ intra portam, quæ priore anno incen-
„ dio consumptæ fuerant. Sed quùm tot Romæ Ædes Herculis erant, nesciremus adhuc quæ illa fuerit incendio consumpta, & quæ ab Alfinio curante reparata sit, nisi Hercules laurea coronatus nos indicaret Herculis Victoris ædes fuisse; sed quùm duæ erant, una ad portam Trigeminam, altera in foro Boario, nummus hanc Alfinium refecisse nos edocet, & *P. Victor* in VIII. regione, qui eam narrat fuisse rotundam & parvam, uti ejus icon manifestat.



ALLIENA.

ALLIENÆ gentis nomen, inquit *Urſinus*, ab Allia de- „
ductum eſſe, ut à NASIDIA, CLVVIA, SATRIA, NASI- „
DIENAM, CLVVIENAM, SATRIENAM, credendum eſt: inter „
plebeias verò numeratam fuiſſe vel eo conſtat, quod Allienus „
is qui legem de Terminis tulit Plebeius fuit, & ipſe Allienus tri- „
bunus plebis. Alliam autem gentem ſuprà diximus, Æliam exti- „
tiſſe quæ priùs Allia.

Caput Veneris circa quod, C. CAESAR IMP. COS. ITER. In averſa parte mulier nuda pede, d. proræ impoſito, d. triquetram, ſ. demiſſa, & ima ſtrophio implicita.

A. Allienus, qui nummum cudit, Tribunus fuit an. $^{700.}_{1}$ Ædilis Plebis an. $^{702.}_{3}$ Præturam obtinuiſſe urbanam videtur an. $^{704.}_{5}$ ex *Cicerone ad Atticum*, & Siciliam proconſul anno 706. de quo *Hirtius*, de
Africano bello, inquit, Cæſar deinde Allieno Prætori, qui Si- „
ciliam obtinebat, de omnibus rebus præcepit, & de reliquo „
exercitu celeriter imponendo datis mandatis ipſe navem con- „
ſcendit ad VI. Kal. Januar. & reliquas naves ſtatim eſt con- „
ſequutus. Allienus hoc annò igitur nummum ſignavit, ut ejus inſcriptio docet, C. CAESAR. COS. ITER. nam Kal. Jan. an. $^{704.}_{5}$ ſecundum conſulatum iniit cum Servilio Vatia.

Ex una parte caput Veneris ſignavit Allienus, ut Cæſari blandiretur, à qua ſe originem trahere gloriabatur: in altera Neptuni non eſt, ſed ipſius Siciliæ provinciæ figura, quæ trium fœmorum ſymbolo ſuo, uno veluti vertice connexorum, dignoſcitur, & ex ſitus ſpecie, Triquetra à tribus nempe promontoriis appellata: proræ navis inſiſtit figura, ad denotandum non niſi navi ad eam eundum: ſeu maris imperium.

ANI-



ANICIA.

GEntem Aniciam plebeiam fuiſſe denotat Tribunatus Plebis quem geſſit an. 540/1 L. Anicius pater illius qui ſequentem nummum cudit, & ipſe etiam Tribunus plebis fuit anno 579/80 Anicia verò gens videtur nomen habuiſſe à verbo ἀνίκητος, id eſt Invictus, quod primus eorum feliciter ſemper pugnaſſet. Gallus ei cognomen; at quùm in duodeviginti P. Romani gentibus illud occurrit, non idem ſemper eadem de cauſa omnibus datum eſt, liceat tamen mihi conjicere, quod quùm ſemper de Gallis Anicius victoriam retulerit, ideò dictus Anicius Gallus, & ipſe, de quo nunc dicturi ſumus, ad nominis antiquitatem renovandam, ludos Romæ victoriales edidiſſe videtur, ut narrat ex *Polybio lib.* 30. *Athenæus* 14. *c.* 1.

I.

Caput Veneris Victricis laureatum, circa quod, GALLVS PROPR. EX S. C. In averſa bigæ, aurigante Victoria cum flagro, L. ANICI. L. F.

L. Anicius L. filius, ut in denario perhibetur, Tribunus plebis fuit anno 579/80 Ædilis plebis cum P. Fonteio Capitone 582/3 Prætor peregrinam juriſdictionem & ſi quo Senatus cenſuiſſet ſortitus eſt 585/6 at quùm ex S. C. juriſdictionis provincia, collegæ C. Carboni tradita, Illyricum & bellum cum Rege Gentio obtinuit, bellumque intra 30. dies, & ut tradit *Appianus* intra 10. confecit, capto Rege, uxore, liberis & Caravantio illius fratre & principibus Illyriorum, ei ſupplicationes in triduum Senatus decrevit.

XIII. Kal. Februar. Quirinalibus anno 586/7 Anicius ex decreto Senatus triumphum egit de Illyriis, & quia nuper L. Æmilius Paulus conſul de Perſeo Macedoniæ rege triumphaverat, & celeberrimus quidem fuerat triumphus, hic par non videbatur, tamen per ſe intuentibus nequaquam contemnendus fuit: ante currum Gentius Rex, Leva ejus uxor, Scerdilus Pleuratuſque

que eorum filii, & Caravantius Gentii frater ducti sunt.

In ejus triumphi à L. Anicio Gallo gesti memoriam cusus est hic denarius, cum capite Veneris Victricis, cui votum fecisse videtur; quod ea vincere omnia diceretur: ejus ædes Romæ in regione IX. & templum in XIIII. In altera Bigæ expressæ sunt, ob celerem de Illyriis victoriam, quibus solebant uti in denariis triumphalibus, quando bellum breviter erat confectum: vel potiùs quòd sit frequens denariorum symbolum.



ANNIA.

EX plebeis gens Annia fuit, ſi quidem primus ex illa, cujus mentio eſt apud *Livium*, Tribunus Plebis fuit an. [517/8] & ad colonias Placentiam Cremonamque deducendas unus ex Triumviris fuit [533/4] ipſi cognomen fuit Luſcus quod fuerit altero captus oculo. Alia fuere in hac familia cognomina, ſed hoc tantùm in nummis occurrit.

I.

Caput Romæ cum ſpica ad galeæ caput, LVSCVS : in averſa Caſtor & Pollux decurrentes, T. ANNIVS ROMA.

Annius ille qui denarium ſignavit, perhibetur fuiſſe filius Titi Plebis Tribuni an. [573/4] & nepos alterius Titi, Tribuni etiam Plebis an. [517/8] qui poſt tribunatum exactum an. [590/1] Ædilis Plebis factus [593/4] eo anno frumenti copiam & annonæ laxitatem Romæ procuraſſe videtur, ex ſpica galeæ capiti deæ inſerta. Caſtor & Pollux frequens eſt denariorum ſymbolum.

Luſcus ei cognomen ut & majoribus; Præturam egit an. [595/7] & conſulatum adeptus eſt cum Q. Fulvio Nobiliore an. [600/1] illum inter Oratores recenſet *Cicero in Bruto*, quem non indiſertum fuiſſe ſcribit.

II.

Caput Junonis Monetæ cum monili & inauri, C. ANNI. T. F. TI. N. PROCOS. EX S. C. In averſa parte figura in bigis cum flagro, C. TARQVIITI. P. F. in area, Q. id eſt *Quæſtor.*

Patri ſuccedit filius, Caius nempe Annius Titi ſuperioris, qui Luſcus appellabatur filius, imò & nepos Titi, quem diximus fuiſſe Tribunum Plebis an. [633/4] Ille poſt Tribunatum exactum an. [665/6] & Præturam ad publicas quæſtiones agendas geſtam [671/2] Hiſpaniam utramque proconſulari cum imperio obtinuit, an. [672/3] A Sylla Dictatore miſſus contra Sertorium Hiſpanias occupantem, & ideò proſcriptum Romæ, jugo Pyrenæo ſuperavit, occiſo Julio Salinato-

re,

re, magnamque ſecum trahens militum copiam obſiſtentes pepulit. Quare impar viribus Sertorius refugit cum tribus millibus militum Carthaginem Novam in Tarraconenſi provincia. Ibi conſcendit, trajectoque pelago in Africam eſt ad Mauritaniam delatus.

C. Tarquitius ejus Quæſtor ut littera Q. indicat, denarios exercitu ſolvendo præfectus cudi curavit, in quo ex una parte Junonis Monetæ expreſſit imaginem ad denotandam illam monetæ eſſe præſidem; nam in ejus templo erat officina monetæ: ita cognominata eſt, quod P. Romanum monuiſſet non ipſi pecuniam defuturam. Bigæ autem erant, ut ſparſim diximus, pro nota denariorum Romanorum ſolita, unde dicti illi ſunt bigati.

III. IV.

Caput Monetæ, ante quod bilanx & retro caduceus, circum verò, C. ANNI T. F. T. N. PROCOS. EX S. C. Quadrigæ in quibus Victoria cum palma, L. FABI. L. F. HISPA. Q. Alter ſimilis typus litterarum poſitione tantùm diverſus exhibetur, ad augendam Antiquariorum ſeriem, qui hac varietate delectantur.

Hic denarius à L. Fabio C. Annii etiam Quæſtore, ut indicat eadem littera Q. percuſſus omninò demonſtrat Annium in utraque Hiſpania, nempe ulteriore & citeriore, imperium Proconſulare habuiſſe, quùm in utramque diverſi ſolebant Roma Prætores quotannis mitti: quare ex Senatuſconſulto Quæſtores duos habuit ad vectigalia utriuſque Hiſpaniæ colligenda, ad denarios ab ærario Romano & militibus ſolvendis, extrahendos.

L. Fabius in denariis quos ſignari curavit, ex una parte Junonem Monetam, cui galerum in capite ſolitum dearum inſigne adhibuit, ad illam cum Moneta ipſa, quæ in Cariſia gente ſignata eſt, diſtinguendam expreſſit, ut Junonem Monetæ præeſſe denotaret, cum ea in Junonis Monetæ templo aſſervabatur. Lanx ante caput, monetæ ſymbolum eſt, quia ut illa valeat, juſti debet eſſe ponderis; caduceus felicitatis typus eſt, ſic qui moneta abundat, felicitatem conſecutus fuiſſe putatur. *Urſinus* ea ſymbola ad pacem & juſtitiam ſignificandam expreſſa refert.

V.

ANNIVS LAMIA. SILIVS. Sympulum & lituus, III VIR. A. A. A. F. F. In area, S. C.

Redeunt nummi Annii Triumviri monetalis, quos in Ælia gente in Lamiarum ſtirpe jam exhibuimus, & ut quis fuerit ille Lamia in hac familia, ſic in hac quis ſit Annius ille ſub Auguſto Triumvir, ut ait *Urſinus*, nihil me apud veteres Scriptores legiſſe memini. Vide ibi quid de ſimpulo & lituo diximus, cui addimus tres illas litteras, A. A. A. Æs, Aurum & Argentum exprimere, ex quibus monetales nummos conficere ſolent. Alias duas F. F. interpretantur Flando, Feriundo. Flare eſt fundere, quod æs, ſive argentum flando, hoc eſt flatu calefaciendo fundatur. Fuſa deinde materia illa ad uſum monetæ feritur.

VI.

Eadem epigraphe; in area incus, idem in averſa parte typus.

Incus in nummo expreſſa inſtrumentum ferreum eſt, ſuper quod fabri monetales cudebant nummos, priùs in terra ſigillata expreſſos, in quam fundebant materiam, ut nuper novimus ex formis illis Lugduno allatis, in quibus ſeorſim effigies totius L. Septimii Severi familiæ ſunt impreſſæ. Deinde illos cum typo adhuc candentes cum forcipe tenentes malleis ſupra incudem feriebant: quæ inſtrumenta omnia videre eſt in Cariſia gente. Nec magno libramento ut nunc in vento utebantur, unde illos ampliùs in formam fundere non opus eſt.

VII.

Eadem epigraphe; in area duæ dexteræ junctæ caduceum tenentes. In averſa eadem inſcriptio, & in area S. C.

Dexteræ junctæ concordiam deſignant, quam in Ælia gente Auguſto cum Senatu tribuimus. Dea Romæ erat Concordia quæ daret concordiam, cui templum Camillus Dictator in Capitolio vovit, ſedata ſeditione ſe templum Concordiæ dedicaturum, in cujus memoriam extruxit Livia Auguſti.

Poſt tot ſeditiones ædes Concordiæ poſita eſt; niſi ſit eadem antiquiſſima, quam fecerat Camillus, reparata ab ea quod vetuſtate laberetur, de qua *Ovidius*:

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia quam caro præſtitit illa viro.

Caduceus ſymbolum pacis & felicitatis, ex concordia autem Pax & Felicitas.



ANTESTIA.

ANTESTIAM gentem esse eamdem cum Antistia ex *Veteribus* quas affert *Inscriptionibus* existimat *Ursinus*, sed nobis videtur vox Antistia vetustior Antestia, si quidem Antistia gens nomen accepisse videtur à verbo antiquo Antisto pro Antesto, quòd primus gentis ante staret aliis, id est, excelleret, unde dictus est Antistius, & adhuc Antistes. Plebeia autem fuit; Marcus enim Antistius jam ab anno V. C. 333. Tribunus plebis perhibetur, sed nullo cognomine distinctus.

I.

Caput Jani bifrontis, supra quod nota I. ex aversa navis, & desuper canis currens, C. ANTESTI. ROMA.

In tanta vetustarum Romanæ gentis familiarum caligine, ad quas spectant, augurari, & earum nummos interpretari non facile est, præsertim primis temporibus, qùm nec prænomina, nec cognomina inscriberent, aut se filios & nepotes gentis esse notarent, ita ut sæpè sint conjecturæ ex autoribus, & nummorum formis: porrò ut aliquam ex iis regulam sequamur, non alienum videbitur, si de moneta quid sentiamus, hoc loco dixerimus.

Æs grave quidem à quinquaginta annis, quibus rei nummariæ studemus, & post duodecim Romam peregrinationes, quo antiqui pro moneta utebantur, in museis non observavimus; sed æs cui bos aut vacca erat insculpta ex unciis duodecim, & alterum cui porcus erat insculptus, ex pondere sex unciarum, unde hæc moneta ita pecu signata, dicta est pecunia, quæ Romæ in usu fuit, usque ad tempora Serv. Tullii Regis, quibus *Plinius* monetam cum Jano Bifronte atque Saturni navi fuisse signatam refert, numquam duodecim unciarum illa fuit, sed tantùm ex unciis quatuor, ut ex vetustissimis à nobis observatis nummis quales hodie etiam occurrunt Ptolemæorum. In iis autem primis temporibus nulla erant nomina, sed tantùm in illis qui librales dicti erant, quod in libræ locum facti essent. Nota I. ad eam

deſignandam, & in aliis nota s. ad dimidiam partem; octo enim uncias pro ſignata moneta erant lucrati: Bello autem Punico primo, quùm impenſis reſpublica non ſufficeret, imminui cœpere aſſes, quod vocabant librales ex nota l. unam libram denotante & ſextantario pondere cudi placuit, unde dimidiam partem lucrata eſt, & tandem ſecundo bello Punico Hannibale urgente, aſſes illi facti ſunt unciales cum eadem ſemper nota l.

Placuit etiam eo tempore denarium argenteum XVI. aſſibus permutare, & pondus quod in ære erat diminutum ex dimidia parte. In argento ob ejus penuriam non quidem materia eſt minuta, ſed pretium auctum eſt, quod poſteà ad priſtinum ſcilicet pro decem aſſibus; quod in ærea moneta non accidit quæ ſemper ab hoc tempore in eo ſtatu permanſit: unde ærei nummi ſextantarii qui occurrunt ab anno V. C. $\frac{489.}{90.}$ uſque ad $\frac{535.}{6}$ quo cœpit bellum Punicum ſecundum percuſſi ſunt, & unde eruendæ ſunt familiæ ad quas ſpectant: nam typus Jani & inde navis non permutatus eſt, imò ferè ſemper conſtitit, ex his ad Anteſtii nummum explicandum pergimus.

C. Anteſtius, ex temporum intervallo, videtur eſſe abnepos M. Anteſtii Tribuni plebis an. $\frac{333.}{4}$ qui nummum hunc libralem ex nota, & ex pondere ſextantarium, ex duabus nempe unciis, cudit tempore belli Punici primi ab anno $\frac{485.}{6}$ ad annum $\frac{535.}{6}$ Hic verò habuit filium prænomine Sextum & nepotem nomine Caium, & cognomine Labeonem, à labiorum magnitudine, Tribunum plebis anno $\frac{581.}{2}$ De Jano bifronte & de navi in averſa parte abundè diximus in Afrania. De cane in ſequente.

II.

C. ANTESTI. Caput Romæ galeatum, in averſa, ROMA. Caſtor & Pollux equites: in imo canis currens.

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod canis currens; in averſa, C. ANTESTI. ROMA. Caſtor & Pollux decurrentes.

Ad Caium Anteſtium, de quo ſuprà, pertinent hi duo denarii, qui nihil inter ſe differunt quàm varia inſcriptionis litterarum hinc & inde poſitione. Caput Romæ, ſolitum eſt primorum dena-

denariorum argenteorum ſymbolum, ut & Caſtoris & Pollucis imagines decurrentes in averſa, ob eorum in pugna ad lacum Rhegillenſem pro Romanis contra Latinos apparitione, quem typum ſolebant apponere qui origine Latini, quod fœdus hac occaſione hi cum Romanis pepigerant.

Canis in argenteis & æreis C. Anteſtii nummis vel ad Dianam ſpectat, quia currit ille, & venaticus eſſe videtur. Idibus verò Auguſti Dianæ ſacra fiebant Romæ, de quo *Martialis lib.* 12. *epigr.* 68.

Auguſtis redit Idibus Diana.

Hac die Venatores canes morbo aut ſcabie affectos infulis velatos deæ ſiſtebant, omneque inſtrumentum venatorium ante eam collocabant, ut narrat *Gratius de Venatione*: ſed Diana his feriis emeritos, quietoſque à venatione & immunes habere credebatur, ut innuit *Statius Papinius* 3. *Sylvarum.* Antiſtius his feſtis forſan præfuit, aut inſtituta illius magiſtratus tempore. Sed canis pertinet ad aliquam familiæ hiſtoriam, quam *Dio* dedit nobis, quùm ille Anteſtium quemdam ſervavit navigantem, per feneſtram latrans, unde Anteſtia gens ſemper in ſigillo habuit.

IV.

Caput Romæ galeatum, pone quod dimidiata vox, GRAC. in averſa Jupiter fulminator in quadrigis, L. ANTES. in imo, ROMA.

Ut hunc denarium L. Anteſtio M. F. M. nepoti tribuamus, qui Tribunus fuit an. $\frac{531}{2}$ cum Sempronio Graccho, efficit ipſa vox dimidia, quæ cognomen Semproniæ gentis eſt, nos enim docet denarius utrumque Anteſtium & Gracchum ſimul magiſtratum geſſiſſe, in quo nummus eſt ſignatus. Jupiter Fulminator in quadrigis pro victoria apponebatur, dum Romani bellum gerebant contra fœdifragos, ut tunc contra Hannibalem in ſecundo bello Punico; quia in ejus templo, ſcilicet Capitolino, fœderum æneæ tabulæ cum Regibus, populis & civitatibus initorum, cuſtodiebantur.

V.

V.

Caput Romæ galeatum, pone quod, M. VARG. in aversâ idem Jupiter in quadrigis, ut suprà, L. ANTES. In imo, ROMA.

Duplicem damus L. Antistii denarium, cum eodem Romæ capite, sed in priore vox dimidia Sempronium Gracchum designat; in hoc M. Vargunteius perhibetur. Idem typus Jovis Fulminatoris in quadrigis, pœnas intentantis contra fœdifragos nos docet utrumque nummum ab Antestio percussum esse: sed in superiore eum cum Graccho magistratum gessisse, in hoc cum Vargunteio. Sed si mihi conjicere liceat, alter mortuus est in magistratu, & alter in ejus locum suffectus, quum denarius haud dubiè spectet ad Antestium.



ANTISTIA.

ANtiſtiam gentem eamdem eſſe cum Anteſtia ex *Urſino* diximus, à verbo antiquo antiſto pro anteſto; Plebeia quidem fuit, & quidem nullis per duo ſæcula cognominibus diſtincta: ſed quùm Antiſtius quidam etiam plebeius, vocatus eſſet Labeo à labiorum magnitudine ſive ex eadem gente, ſive novus; gens Anteſtia videtur Antiſtia fuiſſe dicta, & quaſi vox iſta eſſet antiquior ob Labeonis ſtirpem verſus finem quinti ſæculi vocata illa Antiſtia Vetus; nam Rhegini ſunt recentes, à Rhegio nempe oppido oriundi.

I.

Caput Veſtæ turritum & velatum, C. ANTISTI. C. F. COS. In averſa Veſta cum tympano, in curru à duobus leonibus tracto, CN. PISO. CN. F.

Hic denarius à Cn. Piſone Ædile plebis percuſſus eſt, ſub conſulatu C. Antiſtii Veteris, qui patrem habuit C. Antiſtium Quæſtorem in Syria, ex *Dione lib.* 47. Ille Legatus fuit Auguſti bello Siculo, & tandem Conſul ex Kal. Jul. Licinio Craſſo ſuffectus eſt, ex *Tabula Capuana*, ſed vix conſulatum geſſit, quùm ex Idib. Sept. ejuſd. an. $\frac{722}{3}$ M. Cicero ipſi ſucceſſit: Porrò Cn. Piſo, de quo in Calpurnia gente, Ædilis Megaleſios ludos edidit, in cujus memoriam percuſſus eſt hic denarius.

Megaleſios dictos volunt Matris Magnæ ludos, ex templo Peſſinuntis urbis nomine Megaleſio; unde à Romanis illa eſt advecta, apud *Feſtum.* C. Atilius, & L. Scribonius Libo Ædiles, primi illos fecerunt, ex *Livio.* Scenici erant, & edebantur in palatio, ut ait *Cicero Orat. de Haruſp.* „Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in palatio noſtri majores ante templum „ in ipſo conſpectu Matris Magnæ Megalenſibus fieri celebrari- „ que voluerunt. Hos per ſex dies à Prid. Non. Apr. ad 5. Id. fuiſſe *Faſti veteres* demonſtrant.

Veſta Saturni & Rheæ filia ſtructuram domus apud *Diodorum* inveniſſe fertur: unde caput turritum ipſi datum eſt, *Phor-*

nutus verò ei turres esse traditas, propter urbes & arces, quæ in summitate montium fiebant antiquitùs: unde *Lucretius de rerum Nat. lib.* I.

Muralique caput summum cinxere coronam.

Illa à leonibus trahitur, quia illi sacri sunt. *Augustinus de Civit. Dei*, inquit, „ Leonem ei adjungunt solutum ac mansue-„ tum, ut ostendant nullum esse genus feræ tam remotum ac „ vehementer ferum, quòd non subjici cuique conveniat.

II.

C. ANTISTIVS VETVS III VIR. Caput Veneris: ex altero latere, IMP. CAES. AVGVST. COS. XI. signa pontificalia, simpulum, lituus, tripus, & patera.

Patrem sequitur filius hic Triumvir Monetalis ab Augusto factus, ut indicat denarii epigraphe: ex anteriore parte Veneris effigiem exhibuit in Augusti gratiam, qui in Juliam gentem adoptione transierat, quæ originem ex hac dea se trahere gloriabatur, & ex postica parte ad antiquitatem nominis sui declarandam, nempe Antistiam à primo nominis autore, quòd esset antistes seu sacerdos dictus est Antistius: unde signa pontificalia expressit. Alii volunt quòd ille esset Pontifex, teste *Paterculo*, alii in patris memoriam qui etiam ipso autore erat Pontifex: unde quis eligere potest.

Antistius verò ut Triumviratus sui Monetalis tempus adnotaret, consulatum Augusti adjecit XI. sed quùm illum iniisset an. $^{730.}_{1}$ & tantùm XII. cœpit an. $^{48.}_{9}$ non certum est, quod indicant omninò posteriores duo Tribunicia potestate insigniti.

III.

IMP. CAESAR. AVGVS. TR. POT. IIX. Caput Augusti: ex altera parte, C. ANTIST. VETVS III VIR. APOLLINI ACT*io*. Apollo tunicatus stans supra fabricam portus, d. pateram super arulam, s. lyram.

C. Antistius in hoc denario patris C. Antistii Consulis memoriam revocare voluit, quando ille hunc magistratum gessit, nempe an. $^{722.}_{3}$ quùm Augustus M. Antonium superavit ad Actium, IV. Nonas Sept. quare in nummo Apollinis Actii in portu sacra agentis

tis figuram expressit, cui Cæsar templum majus extruxit, ludos musicos, & Gymnicos, certamenque equestre cum sacro Quinquennali, ut refert *Dio lib.* 51.

Annus Tribuniciæ potestatis Augusti VIII. in denario percussus ab Antistio, Urbis conditæ an. 737/8 respondens, nam eam an. 729/30 Kal. Jul. illam acceperat, ut nomen Dictatoris perpetui, quod ei à Senatu erat datum, tamquam invidiosum vitaret, porrò contentus potestate, vocem plebis omisit, de qua *Dio lib.* 53. Ea propter Senatus Augusto hos honores decrevit, ut Tribunus plebis perpetuus esset... Inde exortum est, ut Augustus, quique eum secuti sunt Imperatores, & ab ipso primo die susceptæ Trib. potestatis, Imperium aliorum est numeratum. „

IV.

CAESAR AVG. TR. POT. VIII. Caput Augusti: ex altera parte, C. ANTIST. VETVS III VIR. FOEDVS P. R. CVM GABIN. Duo Feciales togati dextras jungentes super aram, sub qua porcus occisus.

Ab eodem Antistio Vetere signatus est hic denarius, an. 737/8 quo superiores, ut denotat eadem Trib. potestas Augusti Octava, & quidem ad antiquitatem gentis Antistiæ revocandam; nempe quùm Fœdus P. Romani initum est cum Gabinis, aut ipse Antistius ex Gabiis Romam migravit, ut ipse Fecialis erat ad hoc fœdus iniendum: unde forsan illi cognomen Vetus ab antiquitate temporis, narratque *Cicero lib. de leg.* fœderis feriundi ritum. POPVLVS ROM. PRIOR NON DEFICIET. SI PRIOR DEFECERIT PVBLICO CONSILIO DOLO MALO. TVM DIESPITER POP. ROMANVM SIC FERITO VT EGO HVNC PORCVM HODIE FERIAM. TANTOQVE MAGIS FERITO. QVANTO MAGIS POTES POLLESQVE QVIBVS DICTIS PORCVM SAXO SILICE PERCVTITO. Ille porcus super aram immolabatur, ut arguit ara, supra quam extentus est. Duo Feciales seu sacerdotes velati pro sacrificio dextras jungunt ad pacem denotandam: Gabiorum autem urbs erat Albanorum colonia apud Volscos, cujus historiam describit *Livius*, quo modo sub Tarquinio Superbo Romanis accessit.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti: ex altera parte; C. ANTIS-

ſacra in Ara Maxima peregit, in cujus memoriam illius ſignum in denariis expreſſit, ut infrà dicemus.

II.

DEI PENATES. Capita duorum juvenum ſociata: in averſa, C. ANTIVS C. F. Hercules, ut ſuprà.

C. Antius, ut patris effigiem in priore denario, ad denotandam ex quo natus eſſet, ſic in poſteriore Deos Penates, ad indicandum ex Lavinio urbe gentis ſuæ originem exhibuit, quæ urbs antiquior Roma: ſi quidem Æneas deos Penates quos ſecum attulerat Latino regi in fœderis pignus, quùm Laviniam ejus filiam duceret uxorem, dedit, & Lavinii poſuit, poſtquam eam urbem de ſponſæ nomine condidiſſet, Deorum Penatium juſſu; qui bis ex ea civitate avulſi, bis in eam remigrarunt, itaque tertiò nemo auſus eſt amovere eorum ſimulacra.

De Hercule vide quæ in ſuperiore denario & infrà dicturi ſumus.

III.

C. ANTIVS. Caput bovis infula redimitum, in averſa, RESTIO. ara accenſa.

Urſinus bovis illius caput in denario ſignatum ad ludos ſæculares, quibus id animal ſacrificabatur, haud dubiè referendum putat, quibuſque ex Reſtionum familia Quindecimvir aliquis interfuerit, ſed illud ad Herculem in denariis anterioribus expreſſum ſpectat. Ara accenſa eſt illa, quæ Maxima apud autores appellatur, quam Hercules recuperatis bovibus, quos illi ſubripuerat Cacus, Evandri juſſu reddidit, & ſub Aventino, Inventori patri dedicavit, appellavitque Maximam, & apud eam decimam ſui pecoris profanavit.

Hercules Potitios & Pinarios docuit ſibi ſacrificandi ritum, Potitiis extinctis, ſuperſtes manſit gens Pinaria, ex qua unus eorum quotannis apud hanc aram juvencum indomitum mactabat, & ritu Græco id peragebat, ſed *Dionyſius* ait, nunc tamen illorum poſteritas non habet curam horum ſacrorum, ſed operantur eis ſervienti ære publico: ex quibus verbis colligere poſſumus, ut ex his C. Antii denariis, in quibus præſertim caput bovis eſt expreſſum & ara Maxima ſignata, hoc Herculi ſacrum Antium peregiſſe, in cujus memoriam illos cuderit.

AN-



ANTONIA.

FUit, ut *Plutarchus* inquit, vetus ſama ducere ab Hercule Antonios genus, atque eſſe ab Antone Herculis filio prognatos. Inter familias nobiliſſimas quæ à primis Senatoribus ſub Romulo patriciæ majorum gentium appellatæ ſunt, reperitur Antonia gens; ſed hæc ſub cognomine Merenda extincta, reliqua proceſſione temporis ad plebem videtur tranſiiſſe.

I.

Caput Junonis Soſpitæ, pelle caprina amictum; pone quod tripus: in averſa, M. ANTONI. C. F. Ipſa Juno ſtans, capite caprino tecta, d. vibrans ſpiculum, ſ. clypeum, ante eam ſerpens in gyros, pone autem ſella matronalis.

Marcus eſt Antonius Triumviri pater, Orator diſertiſſimus, quem *Cicero* multis laudibus, ad quem ſpectat denarius: ille Caii filius perhibetur anno 640/1. Quæſtor Aſiam ſortitus, jam Brunduſium pervenerat, inquit *Valerius Maximus*, quùm in urbem recurrit, ut ſe inceſti crimine purgaret, quo erat ante L. Caſſium Prætorem ſeverum judicem accuſatus, Tribunatum Plebis geſſit an. 645/6. Inter Prætores urbanos relatus 549/50. hunc denarium percuſſit.

Caput Junonis Soſpitæ, & ipſa ſpiculum vibratura, in averſa nummi parte ad Lupercalia feſta pertinent, hæc die XI. Februarii celebrabantur, quem februatum appellabant, id eſt purgamentum, & ab expiationibus nomen habet. Luſtratione tunc facta dicata erant Junoni Lanuvinæ quæ caprina pelle caput amictum habebat, & ſacerdotes Luperci dicti pariter amiculo Junonis caprino ornati februabant feminas, quare appoſita eſt ſella matronalis in denario, ut & tripus ad denotanda ſacra ante peragenda.

Feriæ illæ, ſeu feſta publica, indicebantur & proclamabantur ſingulis menſibus à Rege ſacrorum, & à Prætore, ab hoc quidem vacationis à Forenſibus negotiis, ab illo autem ſacrorum ritè peragendorum gratia. M. Antonius quod illa indixerit in-

inter alios Prætores, ejus memoriam in denariis exhibere voluit.

II.

Caput Romæ galeatum, in aversa, M. ANTONI. C. F. PR. in imo, ROMA. Victoria in quadrigis, d. flagrum.

Ex prætura urbana M. Antonius peregrinam sortitus est, & Asiam obtinuit, & ipsi decretum est ex S. C. bellum piraticum cum Proconsulari imperio an. 650./1 de quo *Cicero in Oratore*, „ cum Proconsule Antonio in Ciliciam proficiscens, Athenas „ venissem. *Livius in Epitome lib.* 68. Antonius Prætor in „ Ciliciam maritimos prædones prosequutus est, Cilices sublatis „ commerciis maria invaserant, quod etiam testatur *Tacitus Annal. lib.* 12. quando commemorat Byzantios Piratico bello adjuvisse Antonium.

De Cilicibus pyratis M. Antonium navalem egisse triumphum an. 551./2 probant & *Plutarchi* verba, & quadrigæ triumphales in denario percussæ. *Plutarchus in Pompeio*, filiam Antonii Triumphalis viri in agrum ac villam euntem interceptam & captam à pyratis fuisse, & magno pretio redemptam. *Cicero in Orat. pro lege Manilia*, ad montem Misenum id accidisse indicat. Quadrigæ triumphales illæ, in quibus Victoria agit equos currentes, victoriam fuisse celerem, & bellum breviter confectum indicare jam diximus.

M. Antonius ad consulatum pervenit an. 555./6 cum Posthumio Albino. Quidam existimant ex verbo Proconsulis apud *Ciceronem* in Ciliciam profectum esse post consulatum, sed in consulatu oporteret bellum jam inchoasse, nam litteræ PR. in denario Prætorem denotant. Antonius censuram cum Valerio Flacco gessit an. 656./7 sed tanto viro calamitosa obtigit, nam in civilibus Marii & Syllæ cùm se in fundum amici abscondisset, detectus à Caupone, caput ejus amputatum ad Marium est missum: duos filios reliquit Marcum & Caium; de Marco Triumviri patre denarii nobis non supersunt.

II.

Caput Herculis pelle Leonina indutum, ROMA: in aversa, C. ANTONIVS M. F. Clava, arcus, & pharetra.

C. An-

C. Antonius M. Antonii Oratoris filius natu minor, Syllam in bellum Mithridaticum secutus, egregiam quidem operam navavit, sed posteà avaritiæ studens, & potiùs prædo Græcorum bona dilapidavit, à quibus accusatus est apud M. Lucullum Prætorem, deinde à Senatu motus quòd ob æris alieni magnitudinem prædia mancipasset, bonaque sua in potestate non haberet. Tribunus plebis tamen fuit & Ædilis, Præturamque cum Cicerone petiit, sed cum illo Consul creatus est anno 690.

Quùm C. Antonii magistratus tempus non notent *Historici*, nec ejus denarii aliquid indicent, unde in quibus percussi sint affirmare possimus, ad revocandam ejus ab Hercule originem videntur tantùm signati: ex anteriore parte, ille caput habet leonina pelle amictum, ob leonem ab eo in Nemea sylva interfectum, cujus semper ab hoc tempore pellem pro spoliis gessit, de quo *Ausonius Idyll.* 19.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.

Clava & arcus cùm pharetra illius sunt arma, quibus in occidendis Tyrannis & monstris usus est.

IV.

M. ANTONI. IMP. Caput Antonii nudum, pone quod lituus; ex altera, CAESAR DIC. Caput Julii Cæsaris laureatum, pone quod urceus.

V.

Alter cum epigraphe, M. ANTO. IMP. R. P. C. & Julii caput idem.

Hic est M. Antonius Triumvir M. Antonii Cretici filius, cujus nobis non supersunt denarii, & M. Antonii Oratoris nepos, cujus vitam habes in *Plutarcho*; illius nec magistratus, nec gesta ordine referemus, sed ex ejus denariis satis innotescent: in his expressus est cum Julio Cæsare, quem sequutus est in Gallias proficiscentem, & ei adhæsit ob affinitatem: nam ejus mater vocabatur Julia, Cæsar quæstorem suum sine sorte legit, & posteà Antonius illius commendatione Auguratus sacerdotium obtinuit anno 703/4 quamobrem lituum seu baculum auguralem ejus dignitatis insigne, pone caput percussit.

Ab eodem Cæſare magiſter Equitum anno 706/7 factus eſt, quùm ille Dictaturam accepiſſet, licet adhuc nondum Præturam geſſiſſet, in cujus memoriam nummum cudiſſe videtur cum his litteris R. P. C. id eſt, *Reipublicæ conſtituendæ*, quod ad id Cæſar Dictator eſſet renuntiatus, & quia abſente Dictatore magiſter Equitum vices ejus gerebat, ideò Cæſar Imperatorem appellavit Antonium, ut Sylla pridem Pompeium appellarat, ut teſtantur ipſi denarii. Hac de re *Dio* inquit, „ ineunte hoc anno inſolens „ fœdus, ac probè miſerabilis fuit Urbis aſpectus, non habitis „ ante comitiis ob Dictatoris abſentiam, præterquam Tribuno-„ rum plebis, nullis nec conſulibus, nec prætoribus principio „ anni ſolenniter magiſtratum ineuntibus. M. Antonius quidem „ prætexta atque lictoribus uſus Senatum convocando, quam-„ dam ſpeciem popularis Reipublicæ ſtatus repræſentabat, armis „ tamen & militum præſidiis ſeptus, quùm omnia ferè ſolus „ obiret magiſtratuum munia, inſuetam tyrannidem præ ſe fe-„ rebat. Quumque ea magiſtrum Equitum facere videret civitas, longè graviora à Cæſare Dictatore ipſo expectabat. Præfericulum inſigne eſt Pontificis Maximi, ut in Æmilio Lepido diximus, qui Cæſari in hac dignitate ſucceſſit.

VI.

Caput M. Antonii ſine epigraphe: in averſa, M. ANTON. IMP. ſecuris, faſces, caduceus, duæ dextræ, & globus in medio.

Similem typum in denario Julii Cæſaris Buca Quatuorvir ab eo factus in Æmilia gente expreſſit; Cæſar autem Triumvirorum monetalium numerum ad quatuor uſque auxerat, & ille in gratiam Cæſaris, qui poſtquam ex Africa victor Romam redierat, ſe religionem, juſtitiam, & concordiam ſervaturum in oratione ad Senatum promiſiſſet, hunc denarium cum rerum iſtarum attributis percuſſiſſe diximus. Similem autem Antonio tunc Equitum magiſtro quaſi cum eo gubernanti, & eadem ſe ſervaturum pollicenti ſignaſſe videtur: nam denarius Antonio Imperatoris tantùm titulum & non adhuc Triumviri dignitatem tribuit.

VII.

VII.

M. ANTON. IMP. ITER. Caput Antonii, pone quod lituus: in aversa, L. MVSSIDIVS T. F. LONGVS IIII VIR. A. P. F. Ædificii genus, cum cancellis & porta, ad quam gradus in cujus imo, CLOACIN. In illo videntur duæ figuræ togatæ cum tabellis, quas in urnas conjiciunt.

Plura sunt in hoc denario perpendenda: primò titulus Imperatoris iterùm Antonio datus: ille autem ut patribus ac Senatui omnem de se suspicionem affectatæ dominationis eximeret, de tollenda funditus è Republica Dictatura retulit: unde omnium consensu factum est in hanc rem Senatusconsultum, quod Antonius ipse à se descriptum domo attulerat: ipsoque collaudato, traditisque legionibus, eodem Senatusconsulto Macedonici exercitus Imperator appellatus est: qui titulus jam, ut diximus, ipsi primùm à Julio Cæsare erat concessus, unde Imperator iterùm à Mussidio in ejus denariis nominatur, ut in prioribus, quùm magister Equitum factus est; ex una parte Julii Cæsaris est effigies, & ex altera Antonii imago cum epigraphe, M. ANTONI. IMP. ITER.

Secundò, quid sit illud ædificium: haud dubiè ex epigraphe denarii comitium, de quo plura in gente Mussidia: sed cur illius prospectus in denario Antonii? eadem ratio videtur quæ in altero Mussidiæ gentis denario in illa describendo, ubi caput Julii Cæsaris expressum, & in altera parte idem comitiorum prospectus: quod Cæsar ex *Suetonio cap.* 40. „ Comitia partitus erat cum populo, in cujus memoriam illius prospectum Mussi- „ dius expressit, quem in M. Antonii gratiam iterùm exhibuit, „ ut omnem à se suspicionem affectatæ dominationis eximeret, „ ut suprà diximus: nisi dicamus, ut erant Consules eodem anno „ sic Mussidius ambobus eumdem typum percussit: porrò dubium movet titulus IMP. ITER. M. Antonio tunc datus, quem verè tantùm post Ventidii sui legati de Parthis victoriam accepit; vide, quæ sumus in simili denario gentis Mussidiæ, *num.* 12. dicturi; si magis arrident, observet Lector. Vox CLOACIN. ad aliorum comitiorum distinctionem; quæ in campo Martio habebantur, hæc verò in foro Romano.

VIII.

IMP. ANTONIVS. Caput Antonii galeatum: in averſa, III VIR. R. P. C. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Galeatus hic exhibetur Antonius, ut jam Lepidum in Æmilia gente protulimus, quo habitu Triumviri facti in agro Bononienſi Romam armati contenderunt. Legionum ſigna earum inter Triumviros diſtributionem & imperium denotat, quibus ſtipati in Urbem profecti ſunt, & provincias inter ſe partiti. Nec te, moveat, ſi Antonius in hoc denario ſe tantùm Imperatorem inſcribat, & in anteriore dictus ſit Imperator iterùm: Imperatoris autem titulus à Senatu decreto conceſſus ipſi altero ſublatus eſt, & hoſtis P. Romani poſteà declaratus eſt, nec Macedonicum exercitum obtinuit. *Mezabarbus fol.* 14. *ex Dione* exiſtimat Antonium allato in Urbem Catilinæ capite, Imperatorem fuiſſe appellatum, ſed *Dio* de C. Antonio Triumviri patruo id refert.

IX.

M. ANTONIVS III VIR. R. P. C. Caput Antonii: in averſa, Mars nudus ſtans galeatus, pede clypeum calcans, d. haſtam, ſ. parazonium, L. MVSSIDIVS TI. F. LONGVS IIII VIR. A. P. F.

Muſſidius Longus à Cæſare Quatuorvir factus eſt monetalis, quùm tantùm tres ante fuiſſent, de quo *Suetonius*, Senatum ſupplevit, patricios allegit, Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum ampliavit: Muſſidius autem eumdem Martis typum in cunctis Triumvirorum Lepidi, Antonii & Cæſaris denariis expreſſit: ideò Martem Ultorem eſſe ſuſpicamur, quem omnes illi pro vindicta de Julii Cæſaris percuſſoribus denotanda exhibuerunt. Notæ A. P. F. an argentum primus flavit, quod ille primus Quartumvir monetalis factus fuerit, ut cum Clodio & Lunnerio, quia Æmilius. Buca & Flaminius eas notas habent? an illæ *Argento publico feriundo* explicandæ?

X.

M. ANT. IMP. Lituus, vas, præfericulum & gallus gallinaceus. LEP. IMP. Inſtrumenta Pontificatus Maximi, ſimpulum, aſperſorium, ſecuris & apex.

Hic

Hic denarius in quo nomina Antonii & Lepidi Triumvirorum inſcripta leguntur, ad eorum concordiam arguendam ſignati ſunt, pars Antonii ſigna Auguris, altera Lepidi, inſignia pontificatus Maximi exhibet, de quibus in Æmilia gente ſimili ferè typo abundè diximus; ſi de lituo qui non in illo occurrit, addamus. Lituus, inſigne augurale erat, baculus ſine nodo à ſummo indeflexus à parte qua robuſtior eſt, quem manu tenens Augur cæli regiones deſcribebat, & deſignabat metas, intra quas ſe obſervaturum ſigna conſtituerat, ut quod dextrum eſſet, quodve ſiniſtrum oculis animoque metiri poſſet.

XI.

M. ANTON. IMP. III VIR. R. P. C. AVG. Caput Antonii ex averſa, CAESAR IMP. PONT. III VIR R. P. C. Caput Cæſaris.

XII.

ANTONIVS IMP. Caput Antonii, ex averſa, CAESAR IMP. Caput Cæſaris.

Duo hi denarii, hinc Antonii, Cæſaris inde effigiem exhibent, ad denotandam concordiam: nam milites ad eam conciliandam ut Antonii, privigna Clodii & Fulviæ uxoris Antonii filia uxor daretur, Cæſari autores fuere, de quo *Dio*, *lib.* 47. *in fine.* „ Neque id Cæſar detrectavit, quia arbitrabatur eas nuptias nullo ſibi obſtaculo futuras in ea re, „ quam contra Antonium animo jam perceperat, quùm alio- „ quin Julium Cæſarem patrem ſuum cognoviſſet nihil mora- „ tum affinitatem cum Pompeio initam, in ſuis contra eum „ actionibus fuiſſe.

XIII.

M. ANTON. III. R. P. C. Lituus, & Præfericulum ſeu urceolus. L. PLANCVS IMP. ITER. Guttus ſeu vas oblongum, inter fulmen à dextris, & caduceum à ſiniſtris.

L. Munatius Plancus M. Antonii nomen in hoc denario cum Auguris inſignibus in illius honorem percuſſit, & eo quidem anno quo conſulatum nempe 711. cum Lepido geſſit. Quis ille fue-

rit in Munatia gente dicturi ſumus; cur M. Antonio denarium ſignavit, hic proferre contenti. *Paterculus* inquit, „ Plancus deinde dubia, id eſt, ſua fide (quia hic poſteà deſeruit Anto-
„ nium) diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ac
„ ſibi difficile conſentiens, & nunc adjutor Decii Bruti, deſi-
„ gnati conſulis collegæ ſui, Senatuique ſe litteris venditans, mox
„ ejuſdem proditor; Aſinius item Pollio firmus propoſito, &
„ Julianis partibus fidus, Pompeianis adverſus: uterque exerci-
„ tus tradidere Antonio.

Itaque Plancus Conſul cum Lepido, qui D. Bruti locum occupavit, denarium non in Lepidi, ſed M. Antonii gratiam, cujus partis erat, cudit, & Triumviri illius, qui Augur erat, inſignia expreſſit, quùm ille etiam Septemvir Epulonum eſſet: unde cultum hujus ſacerdotii inſigne in illo exhibuit, inter fulmen, nempe quod Imperii ſymbolum eſt, & caduceum, qui Felicitatis eſt typus; utrumque ad Triumviratum referens.

XIV.

M. ANTONIVS III VIR R P. C. Caput Antonii: in averſa, P. CLODIVS M. F. Mars nudus ſtans, galeato capite, d. haſtam, ſ. ſcipionem, ſeu ſceptrum.

Quis fuerit ille P. Clodius M. filius, in gente Claudia erit inquirendum, nunc nobis Antonii partium ſtudioſus denarium in ejus gratiam exhibet, tamquam Quatuorvir, ut ex ſequente liquet. At quùm in hoc & in aliis, quos Julio Cæſari & Octaviano Triumviro percuſſit, Martem eodem modo expreſſerit, ut iis conveniat, nobis inveſtigandum.

Duo præcipua apud Romanos Martis nomina fuerunt, nempe Gradivus, dum ad bellum properat & graditur, alter Quirinus nominatus, dum tranquillus & mitis eſt. Prior templum habuit extra urbem prope portam in via Appia, quaſi bellator, & ad arcendos hoſtes, ideò exhibetur gradivus, ut ſuprà in denario Muſſidii, & haſta curva quam manu agitat eam gerendo: poſterioris templum erat intra urbem ad tranquillitatem cuſtodiendam & Romæ cuſtodiam, ideò in his nummis ſtans quietus, d. innixus haſta, ſ. ſcipionem ſeu ſceptrum, ad tranquillitatem arguendam.

Per hoc Martis Quirini ſeu Tranquilli ſignum in Julio, poſt ſupe-

ſuperatos omnes & debellatos hoſtes, illum Romæ ſtatum quietum urbi reſtituendæ & conſervandæ attentum, demonſtrat Clodius; ut per idem Martis Quirini ſeu quieti ſignum in Antonii & Auguſti denariis, alludit iis omnibus poſt victos in campis Philippenſibus: quaſi unuſquiſque eſſet Mars alter tranquillus ad urbem in pace adminiſtrandam, debellatis & interemptis Julii percuſſoribus.

XV.

M. ANTONIVS III VIR. P. C. Caput Antonii, P. CLODIVS M. F. IIII VIR. A. P. F. Victoria alata nudo corpore ſtans, pede globo impoſito, d. caduceum, læva ſceptrum, ad pedes à dextris aquila, à ſiniſtris clypeus erectus.

En P. Clodius cum Quatuorviri monetalis titulo, quem ſuprà non expreſſit, qui poſtquam Martem exhibuit, ejus comitem in hoc denario Victoriam repræſentat: illos communes deos appellat *Virgilius*, *Æneid. lib.* 11.

In medioſque focos & dîs communibus aras.

Ubi *Servius* inquit, Dei communes ſunt Mars & Victoria, quod ii in bello utrique parti poſſunt favere.

Iſidorus Martem ſcribit nudo corpore effingi ſolere, quod quiſque in bello ſine formidine objicere ſe debet: an ideò victoriam nudam exhibet Clodius, quod Antonius ſine formidine victoriam de hoſtibus in campis Philippenſibus retulerit? Ipſa caduceo pacem indicat, quam ex hac pugna ſperabant Triumviri; ut orbis imperium, quod per globum terrarum orbis quem ipſa pede premit, deſignatur; ut per aquilam Romani Imperii ſymbolum, ad pedes ejus appoſita.

Sceptrum videtur Marti Tranquillo ſeu Quirino datum, quod erat baculus regni inſigne, quo reges majeſtatis gratia utebatur, ut quaſi alter Quirinus Romæ eſſet dominus, ſic victoriæ ſceptrum tribuit Clodius, tamquam per eam Antonius & Triumviri Romani orbis Imperium adepti fuerint. Propriè autem Jovis ſceptrum erat, ab eo ad reges & principes, de quo *Ovidius* 13. *Metam.*

Datique
Summa movet ſceptri. Id eſt, Imperii.

Re-

Reverà autem poſt Philippenſem Victoriam, Triumviri totum orbem Romanum partiti ſunt, ſaltem Antonius & Cæſar.

XV.

C. ANTONIVS M. F. PRO. COS. Caput juvenile pileo ornatum: ex averſa parte, PONTIFEX. Duo ſimpula adverſa cum ſecuri.

Urſinus hunc C. Antonii denarium poſt nummorum L Antonii Triumviri fratris ſeriem adjungit, quaſi eſſet eorum frater minor, ut epigraphe annuere videtur, Caius Antonius Marci nempe Oratoris filius: cui lubenter aſſentimur, de quo ne verbum quidem protulit, ſed quod præteriit, an quaſi offendiculum? nihilominùs pro viribus aggredimur.

Caius ille Antonius in denario proconſul appellatur, id eſt, prætor proconſulari poteſtate. Tres autem illi fratres anno $\frac{709}{10}$ quo Cæſar in Senatu occiſus eſt, Triumvir nempe Conſul fuit, Lucius Tribunus Plebis, & Caius, Prætor urbanus, Bruti collega. Ex prætura hic præmiſſus eſt à fratre M. Antonio ad exercitum in Macedoniam, quæ ipſi erat decreta, & quidem fratrem miſerunt cum Proconſulari imperio, ſortitionis titulo, ut& alii in alias provincias ſine auctoritate Senatus, quam quùm Marcus obſideret Mutinam, fecit irritam. Caius porrò in Macedoniam profectus, à Bruto circumventus eſt cum Hortenſio qui Prætorius provinciam anno anteriore adminiſtrabat, Caio quidem pepercit, ſed quùm nova moliri diceretur, in cuſtodiam miſit, quæ Clodio commiſſa eſt, & quùm illum Apolloniæ ſervare non poſſet, occidit; dicunt Bruti juſſu, quùm accepiſſet Marcum ejus fratrem D. Brutum interfeciſſe.

Qui denarium cudit ad Pontificis dignitatem, qua in eo inſignitur, reſpexit; nam ex anteriore parte Camillum puerum ingenuum Pontificis miniſtrum galero ſuo ornatum expreſſit, & in poſteriore inſtrumenta pontificalia nempe bina percuſſit, & ſecurim. Simpulum autem erat vas fictile, quo vinum in ſacrificiis libabatur: ſecuris ad ſecundas victimas appoſita; ſed de illo C. Antonii ſacerdotio ſilent *Autores*, à Julio Cæſare qui eorum numerum, teſte *Suetonio*, auxit, forſan factus.

XVII.

XVII.

Caput velatum Antonii, ante quod ſimpulum, pone autem præfericulum, ſine epigraphe: in averſa, P. SERVILIVS MACER. Eques bigas agens cum flagro, pone eum corona.

Velum quo amicitur M. Antonius ut Augur, *Urſinum* induxit, ut hunc denarium ad Lepidum ſummum Pontificem adjudicaret; ſed vera eſt Antonii effigies, ad quem etiam lituus & præfericulum, Auguratus inſignia ſpectant. P. Sepulius Macer Quatuorvir monetalis à Julio Cæſare creatus, eum cum velo, ut videre eſt in gente Sepulia, in ſuis denariis expreſſit, ut ſummum Pontificem; pariter poſt ejus mortem Antonium, qui conſul erat cum eo, in habitu Augurali nempe velo circumdatum exhibuit.

Sed qua de cauſa denarius illè percuſſus fuerit, indicat pars averſa, in quo figura bigas agit cum flagro, ad ludos Apollinares ſpectans. C. Caſſius Julii Cæſaris percuſſor, ut Prætor urbanus hos ludos celebrare debebat, coactus urbem deſerere, C. Antonius Marci frater ejus collega, illos ejus loco in circo, ante diem Prid. Non. Julias edidit de quo *Dio*, *lib.* 47. Erat quidem tunc Prætor urbanus Caſſius, necdum Apollinares ludos curaverat: verùm eos per collegam C. Antonium, abſens etiam ſplendidiſſimè peregit.

C. Antonius, quùm non ſuis, ſed Caſſii impenſis ludos edidiſſet, nomen in denario non appoſuit, ſed eorum memoriam ad poſteros propagare volens, M. fratris tunc conſulis effigiem cum typo illos deſignante, per Sepulium Macrum denariis cudendis præfectum exhibuit; & quidem Auguris habitu, ut etiam illum hoc ſacerdotio illuſtrem repræſentaret cum inſignibus Auguratus: quæ agnoſcit *Urſinus*, & ideò de hoc Lepidi ſacerdotio ſe apud *Scriptores* quidquam legiſſe fatetur. Corona Victoris eſt præmium.

XVIII.

M. ANT. IMP. AVG. III VIR. R. P. C. L. GELL. Q. P. Caput M. Antonii, pone quod Guttus. CAESAR IMP. PONT. III VIR R. P. C. Caput Cæſaris.

Hunc denarium cum Antonii capite ab una parte, & ex altera

cum Cæſaris effigie percuſſit L. Gellius, ut prioris Quæſtor: ſed littera P. alii Provincialis, alii Prætorianorum interpretantur; utrumque Triumviratum ſignavit ad denotandam non modò eorum concordiam, verùm ad utriuſque potentiam ſignificandam. Lucius ille Gellius cognomine Publicola, primò à partibus Bruti, deinde Caſſii ſtetit, ſed poſteà ad Antonium & Cæſarem relictis benefactoribus tranſiit; imò in civili bello Antonii cum Cæſare, ex illo ad hunc transfugit: uti in Gellia gente ſumus dicturi. Guttus pone caput Antonii ſpectat ad illius augurale ſacerdotium, quo ille fungebatur.

XIX.

M. ANT. AVG. III VIR R. P. C. M. BARBAT. Q. P. Caput Antonii, CAESAR IMP. PONT. COS. III VIR. R. P. C. Caput Cæſaris, pone quod lituus.

M. Barbatus ex *Appiano lib. 5*. Quæſtor fuit M. Antonii; in Macedonia quidem ſuſpicatur *Pighius*, poſt pugnam Philippenſem inter Triumviros, ſed ut plures habebat Quæſtores Antonius in Triumviratu Barbatus Quæſtor provincialis recenſetur, & denarium eadem ratione qua *Gellius* ſuprà, nempe ad communem utriuſque potentiam arguendam, percuſſit: *Appianus* autem narrat, Antonium contra Barbatum, quem malè appellat Barbatium, quùm ſit prænomen M. Valerii Meſſalæ, aliquo modo offenſum, poſt pugnam Philippenſem dimiſiſſe, ſed ille Romam reverſus id diſſimulavit, & in gratiam L. Antonii fratris conſulatum adepti denarium percuſſit.

XX.

Caput Victoriæ cum alis in dorſo: ex averſa parte, LVGVDVNI, per tranſverſum, A. XL. Leo gradiens.

XXI.

Caput idem Victoriæ cum litteris, III VIR. R. P. C. in altero latere, ANTONI. IMP. per tranſverſum, A. XLI. Leo gradiens.

Duo illi quinarii in gratiam M. Antonii, quùm eſſet Triumvir Reipublicæ conſtituendæ, haud dubiè Luguduni ſignati ſunt, ut

ut ferunt eorum inſcriptiones, ſed annus XL. in priore, ut XLI. in poſteriore dubium quibuſdam movent. Victoriæ imago ad aliquam Antonii victoriam ſpectat, & Leo ejus urbis ut & Triumviri inſigne eſt: de quibus dicturi ſumus, poſtquam in gratiam Lugdunenſium de illorum urbium originibus aliquid præmiſerimus.

Duæ fuerunt urbes ex *Dione*, ubi nunc celebris illa civitas ſita eſt; altera in colle, de qua *Clitophon Hiſtoricus Rhodius*, qui τῶν κτίσεων ſcripſit apud *Plutarchum lib. de fluv. in Arari*; non autem erat ex Rhodo inſula ortus, ſed ex Rhoda urbe Galliæ, unde Rhodani fluvio nomen, ex *Plinio*: narrat ille Momorum & Atepomarum fratres ex ſedibus ſuis dejectos in colle ex oraculi præcepto urbem condidiſſe, & corvis ſubitò apparentibus civitatem Momorum appellaſſe Lugudunum à verbo *lugu* lingua Celtica corvum ſignificante, & voce *Dunum*, quæ locum eminentem ſonat; quaſi urbem corvi.

Altera civitas inter Araris & Rhodani confluentes à Munatio Planco Senatus juſſu condita eſt, ut innuit *Dio*, *lib.* 46. Senatores enim quùm audiviſſent Silanum Antonii rebus favere, Lepidum ac L. Plancum timentes, ne hi quoque ſe Antonio adjungerent, ad eos, qui dicerent, nihil jam eorum Remp. opus habere. Ac ne quid ſiniſtri ſuſpicarentur, facinuſque aliquod perpetrarent, juſſi ſunt à Senatu iis, qui quondam Vienna, quod eſt provinciæ Narbonenſis oppidum, ab Allobrogibus expulſi, ad confluentes Rhodani, Ararisque fluviorum conſederant, urbem condere. Itaque illi ſubſiſtentes Lugudunum, ædificarunt, Lugdunum nunc vocatum.

Lepidus per Silanum ſe conjunxit Antonio. Plancus verò, qui urbem expulſis condiderat emeritis militibus, in Italiam venit, ubi circa Bononiam Lepidus, Antonius, & Cæſar Triumviros Reip. conſtituendæ cauſa ſe nominarunt, & provincias inter ſe diviſerunt.

Lepido Hiſpania omnis evenit ac Gallia Narbonenſis, Antonio reliqua Gallia, nempe Ciſalpina & Tranſalpina, in qua erat Lugudunum. *Seneca* eam urbem nobis indicat, *Satyr.* eſſe municipium, dum poſt mortem Claudii, Luguduni nati, introducit Febrem Herculi dicentem, *Marci municipem vides.* Per Marci vocem intelligit M. Antonium, nam Claudii mater erat Antonia,

hæc verò filia Marci Triumviri, ſed de hoc non eſt accipienda; nam Lugudunum ut fieret municipium non curavit, ſed Marcus ejus pater Oratoris filius, ut innuunt anni XL. in nummo ſignati, tempus illud deſignantes.

Gallia Tranſalpina facta eſt provincia Romana an. $^{633.}_{4}$ poſtquam Fabius dictus Allobrogicus, Allobroges & Arvernos domuiſſet. Lugudunum tunc eſſe cœpit ſub Romanorum poteſtate; M. autem Antonius Oratoris filius & Triumviri pater Quæſtor fuit provincialis an. $^{673.}_{4}$ quùm lege Cornelia primùm creati ſunt viginti, apud *Pighium, tom.* 3. *pag.* 273. & Senatuſconſultum Lugudunenſibus, quo municipes eſſent ſed ſine ſuffragio, attuliſſe videtur, nam *Livius, Breviario libri* 90. illum legatum pro Quæſtore L. Manilio in Gallia Narbonenſi fuiſſe anno ſequente $^{274}_{5}$ nos edocet. Lugudunenſes Antoniæ genti ideò devoti, quod illa ab Hercule originem traheret, memores, pro inſigni, Leonem quam ipſa geſtabat, acceperunt. Quod Leo Antoniæ gentis inſigne ſit, non ſinunt dubitare *Cicero, qui ad Atticum ep.* inquit, *pertimeſce Antonii leones*; *Plinius*, qui M. Antonium dum triumpharet, primùm leones currui geſſiſſe narrat, *lib.* 8. denique tot nummi ipſius Triumviri, in quibus Leo exhibetur: nihil mirum igitur, ſi Lugudunum ejus nomine quinarios, monetam ſuam cum Leonis ſtemmate ſignavit.

Victoria pro capite M. Antonii in illis expreſſ,a nobis victoriam de Parthis relatam indicat; nam ſi annos XL. & XLI. à Luguduno municipio facto anno $^{673.}_{4}$ ut ſuprà diximus, dinumeres in annum $^{714.}_{5}$ quo Ventidius Antonii legatus Parthos Syria, Cilicia & Tauro monte expulit, incides. Sic voces A. XL. à *Fulvio Urſino*, & aliis primæ notæ *Antiquariis* explicantur, nec alia interpretatio ad nummos ſpectare poteſt. Lugudunum autem latinè ſcribit, ut municipium Romanum, quod confirmant *Æneæ Tabulæ* in baſilica hujus urbis adhuc ſervatæ, dum Claudius Imperator „ in iis ait; Ex Luguduno habere nos, noſtri ordinis viros non „ pœnitet.

Ut autem de duabus urbibus Luguduno & Lugduno abſolvamus, nobis ſupereſt aliquid de hac proferre, poſtquam à Munatio Planco expulſis è Vienna, in Araris & Rhodani confluente condita an. $^{710.}_{1}$ ille verò Romam cum Triumviris reverſus exeunte anno de Gallia triumphavit, ut ferunt *Marmora*

Capt-

Capitolina. Julius Cæſar Ulteriori Galliæ eum tribus legionibus præfecerat, ſed de rebus illius in ea geſtis, parum memoriæ proditum eſt ab *Hiſtoricis.* Anno ſequente 711. cum Æmilio Lepido Conſulatum geſſit, quo Senatuſconſultum habuit de Lugduno Colonia Romana, ut indicat ejus denarius cum colono boves agente, de quo in Munatia gente: ſed illa Colonia quùm non eſſet, ex civibus Romanis in eam deductis, Jus Latii tantùm habuit.

Denique Claudius quod Luguduni eſſet natus, urbem civitate Romana donari voluit, Senatuique propoſuit, ut de hoc Senatuſconſultum fieret, quo facto, illa ab eo appellata, ut ferunt plurimi *Lapides antiqui*, C.C.C. AVG. LVG. id eſt, Colonia, Claudia, Copia, Auguſta, Lugudunum, ut R. P. *Claudius Meneſtrierius* rectè explicuit, & ſic municipium Lugudunum Colonia facta eſt cum omnibus civium Romanorum privilegiis, & Lugdunum coloniam cum jure tantùm Latii, unam eamdemque civitatem eſſe factam credibile eſt, quæ longo tempore Lugudunum, & tandem Lugdunum, ut adhuc vocatum eſt; imò ex Leonis antiquo ſtemmate, quod adhuc pro inſigni gerit, Gallicè *Lion* nuncupatum videtur.

XXII.

M. ANT. IMP. AVG. III VIR. R. P. C. M. BARBAT. Q. P. Caput Antonii, CAESAR. Trophæum, ad cujus pedes hinc captivus manibus poſt terga revinctis, & mulier lugens.

Trophæum illud cum capite Antonii, & nomine Cæſaris videtur ab iiſdem ſimul fuiſſe erectum, nempe poſt pugnam Philippenſem de Bruto & Caſſio relatam: in qua libertas ad ejus imum luget, & captivus, manibus poſt terga revinctis, turbam eorum qui pro ea & percuſſoribus Julii Cæſaris ſteterunt, repræſentans, in cujus victoriæ monimentum Barbatus Antonii Quæſtor denarium cum illius effigie, & nomine tantùm Cæſaris percuſſit.

XXIII.

M. ANT. IMP. AVG. III VIR. R. P. C. M. BARBAT. Q. P. Caput M. Antonii, L. ANTONIVS COS. Caput L. Antonii Conſulis.

M. Antonius L. Antonium fratrem poſt exactum plebis Tribunatum, ſecum ad obſidionem Mutinæ, in qua erat D. Brutus, duxit: unde ambo hoſtes P. Romani declarati ſunt; ſed Marcus per Triumviratum cum Lepido & Cæſare initum, eum Conſulem deſignavit pro anno V. C. 7^{12}_{13} Barbatus verò, quùm ab Antonio Triumviro dimiſſus fuiſſet id diſſimulavit, & denarios in honorem novi Conſulis L. Antonii percuſſit, & poſtquam veteranos ex coloniis Antonii contra Cæſarem in bello Peruſino, ex L. Antonii partibus ad Cæſarem traduxiſſet, eum poſteà ſequutus eſt, ut inquit *Appianus*, *lib.* 5. „ Intereà Barbatus „ Antonii Quæſtor, ab offenſo dimiſſus, ſciſcitantibus militi- „ bus reſpondit. Eum iraſci gerentibus bellum contra Cæſa- „ rem & communem potentiam, quo factum eſt, ut quotquot „ dolum Barbati non ſenſerunt, à Lucio deficerent ad Cæſarem.

XXIV.

M. ANT. IMP. III VIR. R. P. C. M. NERVA PROQ. PR. *Proquæſtore Provinciali*, L. ANTONIUS COS. Caput L. Antonii.

Lucius Antonius conſulatum geſſit cum P. Servilio Vatia Iſaurico II. anno 7^{12}_{3} Marcus Cocceius Nerva, quem Lucium appellat *Appianus*, ſed cujus denarii conſtanter Marcum nominant, Proquæſtore Triumviri, in honorem L. Antonii tunc Conſulis denarios cum ejus imagine expreſſit. Nomen autem Proquæſtore, eum in quæſtura, quæ, etſi ignoratur, prorogatum ab Antonio Triumviro Cocceium Nervam hoc anno fuiſſe demonſtrat. Ejus dexteritatem in componendis amicorum diſſidiis in Cocceia gente exponemus.

XXV.

ANT. AVG. IMP. III VIR. R. P. C. Caput M. Antonii, PIETAS COS. Mulier ſtolata ſtans, d. temonem tranſverſum, ſ. cornucopiæ: pro pedibus, ciconia avis.

L. Antonius, quùm in ſtirpe ſua Antoniorum nullum ineſſet cognomen, ob arctam quam cum Marco amicitiam habebat, & beneficia ab eo accepta, Pietas cognomen aſſumpſerat, teſte *Dione*, *lib.* 48. „ Sed L. Antonius cauſæ ſocieta- „ te cum Fulvia contracta, ac ſi id fratris ſui Marci cauſa faceret,

ceret. Διὰ γὰρ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὐσέβειαν καὶ ἐπωνυμίαν ἑαυτῷ Πίετας ἐπέθετο. Nam Pietatis quoque cognomen ſibi propter ſuam in fratrem pietatem ſumpſerat. Ideò Conſul factus, fratris imaginem, & in averſa parte, Pietatis ſignum, cognomini ſuo alludens, in denario expreſſit. Acerra in manu Pietàtis, ad deos ſpectat, nam pietas erga parentes inchoat à pietate erga deos.

XXVI.

ANTONIVS IMP. III VIR R. P. C. Caput M. Antonii, in poſtica, PIETAS COS. Mulier ſtolata ſtans, d. acerram, ſ. cornucopiæ, in cujus vertice duæ ciconiæ.

Alterum ecce denarium L. Antonii Conſulis cum cognomine PIETAS, & ipſius Pietatis ſigno cum ejus ſymbolo, ciconia. Pietas dea fuit, & ipſa culta, qua & cæteros deos colebant antiqui, cujus ædem dedicavit M. Acilius Glabrio in foro Olitorio apud *Livium, lib.* 10. *Dec.* 4. Ciconia pro ſymbolo Pietàti tribuitur, quod illa pietatem erga parentes denotat, ſi quidem illa avis patrem ſenio confectum ſuper alas gerere, & illi eſcam afferre dicatur; etiam ciconiæ apud Augures concordiam denotabant, unde ex pietate & concordia naſcitur abundantia, cujus ſymbolum eſt cornucopiæ.

XXVII.

ANT. IMP. III VIR. R. P. C. Caput Antonii, pone quod lituus, CN. DOMIT. AHENOBARBVS IMP. Navis, in vertice aſtrum.

Cn. Domitius Ahenobarbus hunc cudit denarium, poſtquam Antonii partes ſequutus eſt anno V. C. 713^{4} Is ex *Dione, lib.* 48. unus ex Cæſaris interfectoribus ex Philippenſi pugna effugerat, parataque claſſe aliqua mare aliquamdiu jam tenebat, ac multa rebus hoſtium damna inferebat, *Appianus lib.* 5. Quùm ad Caſſium Brutumque ſe propinqua ſibi cognatione conjunctos contuliſſet, poſt utriuſque interitum claſſem olim commiſſam retinuit, auxit etiam. At quùm videret bellum Peruſinum confectum, ſuis viribus diffidens ad mare Ionium tenendum, M. Antonio ſponte & ingentis meriti loco claſſem tradidit. A militibus Imperator appellatus, ejus titulum in denariis acce-

accepit. Stella verò nomen navis, quam conſcendebat, deſignare videtur.

XXVIII.

III VIR. R. P. C. Caput concordiæ velatum, M. ANTON. C. CAESAR. Duæ dexteræ tenentes caduceum.

Videtur hic denarius cum capite Concordiæ ad illam denotandam inter Antonium & Cæſarem percuſſus, præſertim quùm utriuſque nomina in eo inſcripta ſint; ſed dexteræ tenentes caduceum per eam cujus ſymbolum illæ ſunt, pacem inter eos factam etiam arguunt: nam poſt Peruſinum bellum Fulvia Antonii uxor ad eum ſe recepit, & ipſe Brunduſium ex Oriente, qui illi ceſſerat, quùm veniret, à Cæſaris militibus urbis ingreſſu prohibitus eſt; unde bellum inter eos exortus eſt, & Cocceii Nervæ utriuſque amici interventu pax, exercitu utriuſque eam exoptante inita eſt, & Fulvia Sicyone tunc mortua, Octavia Auguſti ſoror in uxorem Antonio ad eorum concordiam & pacem firmiorem reddendam, communi utriuſque partis conſenſu data eſt; quæ forſan ſub deæ Concordiæ in denario repræſentatur.

XXIX.

M. ANTONIVS IMP. Caput Antonii, ex averſa parte, CAESAR IMP. Caduceus alatus.

XXX.

CAESAR IMP. Caput Cæſaris, ex altera parte, ANTONIVS IMP. Caduceus alatus idem.

XXXI.

Alter cum ſimili capite Cæſaris, in poſtico latere duæ dextræ tenentes caduceum, M. ANTON. C. CAESAR.

Antonius & Cæſar ut ſe verè pacem ſimul feciſſe demonſtrarent, denarios cudi curant, ut modo ab una parte caput Antonii & nomen Cæſaris, modo Cæſaris imago, & nomen Antonii, imò utrumque ab altera videretur; cum pacis ſymbolo nempe caduceo. Poſt ictum hoc poſtremum fœdus, in urbem deinde reverſi nuptias celebrarunt, & quùm ad res urgentes obeundas proſpexiſſent,

ſpexiſſent, bellum contra Pompeium Cæſari obvenit, Parthicum verò Antonio, ad ulciſcendam illatam Craſſo injuriam. Hic Ventidium in Aſiam dimiſit, & Cæſar exercitum Salvidieni quem occidit, ut ſuſpectum, dedit Antonio, apud *Appianum*, quæ omnia ſunt veræ pacis & concordiæ ſigna.

XXXII.

Caput Antonii: ex altera parte, M. ANTONIVS III VIR R. P. C. Duo cornucopiæ, intermedio caduceo alato ſupra globum.

Antonius ut pacem verè cum Cæſare initam demonſtraret, denarios etiam ſignari juſſit cum caduceo pacis ſymbolo; ſed illo globo impoſito, ut ſe totum terrarum orbem cum Cæſare diviſiſſe ſignificaret, & ſic per pacem inter eos ſancitam, omne genus abundantiæ in utramque orbis ſui partem futuram, de quo *Appianus lib. V.* „ Tum Antonius & Cæſar totum Romanum imperium inter ſe denuò partiti ſunt, feceruntque terminum „ utriuſque ditionis Scodran, oppidum Illyricum, quod vide- „ batur ſitum in intimo ſinu Adriatico, ab hoc verſus Orien- „ tem, ut omnes Antonius haberet tam inſulas quàm provin- „ cias uſque flumen Euphratem: verſus Occidentem verò Cæ- „ ſar uſque Oceanum.

XXXIII.

ANTONIVS AVGVR COS DES. ITER. ET TER. Caput Antonii M. SILANVS AVG. Q. PRO. COS. in area.

Pace inter Antonium & Cæſarem per matrimonium prioris cum Octavia, poſterioris ſorore, Romæ inita, fames in urbe populum premebat, ob Sex. Pompeium Siciliam occupantem, Populus, ut pacem etiam cum eo facerent illos adegit: itaque Antonius & Cæſar Baias profecti ſunt, & ad Ænariam inſulam colloquio cum Sexto admiſſo anno 717. inita eſt, & ſequenti die, inquit *Appianus*, *lib.* 5. coss. deſigna- „ ti ſunt in quadriennium ante omnes Antonius & Libo, ut ta- „ men Antonio liceret alium pro ſe ſubſtituere; poſt illos Cæſar „ & Pompeius, tum Ænobarbus & Soſius: deinde rurſum Cæ- „ ſar & Antonius. Iſta verò Conſulum deſignatio apprimè facit ad

distinguendos Antonii pro anno in quo cusi sunt ejus denarii, dignoscendo.

M. Junius Silanus Lepidi Tribunus se Antonio, postquam in pugna Mutinensi debellatus ad Lepidum confugerat, adjunxit: ab hoc deinde tempore illius partes semper sequutus est & pro quæstore factus in aliqua Antonii provincia cum proconsulari potestate, denarios cum designati iterùm consulis titulo, ut convenerant in pace cum Pompeio inita, percussit, quibus etiam Silanum fuisse Augurem factum docemur.

XXXIV.

IMP. ANTONIVS AVG. III VIR. ITER. R. P. C. Caput Antonii, pone quod lituus: in aversa, Victoria coronam imponens trophæo.

XXXV.

ANT. IMP. Guttus & gallus gallinaceus: in postica typus idem.

XXXVI.

ANT. IMP. Lituus, Guttus & gallus gallinaceus, ex altera parte typus idem.

Qua de causa erectum sit trophæum illud à Victoria coronatum, in hoc denario & quinario, demonstrat Triumviratus Reipublicæ constituendæ iterùm ab Antonio & Cæsare in quinquennium prorogatus, in fine anni consulatus Gellii & Nervæ. Postquam autem fœdera Cæsaris & Pompeii fuissent turbata, ex Syria redierat in Italiam Antonius, tamquam ad hujus societatem, sed interventu Octaviæ, Cæsar & Antonius rediere in gratiam, & antequam ex ea ad bellum Parthicum discederet, inquit *Dio*, *lib.* 49. „ Sexto Pompeio consulatum & sacerdotium, „ quæ ei destinata fuerant, ademerunt: ac in aliud sibi quin„ quennium (jam enim exierat priùs) principatum proroga„ verunt. Deinde Antonius in Syriam profectus est.

Ventidius Antonii legatus Pacorum Phrahatis regis filium in Syria Cyrrhestica prælio iniit, & trans Euphratem Parthos compu-

compulit: in cujus memoriam trophæum in Syria erectum est, & tum denarii, tum quinarii in Antonii honorem cum novo Triumviri iterùm titulo percussi sunt.

XXXVII.

M. ANTON. IMP. Caput M. Antonii, pone quod lituus; in aversa, III VIR. R. P. C. cista; supra quam Bacchus muliebri habitu, d. cantharum, s. thyrsum, hinc & inde serpens in gyros sese attollens.

Nummus ille argenteus tetradrachmalis cum effigie Antonii, signatus est in Asia, in modum Cistophororum, ut illi monetam argenteam maximam cudere solebant. De iis loquitur illatis in ærarium, triumpho M. Acilii de Antiocho, *Livius Dec.* 4. *lib.* 7. „ Prælata sunt in eo triumpho signa militaria CCXXX. & argenti infecti tria millia pondo: signati tetradrachmûm Atticum „ CXIII.* millia: Cistophororum CCXLII. Cistophori verò dicti erant à cista in iis signata in medio duorum serpentum, ut norunt antiquarii, & ut quinarius Augusti, in quo circa hunc typum legitur inscriptum, ASIA RECEPTA. Cista verò ad Bacchum ut & serpentes spectant, at quùm Asiani acceperant, Antonium hieme præcedente Athenis Bacchum se alterum nominasse (teste *Dione*, *lib.* 48. Ibi inter alia quæ contra patrium morem age- „ bat, Bacchum se alterum appellavit) Bacchum ipsum supra cistam in nummis exhibuerunt.

XXXVIII.

M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Capita M. Antonii laureati & Cleopatræ jugata: in aversa, III VIR. R. P. C. Typus idem.

Non modo in Ægypto ubi regnabat Cleopatra, percussi sunt nummi, in quibus caput ejus cum Antonii effigie exhibetur, sed etiam Asiani totius provinciæ nomine in Cistophoris suis eorum imagines cuderunt, præsertim quùm accepissent, Antonium statim à Corcyra in Italiam remisisse Octaviam, ne sui in Parthico bello periculi consors ea foret, prætexentem.

XXXIX.

Eadem epigraphe in corona ex hederæ foliis, cum uvæ botris implexa, cum capite Antonii, in cujus imo lituus, III VIR. R. P. C. Caput Cleopatræ ſupra ſolitam ciſtam, cum ſerpente hinc & inde in gyros circumvoluta.

Aſiani in aliis Ciſtophoris effigiem Antonii percutiunt cum lituo, Auguratus ejus inſigni, ſed tamquam Bacchum venerantes, ideò illius imaginem intra coronam hederaceam huic deo ſacram exhibent; hedera verò ſacra Baccho, quæ contra ebrietatem facere putatur, vel quia Ciſſus puer fuiſſe in ejus comitatu dicitur, qui quùm ſaltaret cum Satyro, humi lethaliter afflictus, ab eo deo eſt in hederam transformatus: at ut Aſiani in ſuperiore ciſtophoro Bacchum pro Antonio poſuerunt, in hoc Cleopatræ thoracem illi honoris gratia imponunt.

XL.

Caput idem Antonii in ſimili corona, cum eadem epigraphe: pharetra, in qua arcus & ſagittæ, cum duobus illis ſerpentibus, ut ſuprà.

Alter prodit Ciſtophorus ab Aſianis ſignatus cum eadem corona, in qua Antonii etiam effigies, ſed pro ciſta ſolita inter angues, in hoc exhibetur pharetra inter arcus & ſagittas. Invaluit uſus, ut hic etiam tetradrachmus ex argento nummus Ciſtophori nomen ob formam & pondus habuerit: at ſi mihi conjecturæ locus, angues ſunt Aſiæ inſignia, quæ modò cum ciſta Bacchi cum quo conveniunt, ad ejus cultum apponuntur: nam Bacchi ſacris moris fuit ciſtulam ferre, in quo illius arcanorum myſteria abſcondita erant, ſerpentes etiam geſtabant Bacchantes: de quibus, *Catullus in Epith. Thetidis & Pelei:*

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis.

modo pro ciſta pharetram cum arcu, ob cultum quo Herculem proſequebantur; ad quem angues ſpectare poſſunt, quùm ille puer geminos angues eliſerit.

XLI.

XLI.

M. ANTONIVS M. F. M. N. AVG. IMP. ITER. Antonius galeatus ſtans, pede ſiniſtro ſupra proram, d. haſtam, læva parazonium. III VIR R. P. C. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Leo pede enſem, deſuper aſtrum.

Antonius ut Mars tranquillus depictus eſt, poſt Parthos ex Aſia & Syria à Ventidio ejus legato profligatos, pede calcat proram navis, tamquam trans Euphratem repulſos. Unde Imperatoris iterùm verè tulit titulum. Leo in averſa parte ejus inſigne eſt, ut diximus in quinariis à Lugdunenſibus percuſſis, in memoriam Herculis, à quo originem trahere ſe jactabat: habet autem enſem, nolimus dicere, quòd eo ſic armato pro ſigillo utebatur, à tempore quo Julius Cæſar ei forſan dederit anulum quem gerebat Pompeius, cujus meminit *Plutarchus*, „ *in illius vita*; eum qui caput Pompeii ſibi obtulit, ut deteſtabilem averſatus eſt. Anulum „ ejus accipiens illacrymavit. Inſculptus leo erat enſem tenens. „ Aſtrum ad leonem ſpectat, quem in gratiam Herculis à Jove inter aſtra conſtitutum, ut refert *Hyginus*.

XLII.

Caput Antonii laureati, & Cleopatræ ſine epigraphe, in averſa, Leo, ANTON. detritæ ſunt litteræ.

Ex vultibus Antonius & Cleopatra dignoſcuntur, ſed Antonius præſertim, ut nobis eum deſcribit *Plutarchus in ejus vita*: „ Formæ ei ingenua dignitas & barba promiſſa, frontiſque amplitu- „ do, & naſus aduncus faciem virilem repræſentare pictis & ſcul- „ ptis Herculis ſimulacris germanam videbatur. Fuit etiam ve- „ tus fama ducere ab Hercule Antonios genus, atque ab Antone Herculis filio eſſe prognatos. Nil mirum, ſi pro ſtemmate leonem tulerit Antonius, cujus ſpolium ſemper Hercules geſſit, quod illum in ſylva Nemea inermis pro primo labore occiderit.

XLIII.

M. ANTON. AVG. IMP. III VIR. R. P. C. Caput Antonii, M. BARBAT. PRO PR. PR A. *Marcus Barbatus Proprætore Provinciæ Achaiæ.* Triremis cum velo & remigantibus.

Goltzianus hic nummus inter Antonii nummos ſcalptus Vale-

rium Barbatum ab Antonio irato dimiſſum, apud *Appianum*, confirmat illum in gratiam cum eo rediiſſe & provinciam Achaiam poſteà obtinuiſſe, forſan Fulviam cum Planco in Græciam ſequutus eſt, & quùm illa Sicyone mortua eſſet, in ejus officii gratitudinem ab eo hanc provinciam accepit, quæ poſteà pace cum Sex. Pompeio inita, ipſi cum Sicilia & Sardinia data eſt, ut narrat *Dio*, *lib.* 48. „ Quinquennale ei eſſe imperium in Siciliam, „ Sardiniam, & Achaiam. Barbatus autem ſe Proprætore „ Achaiam gubernaſſe demonſtrat, & navem ſeu triremem in nummo ſignat, ſeu ut præfectus claſſis Antonii, ſeu quod navale in Achaia etiam Antonius haberet, cui etiam præeſſet.

Hic Barbati nummus non deſcriptus eſt ſecundùm hiſtoriæ Antonii tempora, ſed in gratiam Antiquariorum omnes illius Triumviri nummos, in quibus naves ſeu triremes occurrunt, ſimul & continenter proferre ſtatuimus, ut eorum inſcriptionem qui poſteà incident, aſſequi poſſint.

XLIV.

C. FONTEIVS CAPITO PROPR. Capita Antonii & Cleopatræ jugata. III VIR. R. P. C. Navis cum remis velo expanſo. M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TECT.

XLV.

Alter cum eadem inſcriptione, ex antica parte in poſtica tranſlata.

A Caio Fonteio Capitone percuſſus eſt nummus, non modò cum Antonii effigie, ſed ſociatam habet Cleopatram, quam adduxit ad Triumvirum ejus juſſu, teſte *Plutarcho*, quùm Octaviam ex Corcyra Romam dimiſerat, nam, inquit, „ Cleopatræ amor, qui ſopitus melioribus conſiliis atque extinctus videbatur, eluxit ex integro & excitatus eſt, eo Syriæ appropinquante, Καπίτωνα Φοντήιον ἔπεμψεν ἄξοντα Κλεοπάτραν εἰς Συρίαν. „ Fonteium Capitonem ad Cleopatram adducendam in Syriam miſit. Fonteius ſe Proprætore inſcribit, nomen provinciæ forſan eraſum eſt, quod in Barbati nummo legitur, & Præfecti claſſis titulum non adſcribit, quem fortaſſe habuit. Alios nummos in gente Fonteia proferemus.

XLVI.

XLVI.

M. ANT. IMP. COS. DES. IT. ET TER. III VIR. Capita Antonii & Cleopatræ ſociata, M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. Navis Prætoria cum velo expanſo, cum littera A. in vertice.

Quis fuerit ille M. Oppius Capito, altum eſt apud *Autores* ſilentium; illius tamen nummi, & quidem tres diverſi eum legatum pro prætore in aliqua Antonii provincia fuiſſe demonſtrant, & ſi mihi conjecturæ locus, ex eorum quibuſdam in Siciliæ parte exiſtimo, poſtquam ipſa inter Cæſarem & Antonium, poſt expulſum ex ea Sex. Pompeium, diviſa eſt. Pars quidem illa videtur fuiſſe verſus meridiem, cujus præcipua urbs erat Panormus, ut ſolenne ejus oppidi inſigne in Oppii nummo ſignatum demonſtrat, ut fusè in illius gente demonſtrabimus: intereà *Dio, lib.* 50. Antonium Siciliæ portionem habuiſſe profert, quùm illum „ milites alloquentem ante pugnam Actiacam narrat. Denique „ quanta tandem portio Sicilia eſt, noſtri imperii Oppius etiam Præfecti Claſſis titulum aſſumit, quod Panormi navale haberet Antonius.

XLVII.

M. ANT. IMP. IT. COS. DESIG. ITER. III VIR. R. P. C. Capita averſa Antonii & Cleopatræ, pone quam prora navis, M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. *Fieri curavit.* Navis Prætoria cum velo, in imo littera B.

Patini nummum ex integriore reſtituimus: in hoc Antonius Imperator iterùm appellatur, nempe poſt Ventidii legati ſui de Labieno & Parthis victoriam: Oppius autem Capito nummum fieri curavit, ut ipſemet ſcribit, pro militum ſcilicet ſtipendio. De littera A, in nummi ſuperioris vertice, nihil quidem protulimus, ſed altera B, in hujus imo ſignata, nos edocet Oppium Capitonem annum ſecundum claſſis præfecturæ deſignare, ut videtis in tertio nummo quem ſumus in gente Oppia producturi, litteram Γ, tertium etiam in hac præfectura annum, quem ille, niſi perfecerit, eum tamen inchoaſſe demonſtrat.

XLVIII.

XLVIII.

M. ANTON. IMP. COS. DES. ITER. ET TER. III VIR. R. P. C. Capita Antonii & Cleopatræ ſociata, L. PINAR. SCARPVS IMP. AF. *Imperator Africanus.* Navis Prætoria cum velo.

De L. Pinario Scarpo loquitur *Dio lib.* 51. „Ceterùm Antonius „ in Africam quoſdam miſit ad Pinarium Scarpum & exercitum, „ quem is jam ante ibi conſcriptum ad tuendam Ægyptum tenebat. Ex iis verbis Scarpum Africæ præfectum pro Antonio fuiſſe colligimus, qui dum fidus ei eſſet, nummos ipſi & cum Cleopatræ imagine percuſſit, in quibus ſe Imperatorem Africanum nominat, ex aliqua victoria quam ibi reportavit; ut indicat denarius, de quo in Pinaria gente dicturi ſumus.

XLIX.

M. ANT. IMP. TER. COS. Capita Antonii & Cleopatræ averſa, L. ATRATINVS PRAEF. CLASS. *Fieri curavit.* Duæ naves cum velis.

Alter iterum ex *Patino* per integrum reſarcitus prodit, & quidem à L. Atratino è gente Sempronia percuſſus, is conſulatum anno 719. ab Antonio abſente ſuffectus, cum L. Scribonio Libone, ut ex fœdere cum Cæſare & Pompeio an. $^{717}_{8}$ erat ſancitum, quod Antonius in ejus locum ſubſtitui poſſet, & hic ex eo tempore factus iterùm conſul, non legitur in ejus nummis, COS. DESIG. ITER ET TERT. ſed COS. ITER. DESIG. TERT. quem tamen Romæ non iniit, quùm hoſtis ſit indicatus. Quùm verò ex conſulatu Atratinus Kal. Jul. ſuffecto in ejus locum C. Memmio, exiiſſet, Oppii Capitonis claſſium præfecturæ ſucceſſiſſe videtur.

L.

Eadem inſcriptio cum iiſdem capitibus, L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. *fieri curavit.* Antonius & Cleopatra, ſtantes in curru, à quatuor equis marinis tracto.

Mutilum etiam *Urſinus* nummum protulit, quem etiam detritum ſcalptor non benè expreſſit; ſed idem L. Atratinus claſſis Antonii præfectus eum fieri curavit, poſtquam Triumvir, Imperatoris

ratoris tertio titulum ex Armenia capta, Artuasde illius rege secum in Ægyptum abducto, de eo Alexandriæ triumphavit, ut narrat *Dio*, 49. Artuasdem cum conjuge & liberis secum abducens in Ægyptum reversus est, eosque inter alios captivos ante se in triumpho Alexandriam introduxit; curru ipse invectus, forsan à leonibus tracto, ut refert *Plinius* 8.*lib.* 16.*cap.* At quùm denarii, in quibus trophæum cum spoliis & prora navi esset erectum, percussi fuissent ad denotandum quòd pars exercitus per mare fuisset transvecta: Atratinus triumphum marinum, ut classis Præfectus, ad potentiam Antonii & Cleopatræ in mari demonstrandam, signare voluit.

LI.

M. ANT. IMP. COS. ITER. DESIG. TERT. III VIR. R. P. C. Caput Antonii, P. CANIDIVS CRASSVS. LEG. A. P. legatus *Armeniæ provinciæ*. Navis Prætoria cum velo.

Nemo nescit Canidium Antonii ducem Armeniam occupasse, siquidem *Plutarchus* inquit, *in ejus vita*. „ Canidiusque ab eo in finibus Armeniæ relictus hanc domuit, Iberorumque & „ Albanorum regibus subjugatis usque ad Caucasum progressus „ est: quibus rebus nomen & fama inter barbaros Antonii po- „ tentiæ est amplificata. Nil mirum igitur, si Antonius Canidium Armeniæ provinciæ, postquam Artuasdem illius regem posteà vinctum Alexandriam in triumphum duxerit: sed cur illa navis prætoria in nummo? audias eumdem *Plutarchum*: „ quùm Antonius Cæsarem eum in Senatu, & crebrò ad populum criminari acce- „ pisset in Armenia. Ex templo, inquit, Canidium igitur cum XVI „ legion. ad mare descendere imperavit; ipse trahens secum Cleo- „ patram concessit Ephesum, quò classis undique cogebatur. Ca- „ nidius in memoriam, quod tot copias per mare transmisisset, navim hanc Prætoriam in nummis suis, ad militum stipendium cusis, signavit.

LII.

M. ANT. IMP. TER. DESIG. TERT. III VIR. Caput Antonii, L. BIBVLVS PRAEF. CLASSIS. Navis Prætoria.

L. Bibulus ex Calpurnia gente M. Bibuli collegæ Julii Cæsa-

ris in consulatu, filius fuit, & quùm pater Pompeianæ classis præfectus ex morbo apud Corcyram decessisset, à Triumviris proscriptus, in Macedoniam ad Brutum se recepit, & in gratiam Antonii & Cæsaris post prælium Philippense receptus, tandem classi Antonii præfectus est, ut narrat *Appianus lib. bel. civ.*
„ Βίβυλος δὲ ἐσπέσατο ἅμα τῷ Μεσσάλᾳ, καὶ ἐναυάρχησεν Ἀντωνίῳ. Bi-
„ bulus quoque simul cum Messala in gratiam receptus, & classi præfectus est ab Antonio, in cujus honorem cum hujus dignitatis titulo nummos signavit.

LIII.

Eadem epigraphe cum M. Antonii & Cleopatræ capitibus, in aversa, L. BIBVLVS M. F. PRO. SIC. *Proprætore Siciliæ.* Navis velo expanso.

In secundo hoc nummo Bibulus nominatur Proprætore Siciliæ, ut suprà diximus in Oppii nummis Antonium, post Sex. Pompeii ex hac provincia expulsionem, illius partem, & si vera est nostra conjectura, quæ ad meridiem spectat, obtinuisse, cujus navale erat Panormus ex triquetra præcipuo ejus urbis insigni, in eo nummo impressa: nam classis Antonianæ præfectus semper provinciam, in qua naves stationem habebant, administrasse videtur, nummus verò iste Siciliæ portionem tenuisse Antonium confirmat, & posteà Syriam ab eo accepisse narrat *Appia-*
„ *nus.* Καίσαρι ἐς ἀλλήλους ἐπόρθμευσε, καὶ στρατηγὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ
„ Ἀντωνίου. Copias ejus transvexit contra Cæsarem, acceptaque ab
„ illo provincia Syriæ. Καὶ στρατηγῶν ἐπ' αὐτῆς, ἀπέθανεν, & in ea
„ gubernans mortuus est.

LIV.

M. ANT. IMP. TER. COS. DESIG. TER. III VIR. R. P. C. Caput Antonii, L. GELL. L. F. POPLICOLA M. OCTAVI Q. PRAETORI. ANT. *Lucius Gellii Lucii filius Poplicola. M. Octavius Quæstor Prætorianorum Antonianorum.* Navis cum velo & remigantibus.

L. Gellium Poplicolam consulatum gessisse an. 717. cum Cocceio Nerva nos edocent *Fasti Capitolini*; sed ex hoc nummo eum classi Antonianæ præfectum fuisse colligimus, quod confirma-

re

re videtur *Plutarchus, in vita Antonii*; quando eum in Actiaca pugna dextro cornu cum M. Antonio præesse scribit : Ἀντώνιος μὲν, τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων καὶ Ποπλικόλας. Antonius cum Poplicola in de- ,, xtro eorum egit. M. Octavius, qui in hoc nummio Quæstor ,, Prætorianorum Antonianorum dicitur, etiam à *Plutarcho* in ,, prælio Actiaco navali memoratur. Ἐν μέσῳ δὲ Μάρκος Ὀκτάβιος, ,, καὶ Μάρκος Ἰουστήιος, mediam aciem M. Octavius, & M. Justeius ,, obtinuere.

LV.

ANTONIVS CLEOPATRA. Capita Antonii & Cleopatræ jugata, ALEX. CLASS. *Alexandrina classis.* Navis cum duobus velis.

Hic nummus in gratiam Cleopatræ videtur percussus, quasi tota classis Antonii esset Alexandrina; porrò *Plutarchus* narrat illum in pugna Actiaca naves bellicas non minùs quingentas, in quibus octo & decem ordinum erant, frequentes habuisse, & tantùm numerat sexaginta Alexandrinas cum Cleopatra ex prælio fugisse, quarum regia appellata erat Antonias in gratiam Triumviri.

LVI.

ANTONIVS AVGVR COS. DES. ITER ET TER. Caput Antonii : in aversa, IMP. TERTIO III VIR. R. P. C. Cidaris, arcus & sagitta, pone decussatim.

Cidaris seu tiara erat regum Armeniæ capitis tegumentum, & insigne, ut Tigranes ipsa decorus in suo nummo visitur, qua Parthorum reges non utebantur, sed tantùm diademate : ergo denarius iste haud dubiè ad Armeniam ab Antonio aut fraude aut vi occupatam spectat, ex qua triumphum & titulum Imperatoris tertiò accepit, ut nobis ille indicat; sed observandum illam Antonium anno $^{718}_{9}$ invasisse, quùm adhuc esset consul designatus iterùm; nam consulatum secundum iniit tantùm Kal. Januar. $^{719}_{20}$

LVII.

ANTONI ARMENIA DEVICTA. Caput Antonii, pone quod Cidaris, CLEOPATRAE REGINAE REGVM FILIORVM REGVM, ante quod prora navis.

Devictæ Armeniæ ſymbolum, cidaris eſt, pone caput Antonii expreſſa, ut & ipſa epigraphe denotat, qua de cauſa Antonius epulum populo dedit poſt triumphum de ipſo regno, & rege Artabaze Alexandriæ actum, & concione ad eum habita, inquit *Dio, lib.* 48. „Cleopatram Reginam Regum & Ptolemæum, „quem Cæſarionem cognominabant, Regem Regum appellari „juſſit, in cujus memoriam denarius ille ſignatus eſt. Prora navis ante caput Cleopatræ, ejus in mari potentiam denotat, ut Cidaris in terra Antonii imperium arguit.

LVIII.

M. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΩΝ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. Caput M. Antonii, ΒΑCΙΛΙCCΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. Caput Cleopatræ.

Cleopatra haud ſuperbo Reginæ Regum nomine, quo ſe Arſacidæ inſigniebant, contenta, veſanam deæ appellationem uſurpavit, patris exemplum ſequuta, qui Νέος Διόνυσος vocatus eſt, ſed ille ut frater in nummis etiam Bacchi inſignia tantùm prætulere; illa verò ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ, id eſt, Dea Junior in tetradrachmalibus nummis ad hoc veluti percuſſis dici voluit: nam ut ait *Plutarchus*, καὶ νέα Ἶσις ἐχρημάτιζε, & nova Iſis. Antonius verò, ut Græcos adulantes ſibi Bacchi nomina tradere audiebat, ut refert *Plutarchus in ejus vita.* Διόνυσος νέος προσαγορευόμενος, *Bacchus novus dicebatur.* Sed ne Romanos irritaret, Triumviri nomen tamquam ſupremi faſtigii titulum ſibi tantùm adoptabat.

LIX.

Caput Antonii, pone quod lituus. Al. ſimilis cum voce IMP. In utriuſque parte averſa, M. ANTONIVS III VIR. R. P. C. Caput juvenile comatum, & corona radiata inſigne.

Caput illud pro Sole habetur, nempe juvenis depingebatur, quod

quod quotidie renaſcitur, & ob radios quos continuò emittit, corona radiata cingitur: ſed cur Sol in Antonii nummis, nam quùm ille Bacchus alter vocaretur, ut ait *Plutarchus*, cum appellabant Bacchum benignum, & Sol idem eſſet apud Ægyptios, Solis figuram in ejus nummis illi exhibuerunt: Solem & Bacchum *Macrobius* eumdem eſſe probat, *lib.* 1. *Saturnal.* Oſiris verò qui Sol ab Ægyptiis appellatur, ab iis etiam Ægyptius Dionyſus dictus eſt, ut *Diodorus* & ipſe *Plutarchus* pluribus oſtendunt.

LX.

M. ANTONIVS M. F. M. N. AVGVR. IMP. TER. Antonius ſtans, augurali habitu, in averſa, COS. DESIG. ITER. ET TERT. III VIR. R. P. C. Caput, ut ſuprà, juvenile & radiatum.

Augurali habitu Antonius in hoc denario non ſine cauſa exhibetur, & quidem velatus lituum dextra tenens, tamquam augurium capturus hoc baculo, quo cæli regiones deſcribebant, & deſignabant augures: at quùm in averſa parte caput Solis radiati expreſſum eſt, & in ſequente denario idem caput in templo viſitur, liceat mihi etiam augurari Antonium pro loco inquirendo ad delubrum idoneo, quod illi ſub Solis imagine Ægyptii extruere volebant, auſpicia captare. Nummus quùm Imperatorem tertiò Antonium appellet, & conſul tantùm deſignatus iterùm, annum $^{718}_{9}$ denotat, quo illum titulum ob devictam Armeniam accepit, antequam conſulatum ſecundum iniret, Kal. Jan. an. $^{719}_{20}$

LXI.

M. ANTONI. IMP. Caput Antonii: in averſa, III VIR. R. P. C. Caput Solis radiatum, in templo duarum columnarum.

Ægyptii Bacchum & Oſirin unum eſſe exiſtimabant, ut refert *Plutarchus de Iſide & Oſiride.* „ Præſtat autem Oſirin cum Baccho eumdem facere: unde ipſi hederam Baccho ſacram vo- „ cant phenoſirim, id eſt Oſiridis plantam: illi verò Oſirin ap- „ pellant Solem, eodem teſte *Plutarcho.* Sunt, inquit, qui „ Oſirin diſertè aiunt eſſe Solem: at quùm templum Antonio ædificare vellent ſub Bacchi nomine, ita in illo Solis, quem Bacchum vocabant, effigiem collocarunt, in cujus memoriam & templi iconem, & Solis radiati imaginem ſæpè in denariis Antonii

exhibuerunt, præſertim quùm Alexandrum primogenitum, quem è Cleopatra filium ſuſtulerat, Solem cognominaſſet apud *Plutarchum in ejus vita*, ἐπίκλησιν δὲ Ἀλέξανδρον τὸν μὲν Ἥλιον.

LXII.

IMP. ANTON. AVG. COS ITER. DES. TER. III VIR. ITER. R.P.C. Caput Antonii, pone quod lituus, in averſa, IMP. TER. Trophæum, ad cujus imum, hinc prora navis, inde clypeus.

Quùm *Goltzianos* conſulares nummos explicare ſimus aggreſſi, licèt à multis pro ſuſpectis habeantur, quod plerique non reperiantur: ſed hæc non ſufficit ratio, modò Hiſtoriæ non repugnent. In hoc autem denario, inquit *Amicus* Imperatoris titulus Antonio datur, non qualis propter victoriam tribui more vetuſto ſolebat, ſed quo ſumma imperii demonſtraretur, ut poſteà datum eſt Auguſto; quod non videtur Antonio conceſſum, id Julio à Senatu fuiſſe conceſſum, ut *Dio* narrat his verbis *pag.* 494. Quod patri ejus Julio fuerat decretum, & docent ipſius numiſmata, cur Antonius, qui Orientis & tot provinciarum erat dominus, hunc etiam titulum ſibi non arrogare potuerit. Conſul iterùm & Imperator tertiò renunciatur, cum trophæo Armeniæ devictæ, id denotat Armeniam univerſam non fuiſſe ſubactam, niſi ſub ſecundo conſulatu, id eſt initio anni 719/20.

LXIII.

M. ANT. AVGVR. III VIR R.P.C. Caput Antonii: in altera, IMP. TER. Trophæum in cujus imo hinc & inde clypeus, cum telis.

Tropæum ſeu trophæum de Armenia iterùm prodit: victoria illa de Artabaze nimis Antonio celebris videbatur, ut acquiſitæ ditioni ſuæ regni memoria ad poſteros non tranſiret: unde frequens in ejus denariis illud inſigne de Armenia ſubacta monimentum, quod hoſtium ſpoliis decoratum eſt, & in loco ejus regni, montibus excelſis referti, eminentiore erectum.

LXIV.

ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. III. III VIR. R.P.C. ex averſa, ANTONIVS AVG. IMP. III. in medio areæ.

M.

M. Antonius dictus est cos. designatus usque ad annum 719. quo Kal. Jan. consulatum suscepit, de quo *Dio, lib.* 49. *pag.* 414. inquit, hoc tempore Antonius eadem die & iniit consulatum, ,, & deposuit, substituto in locum suum L. Sempronio Atratino; ,, ergo ab hoc tempore in nummis deinceps tantùm perhibetur ,, designatus tertiùm, ex fœdere cùm Cæsare inito, ut sæpiùs diximus. Hoc etiam observandum, quod Antonius in suis denariis dignitatem Auguris semper præferat; quia erat illa perpetua: nam Augures dum viverent, licet maximorum criminum convicti, sacerdotio tamen potiebantur, neque umquam privari poterant.

LXV.

ANTON. ut suprà, cum ejus capite, in postica verò, M. ANTONIVS M. FIL. Capita M. Antonii Triumviri filii.

Antonius Triumvir duos reliquit ex Fulvia uxore filios, natu majorem, vocatum etiam M. Antonium & blando nomine Antyllum, minorem verò M. Julium Antoninum; secum priorem in Asiam, Syriam & Ægyptum duxit, cui togam virilem post Actiacam pugnam Alexandriæ dedit, ut refert *Plutarchus in ejus vita*: Cleopatræ & Cæsaris filium inter ephebos adscripsit, togam puram ,, & virilem Antyllo dedit suo ex Fulvia filio: quamobrem agitaverunt ,, convivia per multos dies, commessationesque, & festum ,, Alexandrini, quo tempore etiam in gratiam Antylli percussi ,, denarii, cum ejus effigie in aversa Triumviri sui patris, sed id misero fraudi fuit, & in ejus perniciem: nam Cæsar, capta Alexandria, illum simulacro Divi Julii ad quod confugerat abreptum, etiamsi ei Juliam despondisset, ex *Dione*, interimi jussit, ex *Suetonio*.

LXVI.

IMP. ANTON. AVG. IMP. IIII. COS. DES. III. III VIR. R. P. C. Caput Antonii, pone quod lituus: in aversa, ALEXANDER. AEGYPT. Palma arbor, in corona ex hedera & corymbis conflata.

Ab Alexandrinis percussus est hic tetradrachmalis argenteus nummus, postquam M. Antonius & Cleopatra in Græciam contra Cæsarem profecti essent, in quo Imperator IV. appellatur

tur, ſeu in augurium victoriæ quam relaturus erat: nam inquit *Dio*, „ *lib.* 50. Victoriam quidem ſibi certam promiſerat, ſeu ob pri- „ mum levis alicujus certaminis à ſuis reportati nuntium, ut in- „ nuere videtur idem *Dio*: tamen Antonius hanc ipſam cauſam „ habuit, cur non ſtatim periclitandam pugnæ fortunam cogita- „ ret, levibuſque certaminibus tantùm vires hoſtium compluri- „ bus diebus exploraret. Palma arbor Alexandriæ urbis inſigne fuit, quod iis Ægyptus abundaret: corona ex hedera in gratiam Antonii qui ſe Bacchum, ut ſæpè diximus, appellabat.

LXVII.

M. ANTO. COS. III. IMP. IIII. Caput Jovis Ammonis cum cornibus arietinis, in altera, SCARPVS IMP*erator*. ANTONIO AVG*uri*. Victoria gradiens, d. coronam, ſ. palmam.

Hic denarius non modò Imperatoris quartò titulum Antonio, quem numquam jure habuit, ſed & conſulatum III. ipſi etiam tribuit, quem Romæ numquam iniit; quùm fuiſſet hoſtis P. Romani declaratus, & in ejus locum Valerius Meſſala anno 723. creatus fuiſſet; ſed cur ille à Scarpo cum his titulis percuſſus, id ex *Dionis* & *Plutarchi* verbis eruamus, *Dio, lib.* 51. *pag.* 446. inquit, „ Cleopatra ex Actiaca pugna contendente in Ægyptum, ne cla- „ des audita novos ibi tumultus concitaret. Hæc ut tuto in Ægy- „ ptum adnavigare poſſet, victoriam mentita proras coronave- „ rat, cantioneſque victoria obtenta uſurpari conſuetas, tibiis concini juſſerat. At ex *Plutarcho* priùs Paratonium Marmaricæ urbem, in qua Antonius quatuor legiones ad Ægyptum tuendam reliquerat, appulit, hoc nempe apparatu. Porrò, ait, Antonius „ in Africam delatus, præmiſſa in Ægyptum ex Paratonio Cleo- „ patra. Antonium autem ſe non modò victoriam reportaſſe, & inde Imperatorem IV. eſſe vocatum, ſed & conſulatum III. ſibi delatum fuiſſe mentitum, veriſimile eſt: unde Scarpus illicò denarios ejus juſſu cum his titulis ad victoriam ſuadendam percuſſit.

Parætonii nummos fuiſſe cuſos confirmat caput Jovis Ammonis, cujus erat celebris ejus in hac urbe cultus: ſi quidem illa ex *Strabone lib.* 17. & ex *Stephano*, ex illius Dei nomine Hammonia „ vocabatur, καλοῦσι δὲ οἱ μὲν Παραιτόνιον τὴν πόλιν, οἱ δὲ Ἀμμωνίαν. Vo- „ cant verò alii Parætonium urbem, alii Hammoniam. At Scarpus

pus iratus quòd Antonius victoriam esset mentitus, ob cujus memoriam denarios cuderat, ab illo descivit, ut innuit *Plutarchus*. Postquam Præfectus copiis Africanis descivit ab eo, instititit sibi „ manus inferre : verùm interpellatus ab amicis, delatus est Alexandriam, & quùm accepisset Scarpum, quando Cæsar in Ægyptum appulit, legiones suas Cornelio Gallo tradidisse, mox illuc venisse tradit *Dio, lib.* 51. Antonius cognito Cornelium Gal- „ lum accepto Scarpi exercitu, subitò Parætonium occupasse, ad „ Parætonium contendit, sed frustrà.

LXVIII.

M. ANTONIVS AVG. IMP. IIII. COS. TERT. III VIR. Caput Antonii, in altera, D. TVR. & non PAR. Victoria stans, d. coronam, s. lauream.

Has notas D. TVR. non facile est interpretari, vel Decimus Turannius, vel Decimus Turulius explicari possunt. D. Turannium nominat *Cicero Ep.* 5. *lib.* 4. *ad Atticum*, sed altera major est conjectura. P. Turulius Cassii quæstor fuit, posteà præfectus Antonii ex *Valerio Maximo lib. cap.* 2. Turulius in denario signatus aut hujus frater vel filius potuit esse Scarpi quæstor, qui similem denarium cum titulo Imperatoris quartùm consulisque tertiò, & victoria cudit, & deinde cum Scarpo ab Antonio defecit : unde iratus Antonius P. Turulium patrem aut fratrem ad Cæsarem misit, de quo *Dio, lib.* 51. Denique P. Turulium Senatorem, „ unum ex Julii Cæsaris percussoribus amicum tum suum Cæsari „ tradidit, quem hic in insula Co occidit.

LXIX.

C. ANTONIVS M. F. PRO. COS. Caput Camilli juvenile pileo ornatum : in aversa parte PONTIFEX. Duo simpula adversa cum securi.

Hic C. Antonii fratris M. Triumviri denarium, cujus interpretationem leges *num.* 16. ne ut bis eadem repetamus, ordine familiæ & non Historico sicut suprà, adjecimus.

LXX.

Caput Pietatis ante quod Ciconia : ex altera parte, L. ANTON. M. F. L. Antonius in bigis leonum, d. hastam, s. ha-

benas, Victoria per aëra volitans, illi coronam porrigit.

Hic denarius plurimùm *Dionem* illustrat, qui solus *Capitolinis marmoribus* suffragatur triumphum L. Antonii Triumviri fratris natu minimi memorantibus.

LXXI.

L. ANTONIVS M. F. M. N. COS. EX ALPIBVS. K. JAN. A. DCCXII. DCCXIII. *Varr.*

Is inquit, *lib.* 48. „ Ipse L. Antonius, quùm de quibusdam „ Inalpinis à se victis triumphare vellet, quamdiu Fulvia contra- „ dixit, ei triumphus à nemine concessus : ubi ea demulsa con- „ cessit, ab omnibus decretus est : ita verbo quidem L. Anto- „ nius de iis, quos vicisse aiebat (neque enim aut triumpho ali- „ quid dignum egerat, aut omninò cum magistratu ullo ibi lo- „ corum fuerat) triumphavit : re autem et triumphus iste & ho- „ nor fuit. Consul designatus erat Lucius, & cum K. Jan. consulatum iniisset cum Servilio Vatio II. triumphum egit, & in ejus memoriam denarium hunc percussit.

Ex anteriore parte Pietas expressa est, nam ipse *Dio, loco laudato* ait *de Lucio loquens :* „ nam Pietatis quoque cognomen sibi, „ propter suam in fratrem pietatem sumpserat. Ciconia Pietatis symbolum est; quia parentes super alas senectute debiles fert. Aversa pars exhibet Lucium à Leonibus in curru tractum, quod leo à fratre Triumviro pro stemmate haberetur, & iis summoperè delectaretur, ut videre est in ejus nummis. Victoria ei coronam per aëra volitans porrigit, ad victoriam quam aiebat retulisse, indicandam.

LXXII.

L. ARRVNT. L. F II VIR. Caput Jovis Capitolini laureatum: in postico latere, JVL. ANTON. M. F. Q. MAX. AFR. Caput bovis infulatum, cum tæniis dependentibus.

M. Antonii Triumviri ex Fulvia filii duo, major Antyllus à *Plutarcho* appellatus, Augusti jussu post patris mortem occisus est, alter junior non modò conservatus, verùm etiam sacerdotio, & quùm adolevisset Prætura & Consulatu decoratus est, quem gessit cum Q. Maximo Africano an. 743. ut denarius arguit,

guit, qui eos ſimul nominat, ab Arruntio IIviro, vt videtur, ſacris ædibus reficiendis; qui quùm *Jovis Capitolini* templum reſtituiſſet, illius caput in rei memoriam expreſſit, & ex poſteriore parte bovis infulati pro ſacrificiis caput, in ſacrificii, quod conſules dum magiſtratum inibant, monumentum exhibuit. Vide in Arruntia gente.

Octavia Auguſti ſoror Julio Antonio Marcellam ſuam filiam natu majorem, ab Agrippa dimiſſam, collocaverat, & quùm eum Juliam filiam adulteraſſe cognoviſſet Auguſtus, quo facinore ſibi totique domui ſuæ perniciem maturavit, etſi filium ex Marcella L. Antonium ſuperſtitem reliquit: illius meminit *Seneca de brevitate vitæ*.

LXXIII.

S. C. Caput Jovis barbatum & laureatum, ex averſa parte, Q. ANTO. BALB. PR. Victoria in quadrigis, d. palmam, ſ. coronam.

Altera prodit Antoniorum familia cum cognomine Balbi, qui ita dicti ſunt, quod linguæ vitio verba benè exprimere non poſſent. Hic quintus fuit filius Q. Antonii Balbi Qu. provincialis an. 643. 4 paulò poſt quam M. Antonius Orator Quæſturam geſſiſſet; at quùm Antonia gens ante hæc tempora aliquamdiu latuiſſet, ignoratur quando hæc è patricia in plebeiam tranſiit, Q. Balbum de quo hîc agimus, tantùm novimus Tribunum plebis fuiſſe, an. 664, 5 Prætorem rerum capitalium quæſtionem ſortitum an. 669. 70 *Autor epitomes Livii lib.* 85. illum Sardiniæ Prætorem bello civili Mariano, quùm Cinnæ partium eſſet à L. Philippo, L. Sullæ Dictatoris legato, cæſum fuiſſe nos edocet, his verbis: „ L. Philippus legatus Sardiniam, Q. Antonio prætore pulſo & occiſo, occupavit.

Caput Jovis & non Triumphi, ut quidam exiſtimant, cujus effigies in gente Papia juvenis & imberbis viſitur, hîc exhibetur. Victoria in quadrigis: ſolemne eſt denariorum ſymbolum: unde illi ſunt dicti quadrigati: nota verò S. C. adeſt, quòd eò in Sardiniæ Prætura ad illos ſignandos opus erat.

LXXIV.
LXXV.
LXXVI.
LXXVII.
LXXVIII.
LXXIX.
LXXX.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis cum remis: in averſa Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, LEG. PRI. LEG. II. LEG. III. LEG. IV. LEG. V. LEG. VI. LEG. VII. LEG. VIII.

Exercitus Romanus conſtabat ex legionibus ſuis & auxiliis ſociorum. Legionum autem numerus ut & militum equitumve, qui eam conſtituebant, non ſemper idem fuit: primis enim temporibus ad quatuor millia hominum aucta eſt legio, unde quadrata dicta eſt, duas quiſque conſul ad bellum profecturus ſortiebatur; hic fere ſemper uſus uſque ad C. Marium, qui eas auxit ad ſex millia peditum, legioni additi erant trecenti equites. At quùm nobis ſit hic de Antonii legionibus ſermo, quot habuerit inquirendum. *Appianus lib.* 5. narrat in fœdere Mutinenſi XLIII integris Triumviros præmia promiſiſſe, in tantùm acciſus erat tunc legionum numerus; idem *Autor* refert, *lib.* 4. poſt bellum contra Brutum & Caſſium decretum Triumviros conſtituiſſe, ut Lepidus hoc anno conſul Romæ maneret cum tribus legionibus, & Antonius & Cæſar viginti legionibus ſinguli bellum gererent.

Deinde *Appianus pag.* 640. quando refert Brutum & Caſſium copias ſuas ad Melanem ſinum recenſere, compertum eſt, ait, præſto eſſe legiones undeviginti, tot Antonio & Cæſari aſſignat, *pag.* 646. in adlocutione ad milites. Quanto res noſtræ potiores ſint quàm hoſtium, nunc diſcite. Numero legionum pares ſumus, quamvis multis locis reliquimus opportuna præſidia. *Idem pag.* 652. „ Paulò ante pugnam, inquit, pariter utrumque undeviginti legiones conſtiterant. Poſt prælium autem Philippenſe, *pag.* 673. ſcribit, ſupererant, annumeratis qui à Bruto defecere, legiones undecim, ex quibus Antonius propter ſuſceptam expeditionem ſex legiones aſſumpſit.

Poſteà

Poſteà *pag.* 674. in Aſiam profectus, Græcos allocutus Epheſi oſtentans octo legiones eſſe ſibi & Cæſari, quibus & ſtipendium & præmium, & quibus civitates diviſurus, Cæſar abierat in Italiam, quùm ad Mutinam, ut diximus, 43 numerus fuiſſet. Denique *pag.* 679. *Appianus* inquit, etſi Cæſaris legiones ex pacto in colonias tantùm deduci deberent, ceſſit tamen Cæſar in gratiam Antonii, atque ita legiones Antonianæ in colonias deductæ ſunt, ſed Manius qui res Antonii curabat, queſtus eſt Cæſarem non pro XXVIII legionibus, quæ pro ſuis partibus pugnarant, ſed pro XXXIIII, quæ ex fœdere Mutinenſi manebant; nam in bello Peruſino Calenus Antonii dux, ex eodem *Appiano*, undecim legiones pro Lucio ejus fratre produxit, ſex Lucius ut Conſul ex delectu habebat.

Cæſar Lucium Peruſiæ obſedit, & Fulvia ad Antonium fugit, hicque Brunduſium, bellum inter utrumque videbatur futurum, ni pax amicorum interventu poſt Fulviæ mortem inter eos inita eſſet, & Antonio pacta in matrimonium Octavia Cæſaris ſorore, denuò Imperium Romanum diviſerunt, & ut liceret utrique Imperatori habere in Italia novos delectus pari numero legionum convenerunt, & unde in Parthos profecturus Antonius.

LXXXI.
LXXXII.
LXXXIII.
LXXXIV.
LXXXV.
LXXXVI.
LXXXVII.
LXXXVIII.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis cum remigantibus in averſa: Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, LEG. IX. LEG. X. LEG. XI. LEG. XII. LEG. XIII. LEG. XIV. LEG. XV. LEG. XVI.

Quanta lux Hiſtoriæ ex nummis effulget; ubi enim illa deficit; hæc ſæpe in ſubſidium venit. *Appianus*, quem legionum numerum Antonius & Cæſar tunc conſcripſerint, non refert; nummi Antonii viginti quatuor illum confeciſſe nos edocent, & ut legionarii ſibi faverent, in eorum gratiam denarios conflari juſſit, quo numerus pro quotidiano cujuſque ſtipendio eſſet, Julius Cæ-

ſar ad ſeptem aſſes conſtituerat, & ut Auguſtus ad decem auxit, colligere poſſumus ex iis Antonii denariis, cum legionum nominibus, illud etiam ad decem aſſes ſtabiliſſe. At quùm ille trans mare provincias ſuas haberet, in legionum ſuarum denariis ex una parte aquilam legionariam & ſigna militaria, & ex altera navim cum remis, ut illis terra marique operam ſuam daturos ſignificaret: niſi dixeris illorum miniſterio ſe arbitrorum maris & orientis futurum.

LXXXIX.
XC.
XCI.
XCII.
XCIII.
XCIV.
XCV.
XCVI.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis cum remis: in poſtica, Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, LEG. XVII. LEG. XVIII. LEG. XIX. LEX. XX. LEG. XXI. LEG. XXII. LEG. XXIII. LEG. XXIV.

En viginti quatuor Antonii legiones ex illius nummis, ab ordine quo unaquæque conſtituta eſt; unde milites primani, ſecundani, tertiani, & tandem viceſimani quarti ſunt appellati, quem utrumque Imperatorem numerum tunc conſcripſiſſe ex fœdere credere eſt; ſi quidem Auguſtus apud *Dionem lib.* 55. devicto & mortuo Antonio, viginti tantùm quinque ſervaverit quas ita nominant: Leg. Prima .... II. Auguſta, altera Adjutrix, Pia, Fidelis, III. Auguſta, altera Gallica & tertia Victrix, IIII Scythica, V. Macedonica, VI. Ferrata & altera Victrix, Leg. VII. ... & altera Gemina, Pia, Felix, VIII. Auguſta, IX. Hiſpanienſis. X. Fretenſis & altera Gemina, Pia, Fidelis. Leg. XI... XII. Fulminatrix. XIII. Gemina, Pia, Fidelis, XIIII. Gemina Martia Victrix. XV. Apollinaris. Leg. XVI... Leg. XIX... XX. Valeria Victrix, XXII. Primigenia, Pia, Fidelis.

Obſervandum legionis primæ denarium nec in *Urſino*, nec in *Patino*, nec in *Theſauro Regio* reperiri; *Patinus* verò viceſimam quartam proferre, quam numquam inſpeximus, nec eam etiam profert *Urſinus*.

XCVII.

XCVII.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis : ex altera parte, LEG. PRIM. ANTIQVAE. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Inter legionum Antonii numerum, quarum nummi nobis ſuperſtites ſunt, aliæ continuato numero uſque ad vigeſimam quartam occurrunt, aliæ verò cum legionis numero & vetus nomen retinuerunt, inter illas hæc apud *Goltzium* prima Antiqua deſcripta eſt, de qua in ſequente denario.

XCVIII.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis cum remigantibus : in averſa, LEG. XII. ANTIQVAE. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Dum nobis veterum Scriptorum Hiſtoria nihil ad nummorum interpretationem ſuppeditat, ad conjecturas licet confugere, & quidem noſtra forſan vana non exiſtimabitur, ſi Antonium in civili bello contra Cæſarem, quinque ex nummorum fide novas conſtituiſſe proferamus, duaſque ex veteranis, apud quos inclytum ſemper nomen erat Antonii, quas primam ANTIQVAM & alteram XII. Antiquam nuncupaſſet, & ne præſcriptum viginti quatuor numerum excedere videretur, eam ſub duodecimæ nomine numeravit, vel quod illæ ante legionum partitionem inter Triumviros illæ legiones jam Antonii eſſent.

XCIX.

ANT. AVG. IMP. R. P. C. Navis cum remigantibus: in altera, LEG. XVII. CLASSICAE. Aquila ut ſuprà.

Tertia hæc eſt Antonii nova legio ab eo appellata Claſſica, quod illa ſcilicet in claſſe ſola ſtipendia merere deberet, vel quod ad claſſis navale ſervandum eſſet conſcripta : nam Forum Julii civitas in Provincia Narbonenſi apud *Plinium lib.* 3. *cap.* 3. dicta erat Colonia Claſſica, quia erat deducta in urbem ubi claſſis Romana ſtationem habebat, & illa legio ſub numero XVII. ab Antonio eſt collocata.

C.

ANT. AVG. III. R. P. C. Navis cum remigantibus: in postica, LEG. XVIII. LIBYCAE. Aquila ut suprà.

Dubium non est, quin hæc legio à regione ex qua aut in qua circumscripti essent milites, nuncupata sit, sed sub Libyæ nomine latè sumpto, Antonius Marmaricam, Cyrenaïcam & Libyam propriam quæ ejus dominio erant subjectæ intellexit, quùm nihil illi Cæsar ex Africa quam Lepido abstulerat, dedisset; hæ autem novæ viginti quatuor primis additæ efficiunt viginti novem, nam numerus viginti quatuor videtur ex nummis fuisse completus, si quidem legiones XII. XVII. XVIII. imò & XX. sine illis nominatæ sint.

CI.

ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis: ex averso latere, LEG. XX. HISPANICAE. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Nomen hujus legionis quæ xx. Hispanica nominatur sententiam nostram de nova legionum ab Antonio pro bello contra Cæsarem constitutione oppugnare videtur: nam quomodo ex Hispania tam longè remota quæ ipsi non parebat, instituisset, illa potiùs Antonii legiones vetus nomen servasse indicat, etsi nummi illius eas per numerum exhibuerint; nisi dicamus ex tot legionibus nomine Hispanicæ quæ apud *Wolphangum Lazuum* recitantur, unam confectam fuisse, vel xx. esse restauratam, ejus inscriptionis repertæ in Hispania Citeriori meminit ille *Autor*, *lib.* 5. *cap.* 26.

CII.

ANT. AVG. III.VIR. R. P. C. Navis cum remis, ANTONIVS ET VERVS AVG. REST. LEG. VI. Aquila ut suprà.

Nummus in quo legitur LEG. VI. cum epigraphe, REST. non legionem sextam M. Antonii ab Antonino & Vero restitutam fuisse, sed illos Imperatores legionum Antonii denarios restituisse denotat; nam Imperatore mortuo, ejus moneta non ampliùs in usu erat, nisi aliquo decreto Princeps illum prorogabat, & restitutione in iis signata sit, nummos consulares plurimos in hoc opere ab Augustis Principibus cum inscriptione REST, observabis, ut & num-

nummum quintæ legionis à Vespasiano se vidisse testatur ipse *Ursinus* cum litteris VESP. IMP.

CIII.

ANT. AVG. III VIR. R.P.C. Navis cum remigantibus: ex altera, CHORTIVM PRAETORIARVM. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Cohors à cohortando dicta, quod se mutuò ad pugnam hortaretur, legionem constituebat, quæ ex decem Cohortibus constabat, & in manipulos dividebantur; sed cohortes à Mario institutas putant viri docti, quia in tota *Livii Historia* Cohortium nulla fit mentio; Ex Sex. Pompeio Prætoria cohors dicta est, quæ à Prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui „ ab eo in bello non discederet, & cetero munere militiæ & sesqui „ duplex stipendium acciperet.

Dio de Julio Cæsare, *lib.* 38. sic narrat. Cæsar Cohortem prætor jam sibi delegitquod illorum benevolentiam peculiarem quamdam semper senserat. *Appianus lib.* 11. *de bello civ.* Cohortes præ- „ torias à se amovisse narrat ex Pharsalica pugna, & ex Ægypto „ Romam redux. Cohortes etiam prætorias, quibus bellorum tempore pro satellitio usus fuerat, amovit à sui custodia, contentus Solis apparitoribus publicis.

Duæ erant Proconsulum Cohortes prætoriæ, una Evocatorum, qui militia perfuncti & emeritis stipendiis tamen rursus militatum evocabantur. Altera Voluntariorum. *Appianus lib.* 3. *de bello civ.* Prætorianos Antonii & Prætorianos Cæsaris memorat; sed hæc Prætoriæ cohortes ad Antonii in terra satellitium, & ut navis Prætoria Antonii ex *eodem Autore* recensetur, ipsæ in Antonii denario signatæ ad ejus etiam in mari satellitium spectari videntur, quot autem Prætorias habuerit cohortes, ignoratur; illæ verò Aquilam legionariam tamquam ex legionis corpore, pro symbolo præferebant, ut indicant ipsi denarii.

CIV.


ANT. AVG. III VIR. R. P. C. Navis cum remigantibus: in aversa, CHORTIS SPECVLATORVM. Tria signa militaria cum prora navis in quolibet.

Cohors & Chors ex *Varrone* dicitur, 4. *de lingua Latina.* Sed

ista speculatorum dicitur, speculatores autem à specula dicti, id est loco edito; unde aliquid eminùs videri & prospici potest, ideò ab Antonio instituta est, ut in navium excelsiore loco explorarent, & excubias agerent: & sic Cæsaris Romæ institutum quodam modo superaret, nam ille postquam ex Sicilia Sex. Pompeium expulisset, Romam reversus, Vigilum cohortes instituit ex *Appiano lib. 5. pag. 746.* „ Et ex illo tempore institutas aiunt cohortes „ vigilum, quæ durant nunc quoque.

Cohortis istius insigne non ut cohortium Prætoriarum Aquila legionaria est, quod in legionem non cooptaretur, sed ut equites in terra specularentur, & præcurrerent, signa militaria præferunt, & quùm in mari etiam specularentur, navium proras adhibent: de speculatoribus loquitur *Appianus, lib. 5. pag. 584.* „ Hi „ in Antonianos inciderunt equites, sive præcursores Lucii, sive „ speculatores etiam, consertisque manibus occiderunt aliquos.

APRO-



APPULEIA.

APULEIA ſeu APPULEIA gens, nam utroque modo inſcribitur, plebeia fuit & quidem conſularis: Cn. Apuleius Panſa Tribunus plebis jam renuntiatur ab anno $^{308.}_{9}$ aliud ei cognomen fuit, nempe Saturninus, ſed neuter eorum in nummis reperitur: unde verò gens illa dicta ſit Apuleia, liceat nobis augurari. An ex Apulia provincia, unde originem ille habuerit? Græci autem Apuliæ nomen deducunt, ἀπὸ τοῦ ἀπολέσθαι, id eſt *decidere*, cur non potiùs ἀπὸ ἀπολύειν, id eſt *liberare*, quod Apuleius liber factus ſit: nec te moveat vox Apuleius pro Apulius, nam ει pro ι, olim uſurpari nemo neſcit.

I.

Caput Jani bifrontis: in averſa, L. AP. prænomine cum gentis nomine in forma monogrammatis conjuncto: Navis in imo, ROMA.

Antiquitatem redolet hic nummus, ſcripturæ forma nempe prænominis cum nomine conjuncta, id arguit, cui nummi pondus adjiciendum. As ille uncialis eſt, & factus poſtquam ſub Fabio Maximo Dictatore in ſecundo bello Punico, non ſufficiente impenſis Republica, quùm As ad ſeſtentarium in primo jam eſſet diminutus: ideò ad L. Apuleium Saturninum Tribunum Plebis an. $^{581.}_{5}$ & poſteà Prætorem factum Provincialem $^{587.}_{8}$ in cujus prætura nummos illos percuſſit. De Jano bifronte Aſſium Romanorum frequente ſymbolo, abundè diximus.

II.

Caput Herculis pelle Leonina amictum, pone quòd tres globuli: In averſa navis, in vertice, L. AP. in imo, ROMA, ad latus dextrum tres globuli.

L. Apuleius ut aſſes cudit unciales pro moneta ordinaria, ſic & minutos bidrachmales, id eſt quadrantes pro uſu faciliore ſignavit, in his Herculem exhibuit, cujus cultum Romulus ex Ar-

cadibus vicinis adſciverat, & ſacra in foro Boario, ritu Græco ab Evandro conſtituta inſtituit. Hercules autem pelle leonina ornatus eſt, ob primum in leone Nemeo occidendo laborem, cujus pellem exinde ſemper geſtavit.

III.

Caput Romæ galeatum, cum tribus globulis : in averſa AP. Navis, cum tribus etiam globulis, in imo, ROMA.

Ab eodem L. Apuleio cuſum fuiſſe hunc ex ære nummum demonſtrat eadem ſcripturæ nominis cum prænomine formula. Tres illi globuli tres uncias valere & quadrantem denotant, nempe bello ſecundo Punico, quando aſſes librales ad ſextentarios diminuti, urgente nempe Hannibale, facti ſunt tandem unciales, & ſic Romæ caput, ſolitum eſt monetæ ſymbolum ut Romanam illam eſſe indicaret, quod etiam in denariis ſæpè obſervatur.

IV.

Caput Jovis Capitolini laureatum: in averſa, SEX. APPVLEI. SEX. F. ſimpulum, aſperſorium, tripus, lituus, & patera, ſuper tripodem fulgur.

Sex. Appuleius Sexti filius fuit qui Tribunatum plebis geſſit anno 668.; ipſe verò proſcriptus per uxorem ſervatus eſt ex *Appiano lib.* 4. „ Apuleio, inquit, interminata eſt uxor, indicaturam ſe eum ſi ſolus fugeret : atque ita invitus eam ſecum duxit. Id multùm ad evitandam fugæ ſuſpicionem profuit, quod uxore, ſervis, ancillis comitatus per publicam viam iter fecit, ad conſulatum per honorum gradus & triumphum venit: itaque anno 724. factus eſt Conſul cum Cæſare V.

Caput Jovis & inſtrumenta in parte averſa, pro ſacris faciendis, videntur ſignata in memoriam ſacrificii, quod propter adventum Cæſaris Urbem ex Græcia ubi Sami conſulatum inierat, intrantis fecit in conſulatu ſuo Apuleius: uti ejus initio decretum fuerat referente *Dione*, nempe ut dies qua in Urbem intraſſet, ſacrificiis publicis celebraretur ſemperque feſta eſſet; ſed ille *Autor* „ id à Valerio Potito quem Apuleio ſuffectum ait, factum tradit. „ Is igitur publicè pro S. P. Q. R. propter adventum Cæſaris ſacri-

ſacrificavit, quod ante id temporis pro nemine umquam factum fuerat.

Hæc omnia ab Apuleio confecta fuiſſe probat hic denarius: nam præter inſtrumenta pro ſacris ſolita, additur tripus, ſupra quem Conſul ſacrificavit, & quidem ſuper illum fulmen ad indicandum quod ſacrificium Jovi Capitolino ſit factum, quod confirmat imago ipſa hujus dei in parte anteriore expreſſa: nummo adſtipulatur *Tabula Capuana*, quæ hoc anno Conſules ſuffectos nullos adjicit. *Xiphilinus* Apuleium cum Mœcenate inter amicos Cæſaris refert *in Auguſto*: non veriſimile eſt, quod adventum ſuum ipſi conſulem ſuffecerit, nec primus eſt *Dionis* lapſus, niſi dicamus, ipſo die quo in Senatu decreta ſunt illa pro Cæſare ſacra, illicò nummum hunc cudiſſe Apuleium quod litteratorum, Antiquariorum judicio ſubmittimus.

V.

Caput Neptuni coronatum, & tridens humero dextro per tranſverſum: in averſa, SEX APVLEI. PR. COS. EX S. C.

Hic denarius ad Appulei triumphum de Hiſpania citeriore ſpectat de quo *Capitolina fragmenta* hæc habent.

VI.

SEX. APPVLEIVS SEX. F. SEX. N. PROCOS. A. DCCXXVII. DCXXXVIII. *Varr.* EX HISPANIA VII. K. FEBR.

Dio narrat anno 725/6 Cantabros, Vaccæos, Aſtureſque in armis fuiſſe, quos Statilius Taurus domuit, ſed denarius & *Faſti* eos illa reſumpſiſſe demonſtrant, in quos Proconſul Appuleius miſſus eſt anno 726/7 & denarius quùm Triremem Prætoriam & Neptuni caput exhibeat, illos exercitum navalem formaſſe, quem prælio ſuperavit & profligavit Proconſul, in cujus rei memoriam Senatum Apuleio triumphum decreviſſe, & nota S. C. & *Faſti* confirmant.

VII.


CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Caput Auguſti nudum. SEX. APPVLEIVS SEX. F. III VIR. A. A. A. F. F. in circulo. S. C. in medio areæ.

Sextus ille Appuleius est superioris filius, qui à Cæsare in gratiam patris factus est Triumvir monetalis; nam post Actiacam pugnam, & postquam Tribuniciam potestatem accepisset, ad veterem formam Triumviros monetales reduxit, quos Julius Cæsar ad quatuor auxerat, ut suprà diximus. Sex. Apuleius etiam Consulatum ut pater, obtinuit anno $\frac{766.}{7}$ illoque Consule mortuus est Augustus, ut nos docet *Dio, lib.* 56. „ Namque anno insequenti Sex. Apuleio, Sex. Pompeio consulibus in Campaniam profectus Augustus exhibito Neapoli spectaculo, Nolæ morti concessit.

VIII.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. in medio coronæ querceæ, M. APPVLEIVS SEX. F. III VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum in medio areæ, S. C.

M. Appuleius frater fuit Sexti Apuleii, qui Consul fuit anno $\frac{724.}{5}$ superiorisque patruus. Quæsturam egit in Asia, unde rediens cum pecuniis Romam profecturus anno V. C. $\frac{709.}{10}$ M. Brutum amicum & familiarem sibi reperit, in Græcia jam bellum molientem cui pecunias & naves tradidit, ut *Plutarchus* tradit *in vita Bruti*, anno sequenti $\frac{710.}{11}$ inter proscriptos numeratus, ex *Appiano lib.* 4. sumpta centurionis persona, & servis ornatis militariter, per portam cursu cum Arruntio evaserunt, quasi persequerentur alios, Appuleius tandem ad Brutum, ut Arruntius ad Pompeium navigiis delati sunt; hic cum Pompeio in Urbem rediit, ille Bruti auspiciis rexit Bithyniam: quo cæso & tradita Antonio provincia, reditum impetravit; tandem à Cæsare factus Triumvir monetalis, hunc nummum in ejus honorem signavit, consulatum etiam gessit anno $\frac{733.}{4}$ novem seriùs quàm frater.



APRONIA.

APRONIA gens plebeia & conſularis, plebeia quidem, quùm Cn. Apronius renuntietur Tribunus plebis an. 284 unde verò nomen, an ab ἄπρονος, id eſt *incautus*, an ab apro famoſo interfecto, ut quidam autumant.

I.

SISENNA APRONIVS. III VIR. Inter Incus quadrata, in averſa, GALVS MESSALLA A. A. A. in area, S. C.

Inter quatuor illa monetalium nomina legitur Apronius, qui ex iis recenſetur. Tres alii cum ſolis cognominibus Apronius cum gentis tantùm nomine appellatur, haud dubiè quòd ille cognomen non haberet, & nummus videtur ſpectare ad L. Apronium, qui conſulatum obtinuit, de quo poſteà ſumus dicturi. Incus in nummo appoſita, quod ſupra eam cuderetur primò moneta in templo Junonis ſignata eſt, unde illa Juno moneta appellata eſt, deinde juxta templum monetæ officina conſtructa eſt.

II.

MESSALLA. APRONIVS III VIR. Incus, ut ſuprà. In averſa, GALVS SISENNA. A. A. A. in area, S. C.

Non ſemper obſervatus inter monetales nominum ordo, aut à Scalptore procedit, aut quod qui monetam ſignabat in officina ſua, primus ab artificibus ſcribebatur; ſed altera ratio cur quatuor monetales leguntur, & tantùm dicti ſint Triumviri, magis Antiquarios torquet: ideò Apronio unum ex iis cognominibus tribuerunt; alii illum Siſennam, alii Gallum apppellarunt, ſed cognomen ante Apronii nomen ſcriptum huic refragatur; dicendum igitur nummum fuiſſe cuſum à Quatuorviris monetalibus, ex quibus unus extra ordinem ob aliquam monetæ cudendæ neceſſitatem ſub Triumvirorum nomine ſolito ut ſæpè in iiſdem Auguſti nummis duo nomina Triumvirorum apponuntur, & tamen III VIR. ſignatur, ut C. GALLVS. C. LVPER-

CVS

CVS III VIR. A. A. A. F. F. & plurimi alii. De Incude vide in nummo gentis Cariſiæ.

III.

GALVS. MESSALA. III VIR. Cuneus: in averſa, SISENNA APRONIVS, in area, S. C.

Diverſo adhuc ordine prodeunt Monetalium nomina, ut in diverſis officinis moneta ſignata, cui alter ex Monetalibus præerat, ut ejus nomen aliis præponeretur. In his minutis æreis, modò incus, modò cuneus inverſus exhibetur ad denotandam his inſtrumentis monetam eſſe ſignatam: materia autem æris, argenti, aut auri flabatur, id eſt, flatu calefaciendo fundebatur, deinde feriebatur, unde in nummis A. A. A. F. F. Ære, argento & auro flando feriundo.

IV.

Caput Herculis pelle leonina tectum & barbatum, cum clava ſupra humerum lævum, EX S. C. In averſa, Elephas, L. APRONI. IMP. In vertice, M. MVTIL. PR. P. *Marcus Mutilus Proprætore*, in imo.

L. Apronius in hoc denario Imperator appellatur, haud dubiè quando legatus Germanici ob res proſperè geſtas in Germania Inferiore illi ornamenta triumphalia à Senatu decreta ſunt, ut tradit *Tacitus*. „ Decreta eo anno nempe 767/8 triumphalia inſi- „ gnia A. Cecinæ, L. Apronio. C. Silio ob res cum Germa- „ nico geſtas. Primò autem Agrippæ triumphalia ornamenconceſſa eſſe tradit à Tiberio, & *Suetonius* forſan Senatuſconſulto ut nota S. C. in denario confirmat.

M. Papius Mutilus tunc in Germania inferiore legatus Cæſaris Proprætore an. 767/8 L. Apronio Germanici præfecto conſulari: nam conſulatum geſſerat.

Suffectus Cal. Jul. an. 760/1 & ipſe L. Mutilus Kal. etiam Jul. ſed anno ſequenti 761/2 conſulatum inierat, denarios Senatuſconſulto percuſſit, ut voces ex S. C. denotant, quùm jam exercitus eum Imperatorem appellaſſet, & ipſe Senatus ob res benè geſtas ornamenta triumphalia decreviſſet. Quod Germania inferior à Proprætore regeretur, lege *Dionem*, quùm illa eſſet Cæſaris pro-

provincia, & *Tacitus Annal.* 5. id de ipſo L. Apronio refert. Quod, inquit, ubi L. Apronio inferioris Germaniæ Propræ- „ tori cognitum: nam ipſe hanc etiam provinciam rexit an. „ 780.

Elephas in Denario, ut eum referremus, ad res in Africa à L. Apronio geſtas, quando contra Tacfarinatem miſſus eſt, tamquam ejus provinciæ inſigne ſuadebat; ſed Imperatoris titulus, & M. Mutili Proprætore dignitas in Africa repugnant, qui provinciam Africæ regit, Proconſul appellatur; quippe hæc Populi Romani eſt, & Proconſularis vocatur ſicut Aſia, ut videre eſt apud *Dionem*: ſed *Appianus* ænigma ſolvit, qui nos docet, legionem V. Elephantem pro inſigni habuiſſe. „ Cæſariani, inquit, in tantum receperunt animos, ut quintani elephan- „ tis ſe opponi depoſcerent: eoque impetrato egregiè vince- „ rent: unde hodieque ejus legionis elephantes ſunt inſignia. „ Hæc autem ſtationem habebat in Germania Inferiore, ut *Tacitus* & *Dio* narrant, eaque videtur Imperatorem appellaſſe L. Apronium, in cujus memoriam L. Mutilus in denario percuſſit.

V.

TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS. Caput Tiberii, hinc ſimpulum, inde lituus: ex averſa parte .... APRONIVS .... Caput nudum.

Patinus ex epigraphe nummi circa ambitum, APRONIVS caput eſſe Apronii Africæ Proconſulis exiſtimat, ſed quùm illud non ſatis notum & detritæ litteræ ſint, nihil certi indicari poteſt.

VI.

Caput Druſi filii Tiberii, DRVSO CAESARI. In averſa, caput Mercurii, pone quod caduceus, PERMISSV L. APRONI. PROCOS. III.

En numiſma L. Apronii Proconſulis Africæ permiſſu cuſum, in quo, ut diximus, Provinciæ rectores ſe Proconſules nominabant & non Proprætore: de illius Proconſulatu ſic ait *Tacitus Annal.* 3. „ Poſtquam L. Apronio (nam Camillo ſucceſſerat) comperta, ſed ille *Autor* de illius adminiſtratione provinciæ compendioſè loquitur: nummus autem triennio ei præfuiſſe

nos edocet : unde ex iis quanta lux Historiæ. Camillus quidem Tacfarinatem Numidarum regem devicerat, sed qùum ille an. 772. 3. denuò per latrocinia bellum moveret, eum Apronius profligavit, & in deserta compulit.

Aliquid de voce, *permissu*, nobis dicendum videtur. Postquam autem Augustus monetam æream Senatui tamquam Romanæ libertatis umbram Senatui reliquisset, ille in provinciis suis cudendæ monetæ ut Augustus in illis quas habebat certis urbibus potestatem concedebat : unde in hoc PERMISSV PROCOS. & in altero ejusdem provinciæ nummo PERMISSV DOLABELLAE PROCOS. & in aliis, PERMISSV DIVI AVG. & PERMISSV CAESARIS TIBERII. Mercurius urbis, in qua signatus est nummus, videtur esse deus tutelaris.



AQUILIA.

AQUILIA gens inter patricias & plebeia divisa est, sed Plebeiæ cognomine Flori superstites tantùm nobis sunt nummi, ejus nomen ab aquilo colore, id est, nigro desumptum est, ex *Sex. Pompeio lib.* 1. Flori cognomen à cultura florum, aut à flore quodam Romam primùm allato qui hodie in nummis ab Herbariæ peritis non agnoscitur. C. Aquilius Florus primus ex hac stirpe indigitatur Tribunus plebis an. 426./7

I.

Caput Dianæ, pone dorsum arcus & pharetra, PROCOS. Victoria in bigis, C. AQVILI FLORVS.

Caius hic Aquilius Florus indigitatur Marci filius & Caii nepos, Ædilis plebis fuit an. 492./3 & Consul cum L. Cornelio Scipione an. 494./5 Floro Sicilia, L. Scipioni classis obvenit, prorogatumque imperium Floro, de quo *Zonaras Hist. lib.* 2. urbes Amilcari plures ademisse, & ita Pœnos domuisse, ut se prælio deinceps committere non auserit; unde illi triumphus decretus ut arguunt *Fasti Capitolini.*

C. AQVILIVS M. F. C. N. FLORVS AN. CDXCV. / CDXCVI *Varr.*
PROCOS. DE POENIS IIII. NON OCT.

In denario exhibetur Diana Venatrix, ut tutelaris Siciliæ, ad denotandam Syracusarum urbem esse receptam, in qua celebris erat Dianæ cultus, ut meminit *Plutarchus in vita Marcelli.* „Festum Dianæ Syracusani agebant, qua urbe capta triduo quo Marcellus fuit in ea festa fuerunt solemnia, ut tradit *Livius, lib.* 30. sed locupletes sunt nobis testes, tot Augusti denarii post recuperatam Siciliam, & ex ea depulsum Sex. Pompeium, in quibus ipsa Diana Venatrix impressa est cum voce SICIL*ia*, & titulo, IMP. VIII. IX. X. XI. XII. Victoria in bigis, solemne est denariorum illius temporis symbolum, unde illis nomen, *bigati.*

II.

M. AQVILI. M. F. Caput Apollinis laureatum : in aversa Pegasus, pedibus anterioribus insiliens, sub quibus astrum.

Manius Aquilius, qui denarium cudit, Manii filius in eo perhibetur, sed Flori cognomen non præfert, & si mihi conjicere liceat, illum ex primo genitorum stirpe qui gentis nomen tantùm ferebant, fuisse suspicor, is Prætor urbanus recensetur anno 619/20 quo ludos Apollinares edidisse videtur, in cujus memoriam Apollinem capite laureato expressit, & in aversa Pegasum, in hujus dei symbolum, quod quùm in Helicona avolasset saxum ungula feriens, fontem aperuit novem sororibus, quibus ipse Apollo præest, teste *Macrobio lib. Saturn. c.* 19. apponitur astrum ad denotandum illum posteà inter sidera receptum : unde *Manilius.*

Aërius nascetur equus, cæloque volabit.

Ex Prætura Aquilius ad Consulatum venit cum Sempronio Tuditano an. 624/5 Asiam sortitus est Perpennæ successor, de quo *Justinus lib.* 36. & *Florus lib.* 2. Reliquias belli Asiatici conficere jussus de Aristonico posteà triumphum egit, & Asia subacta nova fuit Romana provincia.

III.

Caput radiatum Apollinis sub imagine Solis : in aversa, M. AQVIL. in imo, ROMA. Dea in bigis, cum astro bicorni & tribus stellis.

Ejusdem M. Aquilii Prætoris Urbani denarius est, ad ludos Apollinares spectans, in quo caput Apollinis radiatum sub imagine Solis, qui idem est teste *Macrobio Saturn.* 1. *cap.* 17. Virtu-
„ tem igitur Solis, quæ divinationi curationique præest, Apolli-
„ nem vocaverunt. Idemque apud *Plutarchum lib. de Iside & Osiride.*
„ Apud eosdem Apollo qui & Sol; ex aversa Lunam quæ est Diana: nam diversis nominibus appellata est: unde

Luna, Proserpina, Diana.

De qua etiam *Ovid. Metam.* 15.

Nec par, aut eadem nocturnæ fama Dianæ.

Ipsis

Ipſis erant dicati ludi Apollinares ut Latonæ filiis uno partu editis, qui pridie Nonas Aprilis celebrabantur.

IV.

VIRTVS. III VIR. Caput Virtutis galeatum, M. AQVIL. M. F. M. N. in imo, SICIL. Vir paludatus, d. ſublevat mulierem genuflexam & procumbentem, ſ. clypeum gerit.

Ad Manium ſuperioris filium ſpectat denarius, in quo ille Manii filius & Manii nepos indigitatur. Hæc vox IIIVIR, non intelligenda eſt de Triumviro monetali, ut quidam putarunt, quùm illi non inſcriberentur, ſed de Triumviro reficiendis ædibus ſacris, ut videre eſt in gente Alfinia : de quibus *Livius*, *lib.* 25. ita ſcribit: „ Comitia deinde à Prætore urbano de Senatu ſententia, plebiſque ſcito ſunt habita, quibus creati ſunt Quin- „ queviri, muris turribuſque reficiendis, & Triumviri bini, „ uni ſacris conquirendis, doniſque præſignandis, alteri refi- „ ciendis ædibus. At quùm Virtutis templum incendio forſan eſſet conſumptum aut vetuſtate laberetur, M. Aquilius reſtituit, in cujus memoriam caput ejus dei, & Triumviri titulum in denariis ſignavit.

Aquilius plebis Tribunus fuit an. 641./2 Ædilis plebis, 644./5 Præturam urbanam geſſit, 647./8 Prætor Provincialis 648./9 Conſul cum C. Mario v. an. 652./3 Proconſul Siciliam obtinuit contra ſervos fugitivos qui bellum grave in hac inſula excitarant, Rupilio ſucceſſit, qui Eunum eorum ducem proſtraverat, ille Athenione altero illorum duce capto, fugitivorum bellum confecit prorogatus Proconſul, de quibus ovans in Capitolium aſcendit.

M. Aquilius. M. F. M. N. Procos. anno DLIV, *v. Varr.*
ovans de Serveis fugitiveis ex Sicilia.

In cujus memoriam ille in denarii averſa parte armatus depingitur, dextra ſublevans exangue corpus muliebre proſtratum, tamquam imaginem adflictæ Siciliæ, à fugitivis ſpoliatæ, & ad internecionem uſque vaſtatæ, cui ſubſcriptum eſt nomen, SICIL.

Nec præterire poſſum infelicem hujus Aquilii mortis exitum, quem conſularem legatum Mithridates captum, per contumeliam miſerè excruciatum occidit.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti, L. AQVILIVS FLORVS. III VIR. Flos.

L. Aquilius Florus videtur esse filius minor Aquilii illius Flori qui in pugna Actiaca an. $^{723.}_{4}$ captus cum filio majore, quorum alteruter, in quem sors incidisset, mori à Cæsare jussus fuisset, uterque periit. Nam inquit *Dio*, filius priusquam sortiretur, se percussori præbuit ultrò, & pater dolore rei permotus sibi ipsi necem intulit. Filius minor factus Triumvir monetalis, ex una parte Cæsarem percussit, & ut antiquitatem cognominis denotaret, Florem exhibuit, unus enim à quo originem ducebat, Florus dictus est à cultura florum, vel quod florem novum aliquem produxerit; nam ille in denario expressus à rei herbariæ peritis non agnoscitur.

VI.

CAESAR AVGVSTVS. **Caput idem** Augusti, L. AQVILIVS FLORVS III VIR. in imo, SICIL. Imperator galeatus sublevat mulierem genuflexam & procumbentem, s. clypeum gerit.

Alludit Aquilius inter Augustum & M. Aquilium avum suum, qui ambo Siciliam bello oppressam sublevarunt, Augustus nempe quando Sex. Pompeium ex illa expulit an. $^{718.}_{9}$ & eam anno $^{734.}_{5}$ constituisset, ut narrat *Dio*, Augustus in Siciliam profectus est, ut eam ut omnes alias ad Syriam usque provincias constitueret, & proavus Aquilius fugitivos Servos qui eam occupaverant, internecione delevisset an. $^{653.}_{4}$ nam quem figuræ procumbentem ab Imperatore sublevatæ typum M. Aquilius in denariis cum capite Virtutis galeato expressit, ille cum Augusti imagine, in anteriore eumdem in aversa exhibet anno $^{734.}_{5}$

VII.

L. AQVILIVS FLORVS III VIR. Caput Apollinis radiatum, CAESAR AVGVSTVS SIGN. RECEPTA. Parthus genuflexus, d. elevata signum militare.

Augustus rebus in Sicilia ordinatis in Græciam transmisit, & Samum navigavit, ibique hyemavit, & vere anni $^{735.}_{6}$ in Syriam profectus venit, ut *Dio* inquit, Phrahates, quia nihil dum eorum quæ pa-

ctus

ctus fuerat, perfeciſſet, veritus ne bello ab Auguſto impetere- ,, tur, ſigna ei militaria & captivos omnes miſit. L. Aquilius ,, tunc monetalis Triumvir nummos in hujus rei memoriam expreſſit, & Parthum ſupplicem genuflexum militare ſignum porrigentem exhibuit, ut & in aliis hujus anni Triumvirorum denariis videre eſt. Aquilius verò hac occaſione ut majorum antiquos honores renovaret in gratiam Proavi ſui M. Aquilii qui pro ludis Apollinaribus in Prætura ſua editis, ut ſuprà diximus, caput Apollinis ſub Solis imagine in denariis exhibuerat, ipſe renovavit.

VIII.

L. AQVILIVS FLORVS III VIR. Caput Apollinis radiatum, CAESAR AVGVSTVS. in imo, S. C. Currus triumphalis, in quo flos.

Idem Apollinis radiati caput, typum averſæ partis ad res etiam Parthicas ſpectare indicat, quadrigæ ſunt triumphales, in memoriam nempe decreti à Senatu triumphi Auguſto, quod confirmat nota S. C. in imo ſignata, ovans tamen modeſtia in urbem tantùm intravit; ideò nemo in quadrigis exhibetur: Cæſar autem captivos & ſigna, inquit *Dio lib.* 53. ,, quaſi bello aliquo Parthum viciſſet, accepit. Nam hanc rem magnæ ſibi laudi ducebat, quod præliis priùs amiſſas res, citra ullum certamen recepiſſet. Itaque & ſacrificia ejus rei cauſa decerni juſſit; equo etiam ovans in urbem invectus. Florem in curru ad antiquitatem Flori nominis indicandum exhibuerunt.

IX.

AVGVSTVS CAESAR. Caput Auguſti. L. AQVILIVS FLORVS III VIR. Scorpio.

Dio denarium Aquilii Flori cum Scorpione interpretatur, *lib.* 53. dum nobis narrat, quidquid Auguſtus in Syria egerit, poſtquam Phrahates Parthorum rex ei captivos & ſigna militaria miſit: nam, inquit, Mithridati cuidam Commagenem, quod ejus Rex *Antiochus*, patrem hujus Mithridatis occidiſſet, puero etiamnum attribuit; quod nobis indicare voluit Aquilius Florus tunc Triumvir monetalis, quùm in Auguſti denario Scorpionem Commagenis regni inſigne expreſſit, id norunt *Antiquarii*, qui Antiochi Commagenes regis Epiphanis Magni aut Jotapæ illius tra-

ctus

ctus Reginæ nummos tractarunt; in quibus Scorpio idem exhibetur, cum epigraphe, ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ.

X.

L. AQVILIVS FLORVS III VIR. Caput Virtutis galeatum, CAESAR DIVI F. ARME. CAPTA. Mulier genuflexa capite tutulato & habitu patrio, brachiis expansis.

Quùm Armeniæ majoris populus, inquit *Dio*, *lib.* 53. Artabazem, quem veriùs Artaxiam, qui Artabazis filius erat, *Tacitus* appellat, *Ann.* 2. „ accusaret Tigranemque fratrem ejus, „ qui tunc Romæ erat evocaret. Augustus Tiberium accersivit, „ ut Artaxiam regno pelleret, Tigranemque ei præficeret: Ti-„ berius ab Armeniis ante ejus adventum occiso Artaxia, eum deduxit: unde nummi percussi, in quibus ARMENIA RECEPTA ET ARME. CAPTA. Mulier ab Aquilio Floro genuflexa in hoc brachiis expansis supplex, Armenia regem deposcens, depingitur.

Primis autem temporibus, quibus denarii percussi sunt, in iis frequens Romæ caput & Jupiter, deinde eorum successu multis modis variarunt typi, ex arbitrio magistratuum, & tandem Triumvirorum. Aquilius qui majorum honores & gesta renovare voluit, in prioribus proavi sui Manii Præturam per Apollinis radiati caput, in qua ludos Apollinares inierat, in his sequentibus, ut ab altero Manii Prætoris filio & avo suo templum Virtutis restauratum indicaret, idem ipsius dei caput, quod in denariis ille exhibuerat, ipse restituit.

XI.

L. AQVILIVS FLORVS III VIR. Caput Virtutis galeatum, CAESAR AVGVSTVS. Figura tunicata, stans in bigis Elephantorum, d. ramum olivæ, s. scipionem seu sceptrum.

Triumviris monetalibus, inquit *Pighius*: visum fuit, & no-„ mina & titulos curasque suas singularibus notis tanto cum in-„ genio in nummis exprimere, ut & Hieroglyphicis Ægyptio-„ rum cum litteris certare non solùm, verùm etiam in multis „ illas elegantia & doctrina exuperare videantur: nam causas cur „ cusi fuerint, tacitis signis sæpiùs exprimunt, provinciarum, „ gentium & familiarum origines, stirpes, nobilitatemque pri-

scam

ſcam oſtendunt : atque plurimùm ad Hiſtoriæ Romanæ intel- „ lectum & antiquæ doctrinæ ſcientiam conferunt. Quis enim ad pacem cum Indis hoc anno quo Aquilius Florus fuit Triumvir „ Monetalis, ab Auguſto ſancitam, hunc denarium indicare poſſet, niſi *Dio* nobis lucem præferret: de qua ſic ait *lib.* 53. „ Frequentes enim ad ipſum legati commearunt, ac Indi pacem, „ quam antea per Oratores petierant, tunc interpoſito fœdere „ ſanxerunt, miſſiſque donis, inter quæ tigres etiam, animalia „ tum primùm Romanis ac Græcis etiam, ut exiſtimamus viſa. „ Nec te monet epigraphe, CAESAR AVGVSTVS, quùm ille hoc anno non triumpharit, nec umquam in bigis Elephantorum, ſed quia ſub illo Orator Indus Romam venerit.

Bigæ illæ Elephantorum Oratoris Indi in Urbem adventum exhibent, ille in curru à duobus Elephantis, regionis ſuæ animalibus ſolitis, ad indicandam legionem vectus eſt: dextra tenet ramum olivæ, pacis ſymbolum, quam cum Auguſto Regis ſui nomine ſancire debet; læva Principis Sceptrum tenet, quo illius fides Oratori ſuo plenior habeatur, aut quod per illud pacem jurare debeat.

Aquilius verò caput Virtutis expreſſit in memoriam Aquilii ſuæ gentis, qui Triumvir reficiendis ædibus ſacris ejus templum, ut ſuprà diximus, reſtaurari curaverat.



ARRIA.

Arria gens plebeia eſt : nam Q. Arrius, clamoſus Orator in foro, ex *Cicerone in Bruto*, Tribunus plebis fuit an. 677. Arrii nomen alii deducere à verbo Ἄῤῥις, ex aliquo *naſi defectu*, quod ῥὶς Græcè ſit *naſus*; alii à verbo Ἄρειος, id eſt *bellicoſus*, de quo in ſecundo denario; huic verò de quo agitur cognomen Secundus à filiorum numero inditum.

I.

M. ARRIVS SECVNDVS. Caput M. Arrii ſecundi; in averſa corona, haſta, & ara ignita.

Urſinus, quis fuerit Marcus ille Arrius Secundus, pro incerto relinquit, hæc gens quidem non ita celebris fuit Romæ, ut magiſtratus geſſerit ordinarios : nam Arrius de quo agimus nullo honoris titulo inſignitur, nec pars averſa denarii quid contineat, probè denotat; *Urſinus* coronam, haſtam & clathrum eſſe refert; clathraque eſſe ligna, quibus tranſverſis claſtrorum portæ muniebantur, exiſtimat: unde qui denarium cudit, factum inſigne alicujus majorum ſuorum indicare putat, unde haſta pura & corona donatus fuerit in expugnatione caſtrorum vel oppugnatione, hoc quidem typo ſatis feliciter putavit *Urſinus*.

II.

M. ARRIVS SECVNDVS. Caput Fortitudinis. P. Romani, uti tres hæ litteræ denotant, F. P. R. in averſa corona, haſta, & clathrum.

Marcus ille Arrius Secundus alludere videtur ad cognomen Arrii, quod *bellicoſum* ſonat, quùm caput Fortitudinis Populi Romani exhibet; poſtquam Arrium ipſum, qui genti nomen dedit, in priore denario expreſſit. *Patinus* noſter has tres litteras F. P. R. interpretatur *Fecialis Populi Romani*; ſed ſi gentis Siciniæ denarios parumper examinaſſet idem muliebre caput cum epigraphe, FORT. P. R. haud dubiè reperiſſet, quod bellicoſi Arrii fortitudinem in-

ingentem, corona & hasta donatum ob castrum hostium oppugnatum, ut clathrum ipsum incensum, igne consumptum ab eo demonstrat.

III.

C. ARRI. A. F. Q. AQ. C. IVL. T. ANC. *Caio Arrio Auli F. Caio Aquilio. C. Julio, Tito Ancharo.* Caput Julii II VIR. QVINQ. EX D. D. *Duumviris Quinquennalibus ex decreto Decurionum.* Aratrum.

Patinus nummum mutilum exhibuit, quem integrum ex *libro* nostro *Coloniarum* tibi resarcimus, Caium Arrium ex quatuor viris Quinquennalibus primùm nominat, Romanam quidem Arriæ gentis familiam in coloniam transmissam : sed quis fuerit ille C. Arrius non edocet, unum ejus nominis suum appellat vicinum *Cicero lib. 2. ep. 15. ad Atticum:* an ille aut alius. Quatuorviri illi videntur fuisse Censores, qui in coloniis ut Romæ quinto quoque anno nominabantur, unde Quinquennales dicti : at quùm refert *Livius lib.* 4. Alios magistratus annuos esse, Quinquennalem censuram gravem esse, in quibusdam coloniis, forsan Corinthi, ubi videtur cusus nummus, ob caput Julii Cæsaris, qui eam deduxit, quatuor creabantur pro censura, ut videmus in aliis coloniis Quatuorviros pro Duumviris nominatos.

IV.

M. IVNIO BALBO II VIR. Caput Augusti. L ARRIO PEREGRINO. II VIR. COR.

Esse alterum *Patini* nummum ex integro restitutum, cum alterius Arrii nempe Lucii prænomine, sed cum adjuncto Peregrini cognomine, an prioris filii, incertum, ut & ex eadem familia, nam in colonias cives libertini generis ut plurimùm mittere solebant; sed quùm illarum urbium nummi parùm aut nihil præter gentis nomen nos doceant, & ad seriem nummorum consularium, qui ex argento seu auro ejusdem formæ esse debent plurimos proferre, quos in nostro Coloniarum libro videre est, possemus, *Ursinianos* & *Patinianos* hîc describere tantùm statuimus. Corinthus à Julio Cæsare deducta est Colonia, nil mirum si Augusto nummos dedicant ejus Duumviri, & quidem cum Templi in Fundatoris honorem erecti icone.




ARRUNTIA.

ARRUNTIA gens conſularis & cui Lucii prænomen, omnibus ex illa inditum reperitur: nomen verò ab Arrunte prænomine dictum traxiſſe.

L. ARRVNTI. L. F. II VIR. Caput Jovis laurea coronatum: in averſa, IVL. ANTON. M. F. Q. MAX. AFRICAN. Caput tauri mi thrati, ſeu ad ſacrificium ornati.

L. Arruntius L. filius denarium hunc aureum, ut Duumvir percuſſit Julio Antonio M. filio, Quinto Fabio Maximo Africano conſulibus, an. V. C. $^{744.}_{5}$ ut indicat *Dio*, ſed obſervandum *Dionem* in annis computandis unum annum *Varronem*, quem ſequimur antevertere. Quis autem fuerit ille Arruntius, inquiramus, eum conſulatum cum Æmilio Lepido geſſiſſe reperimus ex eodem *Dione*, an. $^{759.}_{60}$ qui poſteà Proconſul Hiſpaniam per legatum abſens in decennium apud *Tacitum*, *Ann.* 1. obtinuit anno $^{764.}_{5}$ ſed tandem accuſatus ſe ipſum necavit, *Ann.* 4.

Caput Jovis ex una parte & caput tauri infulati ex altera, ſacrificium in illius dei honorem indicat, & quùm adſint nomina Conſulum ſupra denarium exarata, in eorum memoriam, illud factum declarant. Quo autem die Conſules nempe Kal. Januar. magiſtratum inibant comitati frequenti populo in Capitolium aſcendebant, & Jovi Optimo Maximo injuges juvencos mactabant; quod obſervatum fuit ab an. V. C. $^{501.}_{2}$ quo Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luſcus Conſules fuerunt. Ab eo enim anno regulariter actum fuit. Arruntius autem ut Duumvir ſacris inquirendis, de quibus loquitur *Livius*, *lib.* 25. huic præfuit, in cujus memoriam, caput Jovis & caput Tauri cum nominibus conſulum, & titulo dignitatis ſuæ in denario percuſſit.



ASINIA.

ASINIA Gens plebeia, ſed conſularis, ab Aſinis dicta, ut Porcia à Porcis, in plures ſtirpes diviſa, de quibus duo tantùm in nummis ſuperſunt cognomina, unum Pollio, alterum Gallus. Polliones tamquam Pilliones dicti ſunt portitores mortuorum, *Gloſſ. Iſidor.* Galli verò &c.

I.

POLLIO. Caput Apollinis radiatum. C. ASINI. C. N. F. Luna bicornis cum ſeptem trionibus.

C. Aſinius Pollio Cn. filius perhibetur. Tribunus plebis fuit anno $\frac{706.}{7}$ in quo legi Corneliæ de tabulis novis interceſſit, & optimatum ac nobilitatis partes contra debitores & inopem multitudinem defendit, deinde Prætor urbanus ex quatuordecim numero, quos Julius Cæſar nominavit, ludos Apollinares feciſſe videtur ex denario in quo caput Apollinis ſub Solis imagine exhibetur, & cum Luna bicorni, & ſeptem ſtellis ſpectantibus ad Lunam quæ eadem eſt cum Diana ſpectantibus, in quorum gratiam utpote fratris ac ſororis eodem partu genitorum, celebrabantur.

Ex Prætura Hiſpaniam ulteriorem cum duabus legionibus obtinuit an. $\frac{709.}{10}$ ut refert *Cicero lib.* 10. *Famil.* Conſulatum geſſit cum Domitio Calvino II. an. $\frac{713.}{4}$ Procos. obtinuit Illyricum 714. de Parthis triumphavit, C. ASINIVS CN. F. POLLIO. PROCOS. an. DCCXIV. EX PARTHINEIS. VIII. K. NOV. Inſignis Orator fuit Auguſti Cæſaris amicus, docuit Romæ temporibus Pompeii M. ſucceſſitque ſcholæ Timagenis. Scripſit bellum Cæſaris & Pompeii. Omnium primus Romæ Bibliothecam feciſſe dicitur *Plin. l.* 35. plura de eo vide apud *Voſſium.*

II.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Caput Auguſti, C. ASINIVS GALLVS III VIR. A. A. A. F. F. in ambitu, S. C. verò in area.

C. Aſinius Gallus C. Aſinii Pollionis filius, primùm Trium-

vir monetalis fuit Senatus, quod distinguitur ex nummis & denariis, nam quùm Cæsar in Senatu se velle imperium deponere simulasset, multis omnes eum verbis precati sunt, ut solus summam Imperii gereret, & à Senatu tandem populoque confirmatum est, ut solus principatum teneret. Is verò ut popularis status opinionem sibi nihilominus aliquam pararet, recepta in se omni reipublicæ cura, negavit se omnes velle provincias obtinere, & eas divisit inter se & Senatum, ut narrat *Dio, lib.* 53.

Sed ut umbra potestatis adhuc in Senatu videretur, moneta supremæ potestatis indicium nos docet, illum eam inter se & Senatum fuisse partitum, nam voluit ut Senatus nummos æreos percuti juberet, unde in nummis æreis ab hoc tempore nota S. C. semper signata fuit, & Triumviri monetales constituti sunt à Senatu qui eam curarent. Augustus verò Auream & Argenteam cudendam accepit, in qua nulla videtur ampliùs S. C. nota, & suos etiam Triumviros monetales nominavit, qua de causa quùm eorum numerum auxisset Julius Cæsar, ille ad pristinum reduxit, quod opinionem hanc confirmat; observandum est, monetales quorum nomina in nummis æreis occurrunt, in denariis non reperiri, & vicissim qui denarios cuderunt, eorum nomina in æreis haud reperiri.

III.

OB CIVIS SERVATOS, corona quercea inter duos rami lauros, C. ASINIVS C. F. GALLVS III VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum, S. C. in area.

Hujus nummi aversæ partis interpretationem habemus apud *Dionem, lib* 503. *pag.* 507. nam tradit Augusto Romæ lauros & coronas à Senatu esse decretas his verbis, „ nempe ut ante ipsius „ domum in palatio lauri ponerentur, ac super eas coronæ „ querceæ superadderentur, nimirum quod perpetuus hostium „ victor, ac civium esset servator: nam corona ei qui civem servasset, ex quercu concedebatur, ut victori ex lauro concedebatur. Hæc omnia eo ferè tempore in gratiam Augusti sunt instituta.

IV.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. In laurea, C. ASINIVS III VIR.

VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum, S. C. in area.

Aſinius Gallus ut Triumvir, quidquid in magiſtratu ſuo annuo in Auguſti honorem decretum eſt, in nummis quos ſignavit, ille expreſſit, nempe Auguſti titulum ei attributum, coronas ex ex lauro tamquam victori, ex quercu tamquam civium ſervatori conceſſas, in hoc Tribuniciam poteſtatem qua deinceps uſi ſunt Imperatores, exhibet: illos etiam Auguſto decretos honores ceteri ejus ævi Triumviri monetales in ſuis nummis omnes ſignarunt: ita ut ignoretur quis primus eos expreſſerit, licet ex *Dione* anno $^{727}_{8}$ Auguſto delatos fuiſſe certum ſit.

V.

Caput Victoriæ cum alis: in averſa, C. ASINI. C. F. GALLVS, Victoriola in bigis.

L. Aſinium Gallum refert triumphaſſe procos. de Sauromatis, *Goltzius* an. $^{738}_{9}$ in cujus rei memoriam cuſum fuiſſe hunc denarium, de quo nihil apud *Hiſtoriæ Scriptores* reperimus, ſed quis fuerit ille C. Aſinius C. F. inquirendum. Illum idem *Autor* Cnei nepotem appellat, ſi verum eſt, C. Tiberio Vipſaniam Druſi matrem duxit uxorem, quare Miſer ſub Aſinii Galli fratrem fuiſſe oportet, cujus erat pater C. Pollio & Cn. F. Si tamen nobis liceret *Goltzium* ſuſpicari ex obtuſa littera prænominis C. *Caius*, alteram L. *Lucius* ſubſtituiſſe remur; & id confirmare videtur typus, qui his temporibus non congruit, quibus nummi ita conſulares vix ſub Auguſto cudebantur: porrò videant eruditi *Antiquarii*. L. Aſinium Gallum porrò ſub Nerone Conſulem an. $^{814}_{5}$ reperimus, qui potuit eſſe vel illius filius, ſed potiùs *Caii*, qui tres habuit filios conſulares.



ATIA.

ATIA gens plebeia, cujus nomen ex Ati puero Trojano, in gratiam Augusti *Virgilius* deducit:

Parvus Atis·· genus unde Atii duxere Latini.

Cognomina illius duo in nummis occurrunt, Balborum & Labienorum, unum à vitio linguæ, alterum à labiorum mala conformatione.

I.

ATIVS BALBVS PR. Caput Atii Balbi: in aversa, SARD. effigies dei, vel Herois.

M. Atius Balbus, ad quem spectat nummus, hic ex Julia Atiam habuit, quæ Octavii uxoris, uxor & Augusti Cæsaris mater renunciatur, ab Aricia originem paternam apud *Suetonium* traxisse dicitur, & ejus nummus cum litteris PR. fuisse Prætorem nobis demonstrat; litteræ verò SARD, in aversa parte exaratæ, in insula Sardinia præturam exercuisse indicant, & ad id confirmandum, si nostra vera conjectura est, effigies illa quæ in aversa nummi parte exhibetur, est Sardi, Herculis filii qui insulæ nomen dedit, quæ prius Ichnusa vocabatur, adde quod nummus non modò peregrinus est, sed rudis & omninò in hac insula percussus apparet.

II.

Q. LABIENVS PARTHICVS IMP. Caput Labieni: in aversa equus cum strato.

Carolus Sigonius omnia familiarum nomina in ius desinere tradit, *cap.* 4. *lib. de nom. Roman.* nonnulla autem cognomina gentili nomine oblitterato eorum vicem occupare tentaverunt, sed semper in iis quærenda antiquum familiæ nomen ut in cognomine Labieno Atiæ nomen tandem reperitur, qua de causa post *Patinum* Q. Labienum genti suæ restituimus: cujus ratio est quod Atia lex de sacerdotiis, & Cornelia Dictatoris Sullæ abrogata, Labieno Plebis Tribuno veteres tribuant.

T. Atius

T. Atius Labienus Tribunus Plebis an. $\frac{710.}{1}$ C. Rabirium perduellionis accusavit, à Cæsare subornatus quod ejus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Hic primùm Cæsaris partes secutus, legatus etiam ipsius in Gallia fuit. Pompeianus deinde factus, Cingulum oppidum ædificavit, postremò Pompeio devicto ad Catonem proficiscitur cum Afranio in Africam; superato posteà Catone cum classe in Hispaniam ivit cum Varo & Sex. Afranio ad Pompeium.

Q. Labienus hujus Q. filius, in bello civili Bruto & Cassio adhæsit, & ad Parthos sollicitandos ab iis missus, clade eorum annunciata, quùm adversariorum nemini veniam daturos Triumviros, præsertim quia pater ejus à Julio Cæsare, ut diximus, confugerat ad Pompeium, potiùs sibi cum barbaris vivendum ratus, quàm in patria periculum experiri, apud Parthos remansit. At ille quùm Antonium in Ægypto Cleopatræ amoribus indulgere, persuasit Orodi, ut provincias Romanas tunc invaderet, Rex autem ingentes copias collegit, cui Pacorum filium præfecit, & Mesopotamiam trajecto Euphrate facilè invaserunt Parthi. Profecto, inquit *Appianus, lib. Parth.* „ deinde Parthorum exercitu in Mesopotamiam, regii duces Labienum appellarunt Imperatorem Parthicum.

Labienus ut Romanas provincias sollicitaret se Imperatorem Parthicum appellavit, inquit *Dio*, ratione à more Romano di- „ versissima. Quos enim adversùm Romanos ducebat, ab iis no- „ men sumebat, quasi verò ejus, ac non cives suos vicisset: ita- „ que denarios cum hoc titulo Imperatoris Parthici percussit, „ in cujus aversa parte equum signavit, ut eorum in equo peritiam demonstraret; sed tantùm Ventidius Antonii legatus Pacorum in Syria profligavit & occidit, & Labienus in Cilicia captus à Demetrio, Cypri & hujus partis provinciæ præfecto, interfectus est.



ATILIA.

ATILIA gens apud *Scriptores*, partim Patricia, partim Plebeia fuit, ſed Patriciæ, cui cognomen erat Longus, nummi non ſunt ſuperſtites; Plebeia autem in Bulborum, Calatinorum, Regulorum, & Seranorum ſtirpes diſtincta. Ab Atiis dici volunt Atilii: cognomina, Bulbus ab eximio bulborum cultu vocatus eſt; Calatinus à Calatia Campaniæ urbe ex qua originem traxerunt; Regulus à regula, qua paſtinator ſulcum facit; Seranus à ſerendo, ut docet locus *Virgilii 6. Æneid.*

Et te ſulco Serane ſerentem.

Alii, quia in nummis legitur SARAN. Saranos ſeu Sarranos nominant, quaſi Tyrios ſeu Pœnos à Sarra, quo nomine Tyrus, unde Carthaginienſes oriundi erant, appellata fuit: ſed hæc orthographia SARAN pro SERAN, proceſſit illo tempore, quo orthographiæ conſuetudo diverſa erat ab uſu, vel quia non raró eodem quo pronuntiabant antiqui, modo ſcribebant, ut videre eſt in antiquis hujus ævi *marmoribus*.

I.

BVLBVS. Caput Romæ galeatum. C. ATIL. A. F. in imo, ROMA. Caſtor & Pollux, aſtris ſupra caput inſigniti, decurrentes in equis cum haſtis.

C. Atilius Bulbus Atiliæ gentis nummorum agmen primus aperiet, licet forſan familiæ non ſit princeps; ſed in iſta Romanarum gentium caligine, Alphabetico cognominum ordine, eorum ſtirpes ut nummos exhibebimus: nam C. Atilius Bulbus in *Faſtis* A. filius, & A. nepos indigitatur, de quibus nulla fit apud *Hiſtoriæ Scriptores* mentio; ille verò Tribunus plebis fuit anno $\frac{500.}{1}$ Prætor urbanus an. $\frac{506.}{7}$ conſul cum Fabio Buteone, an. $\frac{508}{9}$ & iterùm anno $\frac{518.}{9}$ quia decem anni inter unum & alterum conſulatum requirebantur, & tandem Cenſor cum A. Poſtumio Albino an. $\frac{519.}{20}$ & ab iis luſtrum Urbis quadrageſimum fuit ex *Capitolinis marmoribus*. Atilius Bulbus filium reliquit prænomine

Lu-

Lucium. Denarius illius nihil habet peculiare, & ſimili modo quo alii ejus temporis ſignati nempe cum Romæ capite, & in averſa cum Dioſcuris occurrunt.

II.

Caput Jani bifrontis cum cippo in averſa, A. ATILI. CALAT. in imo, ROMA. Navis.

Ad Atilium Calatinum quem *Cicero in Catone* primarium virum appellat, nummus revocatur. Is per omnium magiſtratuum gradus ad ampliſſimos Reipublicæ honores pervenit: nam Ædilis Plebis fuit an. [491-2] Tribunus plebis an. [493-4] conſul cum Sulpicio Paterculo [495-6] Aquinio Floro ſuccedens obtinuit Siciliam. Nummos ſextantarios ex ære percuſſit, qualis eſt hic ejus ponderis, ut jam diximus, ob primum bellum Punicum an. [489-90] incœptum demonſtrat, in quo ſolitum Aſſium Romanorum ſymbolum, nempe Janus bifrons ab una parte & navis ex altera exprimitur.

III.

CALATINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. in averſo, A. ATIL. A. F. C. N. Vir togatus in quadrigis elephantorum dextra lauream.

Ecce Calatini æternum de Pœnis triumphantis monumentum. *Autor* de viris illuſtribus res geſtas A. Calatini breviter complexus inter alia refert totam Siciliam Victore exercitu pervagatum fuiſſe, & poſt munitiſſimas aliquot urbes captas, & periculum in quod inciderat ingens, ad Camarinam evitatum, gloriosè triumphaſſe; denarius verò illum in quadrigis elephantorum ſupra Pœnos captorum triumphum egiſſe nos docet, in iis coronam quam Jovi Capitolino traditurus eſt de manubiis, dextra gerit alterum, vidit ferè ſimilem *Pighius* in Muſeo Card. Granvellanum, cui inſtabat Victoria coronam oſtentans triumphanti in quadrigis elephantorum.

Atilio Calatino *Valerius Maximus l. 4. c. 4.* Agrum ſerenti delatum fuiſſe conſulatum tradit, ſed alii Regulo tribuunt: unde Serani illi cognomen adſcribunt, quùm *Valerius* id de Calatini ſecundo conſulatu intelligat, qui niſi poſt decennium deferebatur, at tantùm quatuor anni interfuere inter primum Calatini anno [495-6]

& alterum 499. 500 Calatinus ob grande classis Romanæ sub Consulibus naufragium ex Africa redeuntis, accersitus est.

IV.

Capita jugata Penatium, laureis ambo cincta, in corona etiam ex lauro composita: in aversa parte, A. ATILI. A. F. CALATIN. Tripus ex quo exurgunt duo rami lauri, à dextris spica recta, sub tripode raphanus jacens.

Ad eumdem Atilium spectare denarium denotat eadem nominis epigraphe, sed cur in eo dii Penates exhibeantur, nobis suggerit *Macrobius*, qui *lib.* 3. *Saturn.* Consules, Prætores, Dictatores Lavinii rem divinam solemniter DIS Penatibus pariter & Vestæ scribit facere consuevisse, quùm magistratum inibant, quod Tripus Apollinis signatus] in editorum à Calatino ludorum Apollinarium memoriam confirmat, quando is Prætor fuit urbanus, quia nemo ad consulatum ex plebe ascendere poterat qui Præturam non gessisset, & ab anno 416. 7 Q. Publicius Philo primùm ex plebe creatus fuerat, quùm anteà solis patriciis ad eum magistratum aditus pateret.

Spica erecta & bulbus raphani jacens adjecta sunt ad cognomina Serani & Bulbi gentis Atiliæ indicanda, quibus symbolis demonstratur antiquum illius studium agriculturæ, ex qua accersitum à Senatu Atilium tradit *Valerius Maximus* ad suscipien-
„ dum P. Romani Imperium, quem semen aspergentem vide-
„ runt: sed illæ, inquit, rustico opere attritæ manus salutem
„ publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdede-
„ runt: quæque modò arantium boum jugum rexerunt, trium-
„ phalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubor, eburneo
„ scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere.

V.

ROMA. Caput Romæ galeatum: in postica, M· ATIL. M. F. L. N. REGVLVS. Consul togatus in quadrigis triumphalibus, d. habenas, s. scipionem eburneum, in cujus apice aquila, victoria ei coronam retrò imponit.

Ex Calatinis Atiliis ad Regulos transimus ordine cognominum alphabetico: nam M. Atilius M. F. M. nepos appellatus vetustior

erat

erat Calatino, ille tribunus plebis fuit an. 478/9. Ædilis plebis 492/3. Trib. plebis iter. 493/4. Consulatum iniit cum Julio Libone an. 496/7. & & contra Salentinos Italiæ populos, quorum regio Mesapia & Brundusium in ea, versus ostium maris Adriatici, multi sunt capti Brundusini cum eorum civitate, & de iis triumphatum est teste *Eutropio.*

M. ATILIVS. M. F. L. N. REGVLVS. AN. CDXXDCVI. CDXXCCVII. *Varr.* COS. DE SALLENTINEIS. VIII. KAL. FEBR.

Exhibetur Atilius Regulus in quadrigis triumphalibus cum scipione eburneo consulum insigni, victoria tamquam celebris relata sit, quod Brundusium hoc prælio Poruisam urbem occuparent, ex qua facilis est in Illyrium & Græciam trajectus.

VI.

Caput Jovis barbatum & laureatum cum littera s. in aversa, M. ATILI. in imo, ROMA. à sinistris, s.

Ut ad M. Attilium Regulum revocemus nummum hunc æreum, impellit pondus, est enim uncialis, sextantarii assis dimidia pars, ad quod *Festo* teste, bello primo Punico Assis libralis reductus est, scilicet ad uncias duas; & dimidia ejus pars ad unciam, uti pendet hic nummus, porrò licet uncialis sit, notam semper habet ex utraque parte s. id est *semi*, quasi adhuc sex uncias penderet, vel potiùs sex unciarum pretium designaret. Caput Jovis Capitolini hisce temporibus in uncialibus nummis signari cœpit, quùm præcipuus sit Romanorum deus, & hic nummus percussus etiam videtur sub consulatu secundo M. Reguli, quando & superior nummus æreus signatus est. Atilius cum Vulsone in Africam transiit, ubi hieme remansit, dum collega ad Comitia Romam rediit, sed Regulus tandem victus & captus ibi miserè & crudeliter periit, ut omnes norunt.

VII.

Caput Dianæ cum crescente Luna supra frontem, & pharetra & arcu dorso appensis: in aversa victoria in trigis, d. palmam, M. REGVLVS M. F.

Hic denarius à M. Attilio Regulo iterùm Consule cum Man-

lio Vulſone an. $^{497}_{8}$ quando ſuffectus in locum Q. Cæcidicii in magiſtratu mortui percuſſus eſt, dum utriſque Conſulibus Sicilia & Africa decretæ ſunt, nam hi Siciliam petiere, & contra Amilcarem & Hannonem prælium navale tripartitum non procul Heraclea inierunt, unde Victores evaſerunt. Diana Siciliæ præcipua dea, in denario ſignata, eum in Sicilia ab Atilio percuſſum denotat, propterea in illo ſolita vox ROMA deeſt. Victoria cum palma Conſulum victoriam arguit.

VIII.

Caput Jani bifrontis ſine cippo, in averſa, M. ATILI. Navis, in imo, *Roma.*

Forma & pondus hujus nummi, ut illum M. Atilio Regulo M. Atilio apud Pœnos mortuo adjudicem impulit: pondus quidem quippe As cum Jani bifrontis capite ſignatus, eſt uncialis, & *Plinius lib.* 33. *cap.* 33. Bello ſecundo Punico ab anno $^{535.}_{6}$ incœpto, Annibale urgente propter bellicas clades & claſſium naufragia, ſextantarios eſſe factos unciales: forma verò non ampliùs cippum ſupra Jani caput exhibet, nec as etiam litteram l, libram deſignantem, non ampliùs præfert, quùm revera nummus pro libra ſit uncia. De Jano & navi ſæpè dictum eſt.

IX.

Caput Victoriæ pectore tenus cum alis: in averſa, C. ATIL. REGVL. in imo, ROMA. Victoria in bigis, d. habenas, ſ. coronam ſub equorum pedibus, prora navis.

C. Atilius M. filius M. nepos, à *Zonara* dictus eſt M. Reguli à Pœnis occiſi frater, ſed error eſt, nam alter hic dicitur Lucii nepos, hic alter verò M. nepos, ut teſtantur *Marmora Capitolina.* Tribunus plebis fuit an. $^{489.}_{90}$ Ædilis plebis $^{492.}_{3}$ Prætor urbanus $^{494.}_{5}$ Conſul cum Cornelio Blaſione iter. an. $^{495.}_{7}$ ex *Caſſiodoro* Blaſio Siciliam ſortitus eſt. Atilius claſſem Atiliorum continui ferè Conſulatus & Victoriæ nonnihil obſcuritatis in Hiſtoriam ejus temporis intulerunt: nam *Autor de viris illuſtribus* Atilio Calatino anno ſuperiore conſuli attribuit victoriam navalem de Pœnis & Amilcare, quam *Polybius* & *Zonaras* M. Atilio Regulo adſcribunt, quod ambo hoc anno triumpharint ex Pœnis, nempe Calatinus ob res in Sicilia imperio prorogato geſtas,

ſtas, & Regulus, ob Pœnorum claſſem ſub Tyndaride promontorio partim profligatam, & partim demerſam, de qua *Faſti.*

C. ATILIVS M. F. M. N. REGVLVS COS. AN. CDXVI. CDXVII. *Varr.* DE POENIS. NAVALEM EGIT. VIII..... deficit dies.

Quod confirmat C. Atilii, denarius cum victoriæ imagine, & ipſa in bigis decurrente, cum corona: ſed navalem fuiſſe victoriam omninò convincit prora navis, ſub equorum pedibus.

X.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in averſa, M. ATIL. M. F. M. N. REGVL. Victoria in bigis, d. flagrum in area, XXXXIII.

Quin hic denarius ad eumdem Atilium Regulum non pertineat non ſinit dubitare epigraphe *Marci nepos*, quippe ejus pater indigitatur Lucii nepos: ſed notæ numerales id penitus confirmant. M. Atilius Regulus à Pœnis crudeliter necati filius major ex Marcia, teſte *Silio Italico lib. 6. Punic.* Tribunus plebis fuit 517/8. Ædilis plebis 520/1. Prætor urbanus 523/4. Conſul cum Valerio Flacco 526. Conſul iterùm cum Servilio Gemino, ſed ſuffectus Flaminio nepoti II. in prælio occiſo, an. 536/7.

Poſt cladem Cannenſem an. 537/8. ob penuriam pecuniæ, ex *Livio*, creatus eſt Triumvir menſarius, ut ille inquit, L. Æmilius Papus qui Conſul Cenſorque fuerat; M. Atilius Regulus qui bis conſul fuerat, & L. Scribonius Libo qui tum Tribunus plebis erat. Eodem tempore, ut tradit *Zonaras*, nummus argenteus, qui adhuc purus fuerat, ære admixto propter argenti adulterari primùm cœpit. Atilius anno 539/40. creatus Cenſor cum Furio Philo, ut indicant *Livius* & *Valerius Maximus*, ſed *Polybius* in pugna Cannenſi occiſum ſcribit: porrò denarii favent prioribus; nam quùm iniit cenſuram, hunc bigatum cudit, in quo notæ numerales XXXXIII. indicant luſtrum fuiſſe 43. à Cenſoribus cœptum, uti numerare eſt apud *Hiſtoriæ Romanæ Scriptores*, ſed non finitum, nam quùm Furius Philus in magiſtratu fuiſſet defunctus, abdicavit Atilius, ut narrat *Livius*.

XI.

Caput Jani bifrontis: ex averſa navis & vocibus, C. ATIL. REG. ad latus dextrum, ROMA.

Ad C. Atilium Regulum, M. Reguli apud Pœnos mortui filium & ſuperioris fratrem natu minorem, ſpectare nummum ſextantarium nos docet *Plinius*; nempe as libralis ad duas uncias reductus eſt primo bello Punico. Is Tribunus plebis fuit an. $\frac{519}{20}$ Ædilis plebis $\frac{522.}{3}$ Prætor peregrinam ſortitus eſt juriſdictionem $\frac{525.}{6}$ De Jano bifronte, & de navi, in qua Italiam appulit, ſat dictum.

XII.

Caput Romæ galeatum, pone quod numerales notæ XVI. in averſa, L. ATILI. Victoria in bigis cum flagro, in imo, ROMA.

Lucius ille Atilius fuit filius Lucii, & nepos Lucii, qui patruus erat Attilii Reguli à Pœnis necati, ut indicant *Fragmenta Capitolina.* Ergo ex ſtirpe Regulorum, & ſuperioris nempe patruelis. Avus legem tulit de Tribunis militum comitiatis, L. Atilius ejus filius, & pater hujus Quæſtor in pugna Cannenſi cecidit, nepos Tribunus plebis an. $\frac{543.}{4}$ rogavit ut Campanis omnibus Senatui Romano jus ſententiæ dicendæ eſſet, ex *Livio.* Hunc ille ſignavit denarium, in quo notæ numerales XVI. quod poſt Cannenſem pugnam, an. $\frac{537.}{8}$ Annibale urgente, & magna argente penuria placuit, juxta *Plinium*, Q. Fabio Max. Dictatore, „ denarium XVI. aſſibus, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis „ permutare, atque ita, inquit, reſpublica quaſi dimidium lucrata eſt: unde pro nota X. denarii ſolita apponeretur XVI. ut in hoc bigato videtur.

XIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod SARAN. In averſa, M. ATIL. Dioſcuri decurrentes cum haſtis, in imo, ROMA.

Caius Atilius Calatinus duos reliquit filios, Marcum Caii filium, & Caium Caii filium; qui, ut Romani ſerentem patrem invenerant, dum illi conſulatum ſecundum detulerunt, ejus filios Seranos vocaverunt; nam, ut ille jam Calatinus dicebatur, non potuit vocari Calatinus Seranus: at qùum *Valerius Maximus* dixe-

dixerit, *lib.* 4. *c.* 4. Attilium Regulum ejuſdem ſanguinis eſſe cum Atratino, quidam Atilium Regulum Serranum appellarunt, qui duobus cognominibus inſigniri non potuit, uti moris non erat, ſed cognomini addebatur aliquando cognomen illuſtre. V. G. Africanus & etiam adoptionis, ut Metellus, Scipio.

Marcus verò Atilius, qui nummum cudit, Tribunus plebis fuit, an. $^{528.}_{9}$ & cognomen Sarani forſan à ſerendo, ut *Virgilius lib.* 6. *Æneid.*

Et te ſulco Serane ſerentem.

Et *Plinius lib.* 27. *cap.* 3. Serentem invenerunt, dati honores. „ Seranum unde cognomen. At *Urſinus* ait, ex denariis & in- „ ſcriptionibus, cum *Julio Obſequente lib. de prodigiis*, Saranus pro Serano reperitur, quod fortaſſe ea familia Sarani cognominis, aliam haberet originem, non autem eam quæ à ſerendo ducta fuiſſet. An reclamabunt *Antiquarii*, ſi à ſariendo agros, non à ſerendo dicam illud cognomen Atiliis inditum; unde Sarani vocati ſint? De Dioſcuris, ſolito denariorum ſymbolo, ſæpiùs dictum eſt.

XIV.

Caput Jani bifrontis laureatum: in averſa, SAR. Navis, in imo, ROMA.

Ad eumdem M. Atilium Saranum pertinere indicant, & cognomen Sarani & pondus nummi: quippe ſextantarius eſt ex duabus unciis conſtans, ad quod aſſem libralem fuiſſe reductum ſuprà diximus in primo bello Punico, quod cœpit anno V. C. $^{489.}_{90}$ At Saranus ille Tribunatum plebis adeptus eſt $^{528.}_{9}$ & ſecundum bellum Punicum tantùm exarſit an. $^{535.}_{6}$ quo durante, as Sextantarius uncialis tandem factus eſt. Si verò aliquis ad C. Atilium Saranum ſpectare potiùs contenderit, libenter ei ſuffragamur, quùm deſit prænomen.

XV.

Caput Romæ galeatum: in averſa bigæ aurigante victoria, C. ATIL. in imo, ROMA.

XVI.

Caput idem Romæ galeatum : in averſa, eædem bigæ cum victoria, SAR. in imo, ROMA.

Duo iſti denarii cum eodem Romæ capite, & eadem victoria in bigis, unum C. Atilium Saranum efficiunt, in quorum priore nomen gentis C. Atilii, in poſteriore verò cognomen Sarani exhibetur : fuit ille frater ſuperioris, & uno anno ſeriùs Trib. plebis, nempe $^{529.}_{30}$ Ædilis Plebis $^{532.}_{3}$ Prætor inter cives & Peregrinos juriſdictionem ſortitus, Ligures provinciam obtinuit an. $^{535.}_{6}$ Tumultu Gallico nunciato cum una legione Romana & quinque millibus ſociorum, L. Manlio collegæ à Gallis obſeſſo, auxilium ferre juſſus eſt Anni ferè exitu vota ex S.C. ſuſcepit publica ſi in decem annos Reſpublica in eodem ſtatu ſtetiſſet, ob bellum hoc anno cum Annibale redintegratum. *Livius* etiam C. Atilium Augurem fuiſſe teſtatur, *lib.* 11. *Dec.* 3. At anno $^{536.}_{7}$ poſt Præturam exactam Conſulatum petens repulſam, paſſus favore plebis C. Varrone prælato, ut idem narrat *Livius*, ſed Caius ille Varro conſul an. $^{537.}_{8}$ temeritate ſua Cannenſis cladis autor fuit. M. & C. Atilii Serrani fratres ex eodem *Livio*, Duumviri creati, id eſt ædibus dedicandis, ædem Concordiæ, quam L. Manlius Prætor voverat, eo anno dedicarunt. De denario bigato, Romanæ argenteæ monetæ ſymbolo, ſat actum eſt.

XVII.

Caput Cereris corona ſpicea ornatum: in averſa parte, SEX. ATIL. M. F. SERRAN. C. MANCIN. A. F. Duo viri togati in ſellis ſedentes, inter duos modios ſpicis repletos.

Sextus Atilius in denario Marci F. indigitatur, at quidem illius eſſe videtur, qui Prætor anno $^{579.}_{80}$ Sardiniam ſortitus, tandem in Corſicam trânſire juſſus fuit, ex *Livio*, *lib.* 41. & ex ſtirpe Seranorum, qui filius erat C. Atilii, ſuprà Sarani vocati, cujus nepos hic Sextus fuit, & plebis tribunatum geſſit cum C. Hoſtilio Mancino anno $^{607.}_{8}$ factus Ædilis plebis cum eodem Mancino an. $^{609.}_{10}$ & ambo nummum hunc argenteum cudi curaverunt in memoriam annonæ frumentariæ, largiter procuratæ. Prætor cum eodem Mancino, ſortiti quæſtionem rerum capitalium obti-

nue-

nuerunt an. $\frac{612}{3}$ Sex. Atilius tandem conſul creatus eſt cum P. Furio an. $\frac{617}{8}$ Horum meminit *Cicero ep. ad Atticum, l.* 12. *ep.* 5. Hiſpaniam citeriorem ſortitus eſt Furius, Italiam Atilius, cui prorogata provincia eſt ad agros dividendos & controverſias inter populos fœderatos, ut teſtatur hæc inſcriptio:

SEX. ATILIVS M·F. SERRANVS PROCOS. EX. S. C.
INTER ATESTINOS ET VEICETINOS TERMINOS STATVIT.

Vide orthographiam pro diverſo tempore inter cognomen Seranum, & Serranum.

XVIII.

C. ATILIVS M. F. SERRAN. Caput Genii P. Romani imberbe & laureatum : in averſa modius ſpicis refertus, in imo, EX S. C.

C. Atilius Serranus M· Filius in denario appellatus Sexti ſuperioris frater fuit, Tribunatum plebis iniit an. $\frac{612}{3}$ Ædilis curulis factus an. $\frac{615}{6}$ cui quùm cura frumenti Romam advehendi eſſet, & caritas annonæ ſuperveniſſet, ille magnam ejus vim ex S. C. tum ex omnibus provinciis, tum ex pecunia publica collegiſſe videtur, unde totius anni abundantia P. Romano parta, ſibi ejus gratiam conciliavit, & tamquam Genius pop. Romani appellatus eſt, cùm ideò effigiem in denario ex una parte, & modium ſpicis plenum ex altera cum nota S. C. ad id facti expreſſit. Atilius deinde Præturam obtinuit an. $\frac{612}{3}$ quo frater Sextus conſulatum geſſit, & publicam quæſtionem ſortitus eſt, annoque ſequente Prætor fuit provincialis. Quidam exiſtimànt caput Genii, eſſe caput Apollinis, ad notandum in Prætura Atilium Serranum ludos Apollinares edidiſſe.



ATTEIA.

ATTEIA gens plebeia, Cneus enim Capito Tribunus plebis citatur apud *Appianum*, an. 698. 9 Lucius verò Atteius Capito refertur à *Cicerone lib.* 8. *ep. ad Cælium*, *ep.* 8. unde liquet Atteios ad tribum Anienſem pertinere. Illius cognomen fuit Capito; à vitio capitis, qui caput habet magnum.

CAESAR AVGVSTVS TR. POT. Caput Auguſti laureatum: C. ATTE. CAPITO. C. PONTIO. P. OREST. II. VIR. bos.

Goltzii in Faſtis Conſulum, nummos in eorum conſulatu cuſos non exprimere fuit, ſed eorum tantùm qui hanc dignitatem conſequuti erant, nomina colligere: unde ne credas hunc C. Attei Capitonis nummum in conſulatu ejus ſignatum; ſed quando ille Triumvir deducendæ coloniæ ab Auguſto lectus eſt. Hic verò plurimas in Italia extra Italiam colonias conſtituit, plebeias quidem quùm ille ſolus imperium tenuit, at Auguſti nomen, Tribunicia poteſtas, & bos, coloniam quam duxit Atteius Capito, plebeiam fuiſſe denotant; nec te moretur vox Duumviri, quùm tres in nummo ſcripti ſint; illi verò Duumviri coloniæ deducendæ appellati erant, etſi plures eſſent miſſi, & primi monetam in colonia cudi curabant, ut ipſi eam cudendi poteſtatem ipſi conceſſam docerent, ſed in ea nomen Coloniæ non inſcripta: porrò nummi forma eam in Hiſpaniam deductam denotat: adde quod Latii Coloniæ nummos, ut in noſtro *Coloniarum libro* diximus, non percutiebant.

C. Atteius Capito, ex *Tacito Annal.* 3. avo centurione Syllano, patre Prætorio, quem initio Tribunum plebis fuiſſe diximus, an. 698. 9 conſul ſuffectus fuerat, Kal. Jul. an. 758. 9 ei conſulatum acceleraverat Auguſtus ob principem in civitate locum, quem ſtudiis civilibus adſecutus erat, & id ut Labeonem Antiſtium iiſdem artibus præcellentem dignatione ejus magiſtratus anteiret. Idem *Tacitus Ann.* 1. coercendi Tiberis remedium Ateio Capitoni & L. Arruntio, cui poſteà ſuffectus eſt in conſulatu, mandatum narrat, & nummus Duumviratum coloniæ deducendæ ei tradit. Capito autem anno 8. Tiberii Imperii mortuus eſt.

AU-



AUFIDIA.

AUFIDIA gens Plebeia, quùm plurimi ex ea & *Oreſtum cognominibus* Tribuni Plebis fuerint: ex nummis illius cognomina Ruſticus & Oreſtes; an verò ex Aufidiana in Aprutio urbe oriunda nomen traxerit, non certum eſt.

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod XVI. ante RVS, id eſt Ruſticus: in averſo Jupiter in quadrigis, d. fulmen, ſ. haſtam & habenas equorum, M. AVF. in imo, ROMA.

Nemo dubitat ex epigraphe, quin Marcus Aufidius denarium cuderit, ſed notæ numerales XVI. quæ illum pro XVI. aſſibus permutari nos docent, quùm bello ſecundo Punico pecuniæ penuria ad eam monetæ auctionem egiſſet Remp. Romanam illo durante ſignatum eſſe demonſtrant, ea autem cœpit an. V.C. $^{535.}_{6}$ & pax cum Carthaginienſibus inita eſt, an. $^{552.}_{3}$ ſicque annos XVIII. duravit, ita ut paulò pòſt moneta ad pretium ſolitum videatur reducta; at M. Aufidium reperimus Quæſtorem an. $^{682.}_{3}$ & Tribunum plebis an. $^{685.}_{6}$ an ipſe eſt vel potiùs illius filius, qui Tutelæ Capitolii redemptor dicitur ſub Q. Fulvio, L. Manlio Acidino cos. an. $^{574.}_{5}$ ſic refert *Plinius*, *lib.* 35. *cap.* 3. Tunc denique compertum eſt à M. Aufidio, qui tutelam Capitolii eo luſtro redemerat, argenteos eſſe clypeos, qui pro æreis per aliquot ante luſtra fuerant habita & aſſignata. „ „ „

Jupiter quadrigas agens, in ejus rei memoriam ſignatus videtur, & denarius ſic tempore belli Punici ſecundi à patre M. Aufidio cuſus reperiretur. Cognomen Ruſtici ſatis cum Oreſte convenit: nam à voce Græca ὀρέστης, id eſt, *montanus* & agreſtis, quod idem ſonare videtur Ruſticus: porrò id Antiſtiis, Fabiis, Juniis, Oviniis inditum eſt.


II.

Capita Saliorum jugata, ante illa ancile ſeu clypeus: in averſa, CN. ORESTES. Navis cum remis.

Orestes cognomen erat Aureliorum stirpis, at quùm Cn. Aufidius Historicus & Prætorius jam senex & orbus adoptasset unum ex Aurelia gente & cognomine Orestem, dictus est ille Cn. Aufidius Orestes Aurelianus, prænomen Cnei gentis Aufidiæ cum nomine servans & cognomen Orestes ex Aurelia gente cum ejus nominis productione ex Aurelio Aurelianus dictus est.

Cn. Aufidius Orestes Aurelianus ad Tribunatum plebis an. 669./70 repulsam passus, illum tamen iniit 670./1 Ædilis plebis factus 672./3 Præturam urbanam obtinuit 676./7 ex *Valerio Maximo* Procos. Illyricum ex *Sallustio*, ubi gravissima bella gessit, & nummus per navem victoriam navalem in mari Illyrico & Dalmatico obtinuisse denotat, pauca *Sallustii lib.* 2. verba sunt hæc. „ Eam deditionem Senatus per nuntios Orestis cognitam, approbat.

Saliorum autem capita cum ancilio in anteriore denarii parte expressit, videntur ob felicem belli eventum : nam moris erat ei, qui belli alicujus curam habebat, ut antequam ad illud proficisceretur, sacrarium Martis apud Salios ejus sacerdotes adiret, & ibi ancilia primò commoveret, & post hastam simulacri ipsius dei, dicens. Mars vigila, ut narrat *Servius lib.* 8. *Æneid.* Non erat enim Salius sacerdos Cn. Aufidius, quia Aufidia & Aurelia gens erat plebeia, & Salii debebant esse ex Numæ constitutione, omnes Patricii.



AURELIA.

AURELIA gens plebeia, tamen nobilis & consularis è Sabinis oriunda, ac à Sole Aureliam putant dictam, quòd publicè ei à Populo Romano datus locus sit, in quo sacra Soli fierent; ex *Festo*. Hi priùs Auselii, ut Valesii, posteà commutatione litteræ S, M, R, appellati sunt Aurelii. Quatuor distincta est cognominibus Cottarum, Orestarum, Ruforum & Scaurorum. Cottas ab iracundia & torvitate dictos volunt, certè Græci κότον iram vocant. Hinc lusum est:

Irasci faciles Cottas, vultusque severos
Fama refert domui nomen & inde datum.

Orestes à Græca etiam voce ὀρέστης, quod agrestis esset, & quasi *montanus*. Rufus quod rufos haberet capillos, & Scaurus à vitio pedum dictus, seu qui talos pedum haberet tumentes ac porrectos, vel cui pedes inflexo talo tardè gradus est.

I.

Caput Jovis laureatum & barbatum : in aversa, C. COTTA trophæum galeatum cum thorace clypeo & hasta, coronatur à victoria, pone illud stante.

Goltzius ad Caium Aurelium Cottam refert hunc denarium qui Tribunus plebis fuit an. V. C. $\frac{493}{4}$ dum bellum arderet primum Punicum, Ædilis plebis an. $\frac{496}{7}$ Tribunus plebis iterùm $\frac{498}{9}$ & tandem Consul cum Servilio Gemino an. $\frac{501}{2}$ ambobus cùm esset decreta Sicilia, Aurelius ex ea in Liparam trajecit, eamque cepit, & de illo *Orosius lib.* 4. *cap.* 9. Cotta consul, inquit, in „ Siciliam transgressus, plurimis præliis adversus Pœnos & Sicu- „ los terra marique pugnavit, & per totam Siciliam partim ho- „ stium, partim etiam sociorum in humanas strages reliquit, „ de quibus triumphavit, ut docent *Columnæ Capitolinæ*.

C. AVRELIVS L. F. C. N. COTTA. COS. AN. DI.
DE POENEIS. ET. SICVLEIS. IDIBVS. APRIL.

Cui suffragatur denarius cum capite Jovis triumphalis, & victo-

ctoria coronam trophæo imponente, in quo alluditur ad cognomen Cottæ; nam trophæum insignitur galea, cui victoria coronam porrigit. C. Cotta iterùm consulatum cum eodem Servilio Gemino iterùm anno $\frac{505.}{6}$

Quidam hunc nummulum ab Aurelio Cotta cusum in Quæstura arbitrantur ad usum monetæ, cujus erat Victoriatus seu quinarius, & omnes Victoriatos ejusdem esse typi.

II.

C. AVR. COT. P. C. *Caius Aurelius Cotta Proconsul.* Caput Romæ galeatum, in aversa, EMPOR. Pegasus alatus, pedibus anterioribus erectis; pone illum astrum.

C. Aurelii Cottæ nomen cum titulo Proconsulis ad superiorem Cottam pertinere demonstrat: nam ipsi & Servilio iterùm Consulibus decreta est rursus Sicilia, Pœnosque Lylibæum & Drepanum infestantes prohibuerunt. Prorogata anno sequenti Cottæ provincia est: unde Proconsulis nomen in nummo; sed ubi cusus fuit EMPOR. id est Emporii, epigraphe docet.

Emporium urbs multiplex apud *Stephanum*, Celticæ, Macedoniæ, Siciliæ, & Campaniæ: sed in Sicilia sola quatuor numerantur à commerciis, quibus frequentabantur, denominatæ. Prima urbs Emporium Segestanum dicitur, alterum Selinontinorum, tertium Agrigentinum, quartum verò Leontinorum; ad tertium verò spectare nummum putamus, medio ferè inter Lilybæum & Pachynum promontoria spacio, quod maximo totius Africæ commercio & mercatorum conventu celeberrimum fuerit: ab Afris quidem conditum, ex Pegaso Africæ symbolo, ut jam dictum est. Plurimi observantur ejus urbis nummi in *Thesauro Regis Christianissimi*, cum eodem typo & nomine EMPOR. & diversis Romanis nominibus; unde colligere possumus Siciliæ rectores in hac urbe monetæ officinam habuisse, ut confirmat caput Romæ galeatum in iis signatum, hocque C Aurelii Cottæ Proconsulis jussu percussum, sextantarii quidem pondere, ut Romæ, ob bellum contra Pœnos erat constitutum.

III.

III.

VESTA. Caput Vestæ velatum : in aversa, C. AVREL M. F. COTTA AED. CVR. Sella curulis, supra quam simpulum & patera.

M. Aurelius Cotta, quo die togam virilem sumpsit, C. Carbonem, à quo M. Cotta pater damnatus fuerat, accusavit, & judicio afflixit, apud *Valerium Maximum lib.* 5. *cap.* 4. Ille filios tres reliquit, Caium, Marcum & Lucium; ad primogenitum Caium pertinet nummus, hic summus fuit sui temporis Orator limatus, & subtili inventor, de quo *Cicero in lib. de Oratore*, Tribunatum plebis gessit, & denarius ædilem curulem fuisse denotat: quippe sella curulis ad id denotandum in eo percussa est; sed caput Vestæ in anteriore parte & simpulum cum patera in parte postica, Vestalium templi restituendi & Vestalium diei curam sumpsisse, Cottam nos edocent: V. Idus Junii celebrantur Vestalia, & his diebus penus, id est, locus templi intimus aperiebatur, & virgines Vestales deæ Vestæ sacra faciebant: unde in denario simpulum & patera.

C. Cotta post Ædilitatem curulem consulatum gessit cum L. Octavio anno 678/9.

IV.

Caput Romæ galeatum, COTTA. in aversa Hercules, d. spolium leonis, in curru à duobus Centauris tracto, d. spiculum, s. palmæ ramum tenentibus, M. AVRELI.

V.

Caput idem Romæ sine voce COTTA : in aversa idem videtur typus & epigraphe.

Hi denarii vario modo cusi ad M. Cottam, M. Cottæ filium, & Caii superioris fratrem natu minorem, spectant; is antequam Tribunus plebis fuisset, Duumvir reficiendis ædibus sacris, de quo in Alphinia gente diximus, creatus videtur. *Livius lib.* 25. ita scribit. Comitia deinde à Prætore urbano & Senatu sententia plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueviri, muris turribusque reficiendis, & Triumviri bini, uni sacris conquirendis, donisque præsignandis, alteri reficiendis urbibus. Ita-

que Herculis Victoris in foro Boario reſtauraſſe, ex denario augu-ramur: nam Deus in curru à centauris vehitur, ob illius in Cen-tauros victoriam. Illius templi iconem & Herculis contra Cen-tauros victoriam vide in noſtris *Numiſmatum maximi moduli Abb. de Camps interpretationibus, pag* 25. ut & *Diod. Siculum*, de hoc Heroe differentem, *lib* 4. *pag*. 154.

M. Aurelius Cotta Tribunatum plebis geſſit an. 668/9 Præturam urbanam Quæſtiones publicas ſortitus an. 675/6 & tandem conſu-latum cum Licinio Lucullo uno anno ſeriùs quàm frater nem-pe 679/80

VI.

Caput Romæ ſub Martiæ ac bellatricis imagine ſine alis, in imo, ROMA: in averſa, Eques galeatus ſingularis decurrens, d. haſta ſubmiſſa, L. AVRELI. COTTA.

Non ad L. Aurelium Cottam ſuperiorum fratrem & gentem Cottarum conſularem, ſed ad L. Aurelium Cottam Tribunum plebis, an. 594/5 qui patrem habuit Tribunum militum legionis III. ſub L. Paulo conſule, an. 578/9 dum obſideretur in caſtris à Liguribus: unde illius inſigne aliquod in hoc conflictu factum renovare voluit, de quo *Livius Dec*. 4. *lib*. 10. inquit, „ equitibus dato „ ſigno, ut conſcenderent equos, nec effugere quemquam ſi- „ nerent... ſupra quindecim millia Ligurum eo die occiſa, ca- „ pta duo millia & quingenti. *Amicus* hunc equitem ludos Cir-cenſes deſignare, quorum quinta ſpecies; erat decurſio equeſtris *Alter* ad Conſuales Neptuno equeſtri dicatos ſpectare, cujus dei ef-figiem ſic equeſtrem in ludorum memoriam æquatam contendit; ludorum enim curam habebant Ædiles curules, cujus magiſtra-tum Aurelius Cotta, quando Ædilis curulis geſſit, an. 602/3 cum Cæcilio Metello & aliis: nam Ædiles curules magnos ludos cu-rabant. Conſulatum etiam obtinuit cum Sulpicio Galba, an. 609/10

VII.

Caput Vulcani in laurea, cum pileo corona ex lauro inſigni, pone caput forceps & deſuper aſtrum: in averſa, Aquila inſiſtens fulmini, L COT. in laurea.

Ab eodem L. Aurelio Cotta denarium fuiſſe ſignatum deno-

tat

tat ejus Ædilitatis curulis magiſtratus, in quo videtur reſtaurandi Vulcani templi curam habuiſſe: nam Ædilis dictus eſt apud *Varronem lib. 4. de lingua Latina*, qui ædes ſacras & privatas curaret; & Ædilium curulium erat officium, ut templa & alia ædificia publica magnificis opibus reficerentur: quare L. Cotta Vulcanum in denario ad ejus templi reſtaurationis memoriam ſignavit. Vel forſan quod eſſet Triumvir monetalis, ut ex ſequente nummo ſuſpicamur. Cur pileo inſignitur, *Euſebius in præp. Evang.* ignis virtutem Vulcanum appellatam dicit, & in forma hominis ei ſimulacrum conſtitutum, in cujus capite pileus eſſet cæruleus, cæleſtis ſymbolum volutionis: ideò aſtrum pone illum additur, ad indicandum ignem è cælis delapſum. Forceps, quia faber credebatur; quare in averſa parte fulmen, quod Jovi ille cuderet; & ideò aquila, quùm illa huic deo id ſubminiſtraret. Laurea videtur appoſita, quod fulmen non timeat.

VIII.

Caput Vulcani, ut ſuprà, cum pileo laurea ornato, pone quod aſtrum: in averſa caput muliebre laureatum, pone quod forceps, L. COT.

L. Cotta qui ſuperiorem denarium & æreum hunc nummum percuſſit, eumdem Vulcanum pileo cæruleo ornatum expreſſit; ſed quæ illa mulier in averſa parte? ſi vera eſt conjectura noſtra, Juno vocabitur, Vulcani mater, quem ſola genuiſſe canit *Heſiodus, hoc carmine,*

> *Juno Vulcanum nulli commixta in amore*
> *Edidit*

conjecturam auget forceps pone caput, quia Juno Moneta eſt appellata, & forcipibus, ad cudendos nummos, ut ad feriendum æs & ferrum, opus ſit: ideò Triumvirum monetalem fuiſſe Cottam auguramur. Monetæ Junonis templum, Kal. Jun. dedicatum eſt, ex *Ovidio & Macrobio*; & x. Kal. Sept. Volcanalia, id eſt feriæ Vulcani, celebrabantur, & eo die populus pro ſe animalia in ignem mittebat.

IX.

Caput Romæ galeatum, in averſa parte, L. ORESTES. Ca-

 ſtor

ſtor & Pollux, aſtris inſigniti, decurrentes cum equis.

X.

Caput idem Romæ: ex averſa, L. ORESTES, in imo, ROMA. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. habenas equorum.

Similis denariorum forma & eadem epigraphe, in utroque L. ORESTES ab Aurelio Oreſte, qui fuit Tribunus plebis, an. $\frac{587.}{8}$ Ædilis Plebis, $\frac{590.}{1}$ Prætor provincialis, $\frac{593.}{4}$ & tandem conſul cum Sex. Julio Cæſare, anno $\frac{596.}{7}$ at quum de rebus illius bello geſtis nihil in *Hiſtoriæ Scriptoribus* reperitur, fortaſſe in ejus nummis nihil præterquam ſolita in denariis ſymbola ut bigæ & Dioſcuri, ſignantur; de quibus ſæpè dictum eſt.

XI.

Caput Junonis Soſpitæ ſeu Deæ Magnæ, pelle caprotina velatæ: in averſa, L. AVR. L. F. ORESTES. Aper.

Hic denarius à L. Aurelio Oreſte, Lucii Aurelii ſuperioris Conſulis filio videtur cuſus, ex denarii forma, & Lucii filii epigraphe. Is ad conſulatum etiam pervenit cum M. Æmilio Lepido, an. $\frac{617.}{8}$ *Goltzius* Junonem Matrem Magnam cum Apro ad ludos Sæculares ſub his conſulibus, ex *Cenſorino*, celebratos; ſed ipſi in honorem Dianæ edebantur: an non potiùs Megalenſes reſpiciunt in honorem Junonis Matris Magnæ factos, in cujus memoriam ejus effigies in denario ab Aurelio Oreſte expreſſa eſt: nam ejus originem, à Lanuvio ubi etiam colebatur, ſi quidem Aurelia gens à Sabinis erat, ut dictum eſt, non denotat.

At cur Aper in averſa parte? eum ipſi dicatum auguramur, ab altero nummo Thoriæ gentis; in quo ab anteriore parte viſitur ipſa Juno capræ exuviis amicta, NIKOMHδέων, & in poſtica idem aper, cum inſcriptione ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΘΩΡΙΟΥ; qui alludit ad Hiſtoriam ipſius deæ; nam Nicomedia erat regia Attali regis, qui permiſit Romanis, ut Peſſinunte, ubi erat templum Megaleſion ejus deæ, ex quo extracta ejus imago & Romam advecta: unde Megaleſia ludos Matris Magnæ appellarunt, ex *Livio & Feſto*. Forſan in eius luco Romæ nutriebantur apri, ipſi dicati. De quo *Ovidius in Faſtis*.

Monte

Monte sub Exquilio multis incæduus annis
Junonis Magnæ nomine lucus erat.

XII.

Caput galeatum Romæ, pone quod, ROMA M. AVRELI. In aversa, SCAVR. in imo, L. LIC. CN. DOM. Vir in bigis, d. spiculum jacturus, s. baculum, ex cujus apice caput asininum, cum clypeo in brachio.

Tria exhibet Romanorum nomina hic denarius, sed præcipuum est M. Aurelii Scauri, qui eum cudit: porrò non solus est qui hæc L. Licinii & Cn. Domitii nomina in suis denariis scribunt; in quatuor Gentibus ea *Ursinus* recenset: „ hæc sunt illius verba: Cn. autem Domitii & L. Licinii Censorum nomina „ non in hoc tantùm denario signata sunt: sed in aliis qua- „ tuor item argenteis, in quorum uno præter Censorum no- „ mina in altera parte, M. AVRELIVS SCAVRVS, in altero, C. „ MALLEOLVS M. F. in tertio, L. POMPONIVS CN. F. in quar- „ to autem, L. PORCIVS LICINVS notatus est. Addere potuisset „ quintum in eadem Domitiæ gentis tabella, ab eo descriptum, C. COSCONIVS M. F.

Sed qui fuerint illi magistratus qui denarios cuderunt, & qui sint alii? nempe Cn. Domitius & L. Licinius; Censores nominat *Ursinus*, sed cur idem typum superiores signarint, investigandum. Omnes illi magistratus videntur esse Triumviri monetales, qui idem factum percutiunt sub L. Licinii & Cn. Domitii censura, an. $^{661.}_{2}$ quo incœpit, gestum, nempe monimentum victoriæ contra Hispanos, à C. Valerio Flacco relatæ. Mars nudus, ut pingitur, in bigis, d. hastam vibraturus, & s. clypeum, sua symbola, contum præfert; cui præfixum est caput asini, quo utebantur Hispani, ut observari in plurimis denariis ad res Hispaniæ spectantes; at amicus instat, tres erant tantùm Triumviri, & quinque recenses. Censura autem, quùm non esset annua, tres monetales Triumviri, in fine anni magistratus quùm advenit de victoria nuntius, denarios suos percutere potuerunt, & alii eumdem typum, ut P. Romano gloriosum initio anni repetere, ille verò, qui hunc cudit, M. Aurelius Scaurus, videtur fuisse filius M. Aurelii Scauri consulis, anno $^{645.}_{6}$

XIII.

Caput Romæ galeatum : in averſa Jupiter in quadrigis currentibus, d. fulmen, ſ. ſceptrum, AV. RVF. in imo, ROMA.

Patinus hunc denarium Aureliæ genti tribuit, in qua neminem cum hoc cognomine reperimus; quare ex ea in gentem Anniam illum eſſe rejiciendum arbitror, in denarioque legendum, AN. RVFVS: ſed nullum alium quàm Annium Rufum, Judææ Procuratorem ab Auguſto miſſum, ad cujus majores nummus ſpectare potuit, quùm ex illius forma antiquus eſſe videatur.

AU-



AUTRONIA.

AUTRONIA gens conſularis cognomine Pæti, qui dicebatur is, qui obliquatis oculis in altum reſpicit, vel qui alterum oculum minorem habet.

I.

Caput Romæ galeatum : in averſa, AVTR. in imo, ROMA. Caſtor & Pollux, aſtris inſigniti decurrentes cum aſtris. *Ex Theſ. Regis Chriſtianiſſimi.*

Ampla non videtur fuiſſe tunc temporis Autronia gens, quùm nec prænomen ad diſtinctionem nominis, nec cognomen ad diviſionem ſtirpis in denario adſcribantur. Is qui illum cudit ex forma, & ex typo, nempe hoc tempore ſolito, videtur fuiſſe L. Autronius, pater P. Autronii, qui conſuldeſignatus cum P. Sulla, ambitu damnatus non iniit: quos magiſtratus ille geſſerit, altum eſt apud *Hiſtoriæ Scriptores* ſilentium.

II.

PAETVS. Caput Jovis laureatum & barbatum : in averſa parte, P. AVTRON. L F. Colonus velatus, d. ſtivam aratri quod trahunt boves, ſ. flagrum.

Publius ille Autronius dicitur Lucii filius, & Pæti cognomen gerit; in quæſtura *Ciceronis* collega fuit an. $^{678.}_{9}$ audax, petulans, libidinoſus, ut ait in *Oratione pro Sulla ex Curione Oratore*, ubi de moribus multa, ut Lilybetanæ provinciæ Quæſtor tunc fuit *Cicero*, ſic Autronius Syracuſanam obtinuit, & ut Syracuſas coloniam eſſe Romanorum, uti tradunt *Plinius & Ptolemæus*, ſymbolum deductæ coloniæ, nempe aratorem qui coloniæ novæ pomerium indicare videtur, in tanta *Hiſtoriæ Romanæ* caligine id pro certo deſignantem expreſſit : caput autem Jovis Capitolini, ut præcipuum Romani Imperii numen, ſignavit : Publius verò Autronius cum P. Sulla, anno $^{687.}_{8}$ deſignati conſules, ambitus lege Calpurnia accuſati, damnati à L. Cotta

&

& L. Torquato non inierunt, ſed hi ad ſe magiſtratum tranſtulerunt. Autronius poſteà in ſuſpicionem conjurationis Catilinæ venit, cum P. Sulla & Julio Cæſare, de quo in *Suetonio*. „ Si „ quidem ante paucos dies quam Ædilitatem iniret, venit in „ ſuſpicionem conſpiraſſe cum M. Craſſo, conſulari, item P. „ Sulla, & P. Autronio poſt deſignationem Conſulatus ambitus condemnatis.

III.

Caput Jovis Capitolini laureatum & barbatum, ante quod fulmen: in averſa, L. AVTRON. P. F. PAETVS M. CRASSVS M. F. EX. S. C. Sella curulis, ſupra quam duæ coronæ, vaſe anſato inter medio.

Patri ſuccedit filius; hic Lucius Publii filius dicitur, hocque prænomen habet à patre. Pauca de illo nobis protulerunt *Hiſtoriæ fragmenta*, ſi quidem ejus denarii ſuperſtites Ædilem curulem fuiſſe cum M. Licinio Craſſo Marci filio, & M. nepotis apud Parthos occiſi nos edoceant; de quo in Licinia gente. Sella quidem curulis pro ambobus exprimitur, ſed duæ coronæ ex lauro compoſitæ demonſtrant eas fuiſſe Jovi Capitolino, cujus effigies in anteriore parte expreſſa eſt, ab unoquoque Duumvirorum curulium oblatas, in ludis Capitolinis hoc anno ab iis celebratis, poſt ſacra Jovi facta; ut indicat vas anſatum inter illas coronas poſitum. Hos verò ludos Romulus Jovi Feretrio inſtituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos & Capitolinos, ut tradit *Piſo*.

IV.

Caput Romæ galeatum, PAETVS PR. COS. in averſa parte vir togatus in quadrigis triumphalibus, d. habenas equorum, ſ. ſcipionem eburneum, L. AVTRONIVS.

Ad eumdem L. Autronium pertinet denarius.

Tabulæ Capuanæ exemplar, in quo omnes ejus anni conſules deſcribuntur, P. Autronium Kal. Januar. anno 722/3 Cæſari Divi filio iter. ſuffectum prodit, ſed L. pro P. reſtituendum. Hic Africam provinciam rexit; & ex ea triumphaſſe nos edocet *Fragmentum hoc Capitolinum*.

L. AV-

L. AVTRONIVS P. F. L. N. PAETVS PRO A. DCCXXIV. DCCXXV. *Varr.*
COS. EX AFRICA. XVII. K. SEPTEMBR.

T. Statilio Tauro poſt conſulatum, an. $^{716}_{7}$ ſucceſſerat, qui Africam adminiſtravit triennio, & ipſe Africæ præfectus eſt, altero quadriennio (de quo tamen altum eſt apud *Scriptores* ſilentium) miſſus à Cæſare, ut provinciam Lepidi occuparet, quam illum ſine pugna facilè obtinuiſſe, refert *Dio*.



AXSIA.

AXSIA gens, plebeia fuit, ut eruitur ex inſcriptionis fragmento, in quo Axſius Naſo Trib. plebis nominatur: cognomen autem *Naſo*, quod magnum naſum haberet, hujus nominis primus.

I.

NASO, caput Mercurii cum pileo, ad cujus latus lauri ramus hinc & inde affixus: in averſa parte Diana Venatrix, d. haſtam; vehitur in curru à duobus cervis tracto, ante eam canis, duo alii ſubſequuntur, L. AXSIVS L. F.

Vox AXSIVS, antiqua ſcribendi ratione pro AXIVS, poſita eſt ut MAXSVMVS pro MAXIMVS; nam in libris editis legitur tantùm AXIVS, qui citatur à *Suetonio*, *cap.* 5. „ de hac, inquit, „ ſignificare videtur & *Cicero*, in *quadam ad Axium epiſtola*, pro „ quo vulgati codices ad *Atticum* legunt; ſed libri omnes Mſ. habent Axium, quam vocem *Turnebus* & *Læv. Torrentius* retinent, ſi quidem ipſe *Cicero ep.* 9. *ad Atticum*, Axium nominat, & *Gellius lib.* 7. *cap.* 3. narrat, Tironem Ciceronis libertum epiſtolam conſcripſiſſe ad Q. Axium familiarem patroni ſui, ſed Q. pro L. eum appellat, & hic tantùm vocatur Naſo ab *Appiano*, qui inter proſcriptos eum refert, *lib.* 4. *bel. civ.* „ Naſo, inquit, à li„ berto, quem in deliciis habuerat, proditus, cuidam militi extorſit „ gladium, & ſolo proditore occiſo, percuſſori jugulum præbuit.

Urſinus Axium, de quo loquitur *Cicero in epiſtola ad Atticum*, ſuſpicatur fœneratorem; ideò, ſi noſter eſt, Mercurium videtur coluiſſe, quare illum exhibuit cum duobus laureis termitibus, uti pingebatur, quando IV. Id. Maii die ejus feſto, quod eo die ejus dedicata eſſet ex *Livio* an. C. U. 259. ad portam Capenam mercatores eum aſpergebant ex aqua cum lauri ramo, unde *Ovidius*:

Eſt aqua Mercurii, portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & urna
Purus ſuffuſa, quam ferat, haurit aquam.

Uda

Uda sit, huic laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos sunt habiura novos.

Axius autem Ædilis curulis fuisse videtur, & sacra Dianæ curasse; in cujus memoriam illam expressit in denario. Hac die Venatores, nam venationibus Diana præest, canes suos morbo aut scabie affectos ante eam collocabant, ut refert *Gratius de Venatione*; imò hac die Diana emeritos canes, quietos & immunes habere credebatur ex *Statio* 3. *Sylvarum*. At quùm sacra Dianæ etiam IV. Id. August. celebrabantur, ut IV. Id. Maii, sacra Mercurii, ut testatur *Martialis epigr.* 68. *lib.* 12.

Maiæ Mercurium creastis Idus,
Augustis redit Idibus Diana.

Et *Ausonius, Eidyllio de feriis Romanis:*

Et medias Idus, Maii, Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius, quasque Diana, dicat.

Hinc L. Axsius in eodem denario, hinc Mercurium cum lauri ramis, inde Dianam cum canibus expressisse videtur. Cervos in Dianæ tutela fuisse nemo nescit.

II.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in aversa, NASO. Mars nudus & galeatus st. d. ramum olivæ, s. hastam, retrò eum clypeus.

Plurimi monetarii Romani solum cognomen in nummis, ut & *Historici* in libris apposuerunt, quia ipsi suis temporibus ab aliis ut magistratus agnoscebantur; ita Axsius in hoc nummo Naso tantùm nominatur, ut illum appellat *Appianus, lib* 4.*civ.bell.* In æreis etiam pauca ad historiam spectantia Rep. stante exhibere solebant, tamquam in moneta minimi pretii dei alicujus caput signare contenti: ecce caput Jovis Capitolini, ut præcipuum Romani Imperii numen, in altera parte exhibetur Mars, non Gradivus & in armis, sed mitis & Pacifer, ad denotandam Rempublicam nullo gravi bello detineri.

III.

Caput Jani bifrontis imberbis, ex altera parte, NASO. Hercules dextra innixus clavæ, ſ. cornucopiæ.

De Jano in ſequente nummo, nunc dicamus de Hercule. Romulus quidem, poſtquam diviſit populos in Senatores, Equites & Plebem, de Religione inſtituenda cogitavit, ille ab Albanis ſuis eoſdem ferè quos habebant deos, Jovem, Junonem, Janum, Saturnum, Martem, Palladem, Mercurium, à vicinis autem Arcadibus, qui Palantium condiderant, Herculis in foro Boario, ſacra recepit: hinc à Romanis ſæpè cultus, & ut loquitur *Salluſtius in Jugurtha*, verus Dux atque Imperator vitæ mortalium eſt. Hic Pacifer ut Mars depingitur, & pace rerum omnium abundantiam in Imperio futuram denotat.

IV.

Caput Jani bifrontis barbati; in poſtica parte, NASO, in laurea.

Janus ut in ſuperiore nummo diximus, deus erat apud Albanos cultus, & quidem bifrons, ut refert *Virgil.* 12. *Æneid.*


Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem.

At jam diximus inventorem fuiſſe monetæ, ideò Numam in priſcis nummis ejus effigiem adhibuiſſe; quod ſequuti ſunt alii uſque ad hunc diem quo Axſius eum etiam exhibet: ſed cur modò barbatus, modò imberbis depingitur? Qui barbatum illum depingunt, antiquum ſequuntur modum, quùm barba nutriebatur, unde *Ovid.*

Sic apud intonſos nomen habebat avos.

Qui verò imberbem exprimunt, ut tempore Axſii, Romani erant ſine barba. Vox NASO in corona eſt, quod Janum coronarum quoque inventorem Veteres exiſtimarunt, id quod Dracon Corcyræus apud *Athenæum* pluribus docet. Ex lauro, eſt quod P. Romanus omnium gentium victor haberetur.

BÆ-



B Æ B I A.

BÆBIA gens, fuit plebeia, cujus nomen ab ululatu ovium bæ, bæ, derivatum videtur, cognomen verò Tampilus pro Tamphylus, ut TRIVMPVS pro TRIVMPHVS & alia, à verbo Græco Ἀμφιλάδιος, utraque manu lævus.

I.

Caput Jani bifrontis in vertice l. ex āversâ parte, Q. B. in Corona ex lauro.

A. Q. Bæbio Tampylo percussum opinamur nummum, quando Quæstor fuit provincialis, anno $^{520.}_{1}$ etiamsi solis initialibus litteris Q. B. sit scriptus; forma ejus ex pondere imminuta ex primo bello Punico incœpto, an. $^{585.}_{6}$ demonstrat. Filius Cn. Bæbii Ædilis plebis, $^{501.}_{2}$ Pater duorum consularium Cn. & M. Tampilorum Præturam gessit, an. $^{531.}_{2}$ legatus cum P. Valerio Flacco consulari pro Saguntinis ad Annibalem, & deinde cum aliis Carthaginem ad bellum indicendum est missus, ut *Livius, lib.* 21. narrat.

Janus bifrons sólito modo pingitur, & quùm fuerit coronarum inventor, ut apud *Athenæum* diximus, ea in denario signatur, & quidem ex lauro, ad indicandum Romanos semper esse victores; si quidem laurus victoris præmium est.

II.

Capita Deorum Penatium jugata & lauro redimita, TAMPILVS, in aversâ, vir paludatus stans, d. innixus hastæ, laurea à dextris palmæ ramo alligata, à sinistris victoria coronans paludatum, CN. BAEBI. Q. F.

Q. Bæbii filius natu major, appellatus est Cnæus; à quæstura inita an. $^{544.}_{5}$ ad Tribunatum plebis accessit 549. Ædilisque plebis factus est an. $^{553.}_{4}$ cum L. Torrentio Massa, qui ludos plebeios ter totos instaurarunt; ut habet *Livius in fine lib.* 31. Præturam deinde gessit, an. $^{554.}_{5}$ Galliamque Cisalpinam sortitus, Ariminum venit, & cum quinque militibus sociorum, & exercitus Aur. Cottæ, ante Lentuli consulis adventum, triumphi ambitiosus

ſus Inſubrium fines temerè ingreſſus, prope cum toto exercitu eſt circumventus, ſupraque ſex millia & ſexcentos milites amiſit, & à Conſule ſuperveniente Romam turpiter abire juſſus eſt.

Ob rem ſic malè geſtam conſulatus repulſam paſſus eſt, & Triumvir agris dandis tantùm miſſus, tandem poſt alteram conſulatus repulſam, illum obtinuit, an. $^{571}_{2}$ cum L. Æmilio Paullo, qui in prælio Cannenſi occiſus eſt. Illis nulla, præter Ligures, provincia quæ decerneretur, erat: Conſules ambo in Ligures, quæ tum una conſularis provincia erat, proficiſcuntur, & quia proſperè ibi res geſſerunt, ſupplicationem in unum diem decretam eſſe refert *Livius*. Sed Bæbio ſtatuam eſſe erectam nos denarius docet, in cujus memoriam in eo expreſſa eſt. Laurea & palma, Victoris ſymbola, ei adjecta ſunt. Dii Penates, ad indicandam forſan ex Lanuvio oppido Bæbiorum originem.

III.

Caput Romæ galeatum, TAMPIL. Apollo nudus cum ſtrophio, in quadrigis currentibus, d. ramum, ſ. arcum & habenas equorum, M. BAEBI. Q. F. ROMA.

Quinti etiam Bæbii Prætoris an. $^{531}_{2}$ filium fuiſſe M. Bæbium, denarius refert, is Quæſturam ſuſcepit, an. $^{554}_{5}$ Tribunatum plebis, $^{559}_{60}$ Præturam peregrinam $^{561}_{2}$ ſortitus obtinuit Hiſpaniam citeriorem, cui S. C. & plebiſcito permutata fuit provincia, & Brutii illi decreti ſunt, an. $^{562}_{3}$ prorogata provincia Græciam obtinuit, & Philippo regi junctus eſt. Conſulatum denique iniit cum Cornelio Cethego, an. $^{572}_{3}$ decreti in Ligures conſulibus exercitus; prorogatum eſt iis imperium, $^{573}_{4}$ & Apuanos Ligures ex proviſo adorti, ad deditionem plurimos compulerunt, & eorum in Samnitum agrum tranſmigrationem à Senatu obtinuerunt, tranſacta re quùm veterem exercitum Romam deduxiſſent, triumphus ab Senatu eſt decretus.

M. BÆBIVS. Q. F. CN. N. TAMPILVS AN. DLXXIII.
PROCOS. DE LIGVRIBVS.

Hi, inquit *Livius*, omnium primi nullo bello geſto triumpharunt tantùm hoſtes deducti ante currum: quia nec quid ferretur, neque quid duceretur captum, neque quid militibus daretur,

retur, quicquam in triumphis eorum fuit; hæc *Livius*. Ideò forſan in Bæbii denariis non conſul in quadrigis, ſed Apollo expreſſus eſt; quod hoc anno propter peſtilentiam, quæ jam annum tertium urbem Romam atque Italiam vaſtabat, Apollini, inquit idem *Livius*, Æſculapio, & ſaluti dona vovere & dare ſigna inaurata conſul vovit. Decemviri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in Urbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt, qua in minuta Apollo videtur ipſe triumphare.

IV.

Caput Jani bifrontis: ex averſa tria navium roſtra, M. BAEBI. in vertice, ROMA.

Hic æreus nummus, ob Marci Bæbii epigraphen, ſuperiori tribui ſolet; hoc autem habet particulare, quod alii nummi cum Jano ſignati navem tantùm exhibeant, hic verò tria roſtra: ob id in ejus propræturа ſignatus videtur, quum claſſe in Græciam tranſiit Bæbius; nam in æreis nummis pauca ad hiſtoriam exprimuntur.

V.

L. BAEBIVS POLLIO II VIR. QVIN. Victoria, d. coronam, ſ. palmam: in averſa, C. AQVINVS MELA. II VIR. QVIN. duo ſigna militaria.

Quis fuerit ille Bæbius Pollio, altum eſt apud *Hiſtoriæ Scriptores* ſilentium, ut de Aquino Mela. Ex hoc igitur nummo nihil aliud erui poteſt, niſi quod illum in colonia quadam Romana, in quam deducti ſunt Veterani duarum legionum, ut indicant ſigna militaria, percuſſum fuiſſe noſcamus, & quidem ſub cenſura L. Bæbii Pollionis & C. Aquini Melæ, ut docet ex utraque parte Duumvir Quinquennalis inſcriptio: nam Cenſores in Coloniis, Duumviri Quinquennales appellabantur, quod omni quinquennio eligerentur. Victoria ad alicujus Imperatoris victoriam ſpectat, aut Veteranos hujus coloniæ poſt inſignem aliquam victoriam in coloniam fuiſſe deductos arguit.

BE-



BETILIENA.

P. BETILIENVS BASSVS. In area, S. C. in aversa, III VIR. A. A. A. F. F. Aliis incus, aliis typus ipse.

BETILIENA gens videtur fuisse nota, si quidem Romæ Triumvir sub Augusto P. Betilienus nominetur, nulla tamen illius in *Scriptoribus* mentio: sed si mihi conjicere liceat, ex cognomine Bellieni à primitivo velut per diminutionem deflexum est. Betilienus relicto Anniæ gentis nomine, in gentem Betilienam transiit; ut plurimis contigit. Nempe Perperna & Norbanus, qui etiam cognomina posteà sibi adscripserunt, ut Vibii: qui Passieni cognominabantur, posteà Passienus transiit in nomen gentilitium, & dictus L. Passienus Rufus. cos. anno 749. nonne etiam Salvidienus appellatus est L. Salvidienus Rufus, qui consul designatus, an. 723. occisus est.



CÆCILIA.

CÆCILIA gens ſeu nobilis ſeu plebeia, cujus à Cæculo Vulcani filio, Præneſtinæ urbis fundatore, cui nomen id à parvitate oculorum inditum fuit, nomen deductum volunt; vel ut quibuſdam placet, à Cæcade Trojano Æneæ comite; at aliis à cæcutientibus oculis: in plurima cognomina diviſa eſt, princepſque fuit Metellus, qua voce in re militari quaſi mercenarii dicti ſunt: unde eſt illud *Accii*:

CALONES FAMVLI, METELLIQVE CACVLÆQVE.

I.

Caput Veſtæ velatum, METELLVS: in averſa conſul in quadrigis triumphalibus, d. habenas equorum, ſ. ſcipionem eburneum, coronatur à victoria, L. CAECIL. L. F. L. N. PR. COS. in vertice, EX. S. C.

Lucius Cæcilius Metellus fuit filius Lucii Metelli conſulis, an. U. C. 469/70. ſecundus Cæciliæ gentis princeps meritò habetur, per omnes minores magiſtratus ad maximos aſcendit; nam fuit Quæſtor prov. an. 489/90. Tribunus plebis 496/7 Ædilis plebis 496/7. Tribunus plebis iter. 500/1. conſul cum C. Furio Pacilo 502/3. Siciliam ambo contra Pœnos profecti, an. 503/4. prorogato imperio in Sicilia Metello, dum obſidere vult Lilybæum Aſdrubal, ingentem de illo victoriam retulit, magna clade Pœnorum facta, nempe ad viginti tria hominum millibus cæſis & elephantis ſex, cum centum & quatuor vivis captis, de quo Metellus triumphavit.

L. CAECILIVS L. F. CN. METELLVS PROCOS. A. DIII. DIIII. *Varr.*
DE POENIS. VII. IDVS SEPTEMB.

Denarius hunc triumphum confirmat: nam conſul in quadrigis, quas vocamus triumphales, quando equi lento gradu & non citò incedunt, vectus eſt, ſcipionem eburneum, in cujus apice aquila eſt, conſulis ſymbolum gerit: coronatur à Victoria, ob inſignem illam, quam de Pœnis retulit. Si quis, ob caput Veſtæ,

denarium in ejus dictatura cusum, quùm jam esset Pontifex Maximus, libens assentior; cui astipulari videtur nota S. C. ut memoria triumphi tam celebris iterùm renovaretur.

II.

Caput Romæ galeatum, pone quod, ROMA: in aversa Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. fulmen, f. sceptrum, L. METEL. L. F. C. N.

Ad L. Cæcilium Metellum etiam spectat hic denarius, etiam si tantùm per Metelli cognomen exprimatur; ut solebant Romani modò nomen modò cognomen scribentes, sed id confirmat epigraphe, L. F. C. N. quæ nulli Metello quàm huic congruit. Jupiter pro consule in quadrigis perhibetur, quod ejus auxilio Metellus victoriam retulisse agnoscat, ad cujus etiam templum in Capitolio triumphus solemni sacrificio peragebatur.

L. Metellus agris dandis XV factus est magister equitum sub Dictatore Atilio Calatino an. $^{504}_{5}$.

L. CAECILIVS L. F. C. N. METELLVS MAG. EQ.
REI GERVNDAE CAVSSA.

Iterùm consul creatus cum Fabio Buteone, an. $^{506}_{7}$ & exercitum in Sicilia ad Lilybæum contra Amilcarem Barcam Pœnorum ducem tenuit. Pontifex Maximus an. $^{510}_{1}$ creatus est an. $^{512}_{3}$ quùm templum Vestæ flagraret, ut Pontifex Maximus, inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit, cæcus à fumo factus est: ob quam cæcitatem illi Dictaturæ honos Metello datus est an. 529.

L. CAECILIVS L. F. C. F. N. METELLVS DICT.
N. FABIVS M. F. M. N. BVTEO. MAG. EQ.
COMIT. HABENDOR. CAVSSA.

Quum sacris civilibus ut Senator & ut Pontifex Maximus operam suam impenderet, illi concessum est, ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam; ut jam Appio Cæco, his etiam muneribus fungenti, concessum fuerat: tandem Metellus annis fractus, quùm centesimum ageret, mortuus est.

III.

III.

Caput Herculis, pone quod tres globuli in averſa navis cum tribus etiam globulis, ROMA.

Nummus iſte æreus ex nota trium globulorum dicitur quadrans, quod tertiam partem Aſſis, nempe quatuor uncias quando pro librali habebatur; ſed jam diximus imminutum fuiſſe, primo bello Punico ab anno U. C. $^{489.}_{50}$ cœpto ad ſextantarium: itaque hîc quarta pars eſt ſextantarii pro triente tamen antiquo more notati, & ex pondere ad L. Cæcilium Metellum ſpectat. Caput Herculis ob ejus cultum Romæ admiſſum, ut caput Jani bifrontis in moneta ſignabatur cum navi quæ exinde ſolita fuit eorum pars averſa.

IV.

Caput Romæ galeatum, pone quod, ROMA, in averſa parte victoria in bigis, M. SALINATOR, in vertice, Q. METELLVS, in imo, CN. FOVL. in area.

Ad ſuadendum ut Q. Metelli Pontificis Max. filii mentionem faciat hic denarius, M. Salinatoris nomen in vertice ſcriptum impellit, ille ex *Goltzii* mente ad Dictaturam M. *Livii* Salinatoris, & magiſterii equitis Q. Metelli ſpectat annis, U. C. $^{546.}_{7}$

M. LIVIVS M. F. M. N. SALINATOR. DICT.
Q. CAECILIVS L. F. L. N. METELLVS. MAG. EQ.
COMIT. HABENDORVM CAVSSA.

Q. Cæcilius Metellus Quæſturam provincialem aſſequutus eſt, an. $^{536.}_{7}$ Tribunatum plebis geſſit $^{541.}_{2}$ Ædilis fuit plebis, an. $_{545}^{4.}$ cum Servilio Pulice, & ambo ludos plebeios inſtaurarunt. Ædilis curulis cum eodem Ludos Romanos per biduum inſtauravit, magiſter Equitum à M. Livio Salinatore factus, anno $^{546.}_{7}$ conſulatum geſſit cum L. Veturio Philo, anno $^{547.}_{8}$ Ambobus Brutis contra Annibalem provincia decreta eſt, prorogatum eſt ſorte ei imperium, an. $^{548.}_{9}$ & in fine anni comitiorum habendorum cauſa Dictator creatus eſt, S. C. à Licinio Craſſo, ob peſtem in exercitu graſſantem.

Q. CAECILIVS L F. L. N. METELLVS DICT.
L. VETVRIVS L. F. L. N. PHILO MAG. EQ.
COMIT. HABEND. CAVSSA.

Ille inter ejus temporis eloquentes recensetur à *Cicerone in Bruto*; Patrem L. Metellum oratione funebri erudita laudavit ex *Plinio*. Pater fuit Q. Metelli Numidici, & L. Metelli Calvi, de quo post fratris progeniem nobis erit sermo. Superest ut huic denario finem imponamus, si Cn. Fulvium cognomine Flaccum, ut Triumvirum monetalem, illum percussisse dicamus, sed *Amicus* tres illos magistratus in eo memoratos suspicatur Triumviros monetales; de quo in Fulvia gente differemus.

V.

Caput Romæ galeatæ, Q. METE. in aversa parte Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. sceptrum, f. fulmen & habenas equorum, in imo, ROMA.

Goltzius ad Q. Cæcilium L. filium revocat hunc denarium, sed ejus typus nempe Jupiter in quadrigis, ad Quintum Macedonicum ejus filium potiùs spectare nobis suadet; primò Jupiter in quadrigis non denarium esse quadrigatum vulgò vocatum, in quo victoria exhibetur, triumphum indicare videtur; secundò quadrigæ lento gradu, ut in triumphis incedunt, & Q. Cæcilius Macedonici pater non triumphavit, sed ejus filius, ut infrà dicturi sumus.

VI.

Caput Jovis laureatum & barbatum: in aversa parte, Q. METE. in imo, ROMA. Navis.

Eadem nummi epigraphe, Q. METE. ac in superiore denario, me, ut illum eidem Q. Metello assignem, maximè, quando idem nummi pondus, ut iis temporibus conveniens, sollicitat. Jupiter Capitolinus in ære frequens ut præcipuus Romanorum deus signatur, ut Janus bifrons cum navi solet.

Q. Cæcilius, Q. Filius & L. nepos Quæsturam provincialem gessit, anno [593-4]. Tribunatum plebis videtur adeptus fuisse [598-9]. Ædilis curulis factus est, [602-3]. Prætor peregrinus Macedoniam sortitus obtinuit, [605-6]. insigni victoria, Macedonas & Pseudophilippum regem bis superavit, unde nomen Macedonici retulit. Ipsi prorogatum est impe-

imperium,[606. 7] & cum Achæis pugnavit, Critolaum eorum ducem debellavit, & alterum ipso occiso Diæum interfecit, & Thebis Megaraque captis, pax Achæis ab illo præscripta est. Proprætor usque in adventum successoris, Macedoniam obtinuit, an. 607. Illam tributariam in provinciæ formam redegit cum Thessalia & Bœotia.

VII.

Caput Herculis, pone quod tres globuli: in aversa Q. METE. in imo, ROMA. Navis, à dextris tres globuli.

Eadem scribendi ratio, Q. METE. eidem Q. Metello quadrantem hunc assignat; tres enim globuli pro nota, eum apertè designant, licet pondus sextantario, imò solùm unciæ pro libra respondeat. Sparsim autem diximus sæviente secundo bello Punico assem libralem ad unciam unam fuisse reductum, ut ex *Plinio* didicimus. Hercules, ut Jupiter & Janus bifrons supra monetam Romanam, iisdem de causis, quas sæpè retulimus, signati sunt, cum navi solita in omnibus: sed ad magistratus, quos ordine gesserit Q. Cæcilius, redeamus.

VIII.

Caput Victoriæ pectore tenus alatum, EX. S. C. in postica parte Navis Prætoria, Q. METE. MACEDONIC.

Insigne est hic denarius triumphi Metello ob Macedoniam devictam, ex Senatusconsulto decreti monumentum. Speciosissimus fuit, Andriscus ille Pseudophilippus catenis onustus in eo ductus est, & in pompa insignis illa Alexandri M. statua à Lysippo singulari artifice facta, est traducta: Victoriæ imago ex una parte expressa ut solemnis in terra relata est; ex altera navis Prætoria quæ scenicum illum & imaginarium Macedonum regem cum manubiis Romam exportavit.

Q. CAECILIVS Q. F. L. N. METELLVS MACEDONIC. AN. DCVII. DCVIII. *Varr.* PROPR. EX MACEDONIA DE PSEVDOPHILIPPO.

Consulatum adeptus est Cæcilius Macedonicus cum Apelaudio Pulchro, anno[610. 1] postquam bis repulsus fuisset, de quo *Valerius Maximus, lib.* 7. *c.* 5. Q. Cæcilium Metellum repulsa consulatus „ afflatum, paucis & mœstis animis comitatum, ac rubore ple- „

 „ num

„ num è campo bis rediisse, quem Senatus universus triumphan-
„ tem de Pseudophilippo lætum & alacrem in Capitolium prose-
„ quutus erat. Hispania Citerior Cæcilio consuli obvenit. Prorogataque illi provincia, $^{611.}_{2}$ in qua res feliciter gessit. Censor electus cum L. Valerio Flacco, anno $^{622.}_{3}$ quo primi duo fuerunt plebei, & tandem princeps senatus lectus est, anno $^{633.}_{4}$ Ipse habitus pro eloquente, ut refert *Cicero in Bruto*, & ut ejus orationes apud *Suetonium in Augusto* testantur. Mortuum illius corpus in funebri pompa humeris extulerunt quatuor filii, Quintus, Lucius, Marcus, & Caius, quorum nummos infrà sumus relaturi.

IX.

Caput Jovis barbatum & laureatum, Q. in aversa parte, Q. METEL. BALEARIC. Victoria, s. palmam, d. coronam porrigit trophæo ante illam erecto.

Primum ecce Q. Metelli Balearici, Q. Cæcilii Macedonici primogeniti filii, denarium, in memoriam insulæ Balearicæ, ab eo in P. Romani potestatem redactæ percussum: jam trophæum à Romanis victoribus in regionibus quas bello acquirebant, solitum esse ex spoliis hostium erigi protulimus. Baleares duæ sunt insulæ in mari mediterraneo Hispaniam versus, ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est à mittendo dictæ, quod Balearici essent periti funditores, una major, altera minor dicta, inter se 25. mill. passibus dissitæ.

Q. Metellus Quæsturam provincialem obtinuit, anno $^{614.}_{5}$ Tribunus plebis factus, $^{619.}_{20}$ Ædilis plebis, $^{622.}_{3}$ Consul cum T. Quinctio Flaminio, $^{630.}_{1}$ contra Baleares piraticam exercentes, mare inferum infestantes, missus, prorogato imperio insulas bello pervagans edomuit.

X.

Caput Libertatis, P. RVPILI. P. F. EX. S. Q. in aversa consul togatus, dextram porrigit homini nudo, cum pallio ab humeris retrò pendente, s. hastam, pone eum navis, in qua temo & ancora inversa, Q. METEL. Q. F. Q. N.

Ad Q. Metellum qui Balearicus dictus est spectare nummum, epigraphe Q. F. & Q. nepos nos edocet; pacem dextra juncta inire videtur, & si vera est nostra conjectura, cum Balearibus. Id confirmat navis, in qua temo & ancora inversa sunt,

ſunt, ad notandum ſe non ampliùs mare infeſtaturos promittere: nam ſi *Straboni* credimus, *lib.* 13. Paucis quidam quùm ſocietate facta cum piratis conſpiraſſent, Metellus univerſos criminatus; ſed re cognita pacem eis dedit, & coloniæ poſteà in inſulas deductæ ſunt Romanæ, unde pax cum iis facta videtur: P. Rupilius P. Rupilii Rufi, Tribuni plebis, anno 618/9 Marci nepos Quæſtor urbanus denarium ex Senatuſconſulto poſt pacem initam percuſſit, anno 631/2

XI.

FIDES. Caput deæ, olea corona inſigne: in averſa Fides ipſa ſtans, d. calathum fructuum plenum, ſ. ſpicas, Q METEL. Q. F. BALEARICVS.

Nomen Balearici non ſinit dubitare quin denarius ſit Q. Cæcilii Metelli, qui Balearici cognomen aſſumpſit, & ſuperiorem confirmat ad eum ſpectare, quùm expreſſa dea Fides ſit in memoriam, Balearibus datæ fidei, unde apud *Virgilium*, *lib. Æneid* 8.

Accipe daque fidem.

Et *lib.* 12. *Junximus hoſpitio dextras.*

Fides ut Dea à Romanis culta fuit cujus ædes erat in Capitolio, ut *Plinius*, *lib.* 35. innuit: ipſa tunicata exprimitur in nummis Domitiani, cum epigraphe, FIDEI PVBLICAE, & Plotinæ FIDEI AVGVST. ambo cum eadem figura, d. fructus & ſ. ſpicas ad rerum omnium ubertatem & copiam fide parta denotandam: Fides olea coronatur, quod ea ſit pacis conſervatrix.

Quintus autem Cæcilius Metellus Quæſturam accepit provincialem, anno 614/5 Tribunatum plebis adeptus eſt, anno 619/20 Ædilis plebis factus, anno 622/3 Conſul cum Quinctio Flaminio, 630/1

Q. CAECILIVS P. F. D. F. METELLVS A. DLII. / DLIII. Varr.
BALEARICVS PROCOS. DE BALEARIBVS PR....

Cenſuram iniit cum L. Calpurnio Piſone anno, ut videtur *Pighio*, 633/4 nec ejus pater Macedonicus tunc mortuus erat. Ipſe verò ſummus fuit & clariſſimus orator, apud *Tullium in oratione pro Domo ſua*, & illum *multis locis* commendat.

Obſervandum eſt ejus Metelli nummos præferre in epigraphe, METEL. ut pater ejus, METE.

XII.

XII.

Caput virile, cincinnis longis pulchrè comptum, cum ſerpente in frontis capillitio, pone RO MA.

XIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod etiam Roma: in ambobus idem clypeus, in cujus medio caput Elephanti, M. METELLVS, Q. F. in laurea.

A Balearico ad tertium Macedonici filium, prætermiſſo ſecundo cognomine Diademato, ſi quidem, ex *Pighio* ille non dictus eſt Delmaticus, ſed patruelis ejus L. Metellus L. Metelli Calvi filius, ut infrà videbimus.

Marcus igitur Cæcilius Metellus, Q. Cæcilii Macedonici tertius filius, fuit Quæſtor anno 622. 3 & Proquæſtore 623. 4 quo tempore videtur hos denarios cudiſſe cum capite Romæ, & alterum cum effigie dei Triumphi, qualem videre eſt in denariis Claudiæ gentis num. 8. & Fabiæ num. 7. in quibus littera T. denotat nomen triumphi, is ſimilis iterùm conſpicitur in fam. Papia, ut ſerpens in frontis capillitio, tamquam heroici genii inſigne. Uterque exhibet in averſa parte clypeum Macedonicum, in memoriam triumphi avi ſui de Macedonia; cujus ſymbolum eſt clypeus, ut videre eſt in plurimis Macedonum nummis: in medio autem caput elephanti in memoriam proavi ſui L. Cæcilii Metelli qui de Pœnis triumphum agens primus in curru ab elephantis egit.

XIV.

Caput Jovis, pone quod S. in averſa navis, in imo, ROMA, in vertice caput elephanti, ad latera S.

Nota S. cum eodem Jovis capite, eadem navi in averſa parte, cum ſimili nota S. nummum etiam hunc ad M. Cæcilium Metellum revocare videntur: nam ſi nomen deſit, caput elephanti, ut in medio clypeo nummi ſuperioris ſignatum, proculdubio ſupplet.

XV.

Caput Romæ galeatum : in averſa parte figura in bigis, d. palmam, ſ. equorum habenas, in imo, caput elephanti. ROMA.

Anonymum denarium ad Marcum etiam Metellum adjudicare liceat. Caput Romæ, ut in ſecunda tabella expreſſum, & in ſuperioribus caput elephanti, id ſuadent : in bigis videtur ipſa Roma, unde denarii dicti ſunt bigati.

XVI.

Caput Herculis pelle leonina amictum, cum tribus globulis retrò : in averſa navis, in qua M. METELLVS, in imo, ROMA, in vertice laurea.

Urſinus ad M. Metellum hunc nummum revocat, uti nos ei ſuperiores tribuimus: quadrantem indicant tres globuli, quartæque aſſis eſſe partis. De Hercule & navi dictum eſt.

XVII.

METELLVS. Caput Neptuni, pone quod tridens : in averſa, M. CAECILI. Q. F. Q. N. Neptunus in quadrigis triumphalibus, d. femori admota, ſ. tridentem & habenas equorum.

M. Metellus poſt Quæſturam, anno 622-3 Tribunus plebis fuit, 627-8 Ædilis plebis, 630-1 Prætor urbanus, 633-4 Provincialis 634-5 Conſul cum M. Æmilio Scauro, 638-9 quo anno Q. Metellus Macedonicus mortuus eſt, & eruitur ex *Velleio* Marcus Sardiniam ſortitus eſt, prorogatum ei eſt illius imperium, 639-40 ipſique triumphus ex ea decretus eſt.

M. CAECILIVS Q. F. Q. N. METELLVS. PRO. A. DCXL DCXLI *Varr.* COS. EX SARDINIA....

At quia Sardinia eſt inſula, ideò caput Neptuni exhibetur, & tamquam ejus auxilio eam in P. Romani poteſtatem redegerit, Cæcilius Neptunum ipſum in quadrigis triumphantem expreſſit.

XVIII.

Caput Cereris corona ſpicea ornatum, CN. MANLIVS CN. F. MAXIM. in averſa Ceres ipſa tunicata, ambabus facem ardentem oblongam, C. METEL. Q. F. CAPRARIVS.

C. Cæcilius Metellus, quartus & ultimus, Q. Macedonici filius ad ſummos pervenit honores ob patris merita, nam illi ruſtici & inconditi, in adoleſcentia mores fuere; unde *Caprarius* agnomine nuncupatus videtur. Quæſturam quidem geſſit, an. 623/4. Tribunus plebis 630/1. Ædilis plebis cum Cn. Manlio Maximo, an. 633/4. ambo Cereales ludos fecerunt; in cujus memoriam datam corona ſpicea, ob fruges quas ſerere docuit, & in averſa faces ardentes gerentem ad quærendam Proſerpinam à Plutone raptam effingerunt. Hi ludi à matronis Romanis deæ luctus repræſentabantur. Romani in toga alba ſpectare ludos, mulieresque in veſte candida facere ſolebant, ut inquit *Alex. ab Alexandro, lib. 6. c. 19.* incipiebant à pridie Id. April. per dies octo in circo, proximo poſt Circenſes die, quod *Ovidius* teſtatur, *lib. 4. Faſtor.*

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum,
Primaque ventoſis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, non eſt opus indice cauſæ
Sponte deæ munus, promeritumque patet.

XIX.

Caput Jani bifrontis barbatum, cum cippo: in averſa, C·METEL. CAPRAR. in imo, ROMA.

Præturam urbanam ſortitus C. Caprarius, quæſtionem rerum capitalium obtinuit, anno 635/6. Prætor provincialis, anno 636/7 prorogataque provincia, 637/8. Conſul factus eſt cum Cn. Papirio Carbone, anno 640/1. Macedonia Metello evenit propter bellum Thracicum, profecturuſque in provinciam, aſſes cum capite ſolito, & navi ipſius ſolemni averſa parte ad milites ſolvendos. De his & pretio eorum, ſat dictum eſt.

Cæcilius contra Thracas feliciter geſſit, & à militibus Imperator appellatur; ex *Statuæ baſi mutila.*

C. CAECILIVS Q. F.
METELLVS IMP.
.....

A Senatu C. Cæcilio triumphus decretus, & eodem die quo frater ejus Marcus ex Sardinia triumphavit; & ille de Thracibus, ut *Paterculus lib. 2.* ſuffrogatur. „ Circa inquit, ea-
„ dem

'dem tempora M. & C. Metelli fratres uno die triumpharunt.

M. CAECILIVS Q. F. Q. N. PRO. A. DCLX. COS. EX SARDINIA.

C. CAECILIVS Q. F. Q. N. METELLVS CAPRARIVS A. DCXL. COS. DE THRACEIS EX MACEDONIA.

XX.

Caput Genii laureatum, METEL. CALVVS: in aversa Colonus capite velato, d. stivam aratri quod trahunt boves jugati, s. flagrum. L. CAECIL. Q. F. L. N. in vertice, CXXXIII. sub iis litteris, EX S. C.

Prolatis Q. Cæcilii Numidici filiorum nummis, priusquam ad ejus nepotes descendamus, de illius fratre C. Cæcilio, cognomine Calvo, loqui libuit. Q. Cæcilii consulis fuit minor filius, & avum cum Macedonico communem habuit L. Cæcilium, bis consulem & Dictatorem, ut antiquitatem sui generis ita illustrem renovaret, denarium hunc Quæstor anno 596/7 ad proavi L. Metelli etiam consulis, ad arguendum pro deducenda colonia Triumviratum, signavit: nam colonus agens boves illius symbolum est; & litteræ numerales CXXXIII. nihil aliud quàm annos deductæ coloniæ significare possunt. Lucius autem Cæcilius Metellus ante consulatum cos. anno 469/70 inter quæsturam & tribunatum, anno 463/4 videtur fuisse unus ex illis Duumviris, de quo *Florus* ex *Livio*. Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Hadria, anno CDLXIII/CDLXIV. cui si adjungas annos 133/4 in denario cusos, habebis annum 596/7 quo quæstor provincialis fuit, & ut magistratus, quos gessit, proferamus, Tribunatum plebis gessit, anno 601/2 Ædilitatem plebis, 604/5 peregrinam, 606/7 & Consulatum cum Q. Fabio Maximo Serviliano, anno 601/2

Pighius ob coloniæ symbolum in denario cusum, Italiam Cæcilium obtinuisse, & colonias deduxisse existimat, de quibus nulla est in *Historia Romana* & apud *Paterculum lib.* 1. qui de iis accuratè scripsit, mentio; sed ut Lectori sit judicium, addam litteras numerales, CXXXIII. quas silentio prætermisit, non posse intelligi in hoc casu, nisi de aggeribus 133. ab equitibus in colonia acceptis, ut solebat, quod de una tantùm accipiendum, sed ut liberè loquamur, id non est in nummis solitum; litteræque numerales, ut plurimùm de annis accipiuntur. Censor

fuiſſe exiſtimatur, anno 627/8 cum eodem Q. Fabio Maximo Serviliano, ſuo in conſulatu collega, ſed abdicarunt; Cæcilius verò reliquit duos filios conſulares, L. Cæcilium Delmaticum & Q. Cæcilium Numidicum.

XXI.

Caput Romæ ſine galea, DELMATICVS, in averſa parte, L. METELL. conſul in quadrigis triumphalibus, d. ſcipionem eburneum, in cujus apice aquila, ſ. habenas equorum.

Ad Lucium Cæcilium Metellum cognomine Delmaticum pertinet ex inſcriptione denarius; ſed an is fuerit, ut vulgò, creditur L. Diadematus Q. Cæcilii Macedonici ſecundus filius, quæſtio eſt: huncque L. Cæcilii Calvi filium, *Pighius* contra omnes contendit, & probat ex triumphorum *Capitolinis columnis*, eumque ideò ſequimur. Diademati autem cognomen cum alterius Delmatici appellatione, unum & eumdem forſan confuderunt, nam alter Q. filius fuit, hic verò Lucii.

Lucius L. F. Q. N. Metellus, qui poſteà Delmaticus eſt appellatus, patrem habuit L. Metellum Calvum, quæſturamque egit, anno 618/9 Tribunatum plebis, anno 623/4 Ædilitatem plebis, 626/7 Prætor urbanus quæſtionem publicam ſortitus eſt, anno 630/1 Præturam provincialem obtinuit, anno 631/2 prorogatum ei eſt in provincia, 632/3 conſulatum iniit cum L. Aurelio Cotta, anno 634/5 Metello Illyricum, ubi populi ad rebellionem ſpectare viderentur, ſorte obvenit. *Appianus* narrat, iis quietis illum intuliſſe bellum ſola triumphandi cupiditate. Porrò *Livius* L. Metellum Delmatas ſubegiſſe refert, & *Aſc. Pædianus* illum Ædem Caſtoris ex Delmaticis manubiis extruxiſſe ſcribit: qua de re decretus eſt illi triumphus, quem egiſſe confirmant & denarius, in quo ipſe in quadrigis vehitur cum ſcipione eburnco conſulis inſigni, & *Marmora Capitolina.*

L. CAECILIVS L. F. Q. N. METELLVS AN. DCXXXV. DCXXXVI *Varr.*
DELMATIC. PRO. COS. DELMATEIS III. NON...

Convincunt ergo *Columnæ Capitolinæ* L. Cæcilium L. Calvi filium eſſe qui triumphum egit, ideò Delmaticum fuiſſe cognominatum, & non L. Cæcilium Q. Macedonici filium, cognomine Dia-

Diadematum, ob ulcus in fronte ſic ludibrii cauſa appellatum. *Glandorpius* L. Calvum filium habuiſſe prænomine Lucium prodit. Iique patrueles erant, quaſi ejuſdem ætatis. Tandem L. Cæcilius Delmaticus Pontifex Maximus fuit.

XXII.

Capita jugata Neptuni cum tridente & Jovis laureati, EX S. C. in averſa navis cum remis, Q. METEL. NVMIDICVS PR. COS.

Q. Cæcilius L. F. Q N. in denario appellatus non poteſt eſſe filius L. Delmatici, ut putant, ſi Cæcilius Calvus ejus avus Lucius etiam, ut diximus, vocabatur. Sed illius haud dubiè fuit frater ut confirmatur ex *Cicerone* plurimis locis, Quæſtor provincialis, anno U. C. 628. 9. Tribunus plebis, 633. 4. Ædilis curulis, 636. 7. Prætor urbanus quæſtiones publicas ſortitus, anno 639. 40. Provincialis Prætor, 640. 1. Conſul cum M. Junio Silano, 644. 5. Q. Cæcilio decreta eſt Numidia cum bello Jugurthino, diſciplinam militarem in Africa reſtituit, Vacca regni emporio capto, bis prælio Jugurtham ſuperavit. *Salluſtius* hæc ampliùs; prorogatum eſt in Africa ei imperium, anno 645. 6. Ex *Velleio* & *Autore, de viris illuſtribus* & *aliis*, tacente *Salluſtio* triumphum egit.

Q. CAECILIVS L. F. Q N. METELLVS AN. DCXLVI. DCXLVII. *Varr.*
NVMIDICVS PROCOS. DE NVMIDEIS.
ET REGE IVGVRTHA....

Virtus Cæcilii ei nomen Numidici indidit, Senatus & Plebs eum lætans excepit, & ejus triumphi & nominis æternum eſt denarius monumentum; in quo vehitur, dextra conſulis inſigne ſcipionem eburneum gerit. Cæcilius Numidicus tandem cenſuram geſſit cum patruele C. Cæcilio Metello Caprario. Ex *Fragmentis Capitolinis*.

CENSS. Q. CAECILIVS L. F. Q. N. METELLVS NVMIDICVS
C. CAECILIVS Q. F. Q. N. METELLVS CAPRARIVS
Luſt. fec. LXIV.

Studioſus ac doctus fuit orator, eum *Velleius* ob eloquentiam inter ejus ſæculi eximios oratores enumerat: laudaturque ejus elegantiſſima *Oratio de ducendis uxoribus & conjugio colendo*, in ejus cenſura habita.

XXIII.

Caput Neptuni laureatum, in imo tridens tranſverſus; in averſa, Q. METEL. NEPOS EX S. C. Navis cum remis.

A patruelibus ad ſobrinos tranſeamus: Quintus autem Cæcilius Q. Cæcilii Macedonicis nepos fuit filius Q. Cæcilii Balearici, dictus cognomine Nepos in tanti avi memoriam; alii verò quod progeniem illam Metellorum illuſtrem contaminaverit, propter luxus atque morum nequitiam, quùm dilapidaret largiter; habuit ipſe filium ejuſdem prænominis Quinti, & qui etiam ab eo cognominatus eſt Nepos; unde dubium an ad patrem vel ad filium ſpectet denarius: uterque conſularis; Pater quidem cum T. Didio, anno 655/6 hinc Hiſpaniam eveniſſe conſtat; de Cæcilii provincia ignoratur, ut in caligine hujus temporis duorum ſubſequentium conſulum, at quùm denarius triumphum denotat, ſuſpicor Q. Nepotem ob Neptunum & triremem, cum collega res proſperè geſſiſſe in Hiſpania, & Cæcilium propter comitia Romam veniſſe, & triumphum egiſſe; quando prorogatum eſt Didio in Hiſpania imperium, qui ex ea etiam triumphavit, anno 660/1 nam Q. Cæcilius Nepos ejus filius conſul, anno 696/7 res malè geſſit in Hiſpania, quod in cauſa fuit, ut ei faciliùs ſucceſſor Cn. Pompeius in annùm ſequentem decerneretur ex *Dione lib. 39.*

XXIV.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA, in averſa, C. METELLVS. COS. in bigis Elephantorum cui victoria per aërem volitans, coronam porrigit.

Ex primo Q. Cæcilii Metelli Macedonici Nepote ad quartum tranſimus, nempe Caium Metellum Caii Cæcilii Caprarii triumphalis filium, qui Quæſtor provincialis, anno 652/3 Q. Cæcilii Macedonici avi ſui memoriam renovare voluit, dum illum in bigis elephantorum de Pœnis, ut diximus triumphantem expreſſit: hinc tantùm Præturam attigit urbanam anno 662. & provincialem, 663/4 magnæ & ingenuæ libertatis fuit, ſi quidem ex *Plutarcho* Syllam auſus eſt rogare in Senatu, ut à cædibus abſtineret.

XXV.

Caput Romæ galeatum : in averſa parte, Q. METEL. PIVS, in imo, ROMA, bigæ aurigante Victoria, d. flagrum.

Ex Q. Cæcilii Macedonici ſtirpe ad minoris ejus fratris Cæcilii Calvi progeniem revertamur, cujus filii Numidici denarios exhibuimus : nunc ordine redeunt ejus nepotis, nempe Q. Cæcilii Pii nummi argentei. Hic verò Pii cognomen meruit, quod patrem Numidicum precibus ac lacrymis aſſiduis ab exilio revocavit, *Autore de viris illuſtribus.* Tribunus plebis geſſit, anno 656. & Præturam, anno $^{664.}_{5}$ ante legitimum tempus obtinuiſſe narrat *idem Autor.* Prætor autem Provincialis Apuliam habuit, Proprætor Africam proconſulari imperio, $^{657.}_{8}$ Conſul cum Corn. Sylla, anno $^{673.}_{4}$ illi decreta eſt Hiſpania Ulterior, $^{674.}_{5}$ Pontifex fuit & in petitione conſularibus viris prælatus eſt. Cenſor creatus, anno $^{689.}_{90}$ cum L. Aurelio Cotta, & mortuus in magiſtratu abdicavit Cotta.

XXVI.

Caput Jovis laureatum & barbatum, pone quod nota s. in averſa navis, Q. MET. PIVS, in imo, ROMA.

Hujus nummi inſcriptio haud dubiè eum Q. Metello Pio Cæcilii Numidici filio adjudicat: nullus enim præter illum cognomen Pii tulit: nam ejus filius adoptivus cognomini Pii agnomen Scipionis adoptivum ſibi attribuit; de quo in ſequente dicturi ſumus. De nota s. id eſt ſemi libra, quæ erat dimidii aſſis, ſæpiùs egimus, ut de Jove Capitolino, præcipuo Romæ numine, & de navi, primo monetæ Romanæ ſymbolo.

XXVII.

Caput Pietatis, ante quod ciconia: in averſa, Q. C. M. P. I. *Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.* Elephas.

Ad Q. Cæcilium Metellum Pium Scipionem à Q. Metello Pio, Cæcilii Numidici filio adoptatum, pertinere contendit *Urſinus.* Vox *Imperator*, ipſi favet, ſi reverà Metellus Pius, de quo denarium ſuperiorem, ex *Goltzio,* cum triumphi ex Hiſpania ſymbolo protulimus. Imperatoris nomen exinde non retulit : nam Pietatis caput & ciconia ejus inſigne æquè alludit ad cognomen Pii, quod ſibi

ſibi aſſumpſit Metellus Numidici filius, & Metellus Scipio, in adoptionis memoriam, ſignare potuit: de Elephante infrà.

XXVIII.

Caput idem Pietatis, ante quod Ciconia, ut ſuprà: in averſa urceolus & lituus. IMPER. in laurea.

Ambiguus etiam eſt hic denarius, qui ad patrem Cæcilium Pium, vel ad Cæcilium Pium Scipionem, ab eodem adoptatum; referri poteſt: corona autem ex lauro ambobus convenit, ſi uterque *Imperator* appellatus. Urceolus & lituus, ſigna pontificalia, dubium non tollunt; nam Metellus Pius pater Pontifex fuit maximus, cui ſucceſſit Julius Cæſar; ex *Dione lib.* 37. ergo Metellus Scipio, ex *Suetonio in Tiberio*, *c.* 4. Pontifex renuntiatur. Pater Tiberii, inquit, Pontifex in locum P. Scipionis conſtitutus: de quo meminit *Aſconius in Corneliana.*

XXIX.

Caput Neptuni laureatum & barbatum, Q. METELLVS PIVS SCIPIO IMP. Elephas.

Ad Q. Metellum Pium Scipionem pertinere hunc denarium non dubitare ſinit adoptionis cognomen *Scipio*; nam P. Cornelius Scipio Naſica teſtamento adoptatus à Q. Metello Pio Pontifice Maximo, & in cenſura defuncto, an. $^{689.}_{90}$ ob adoptionem dictus eſt Q. Cæcilius Metellus Pius: ſed cognomen *Scipio* retinuit, ut indicaret ſe ex Cornelia gente in Cæciliam tranſiiſſe. Imperator dictus erat jam in Syria, quando Proconſul illam provinciam obtinuit, ut teſtatur *Julius Cæſar de Bello Civ.* 3. „ His temporibus, inquit, Scipio de„ trimentis quibuſdam circa Anianum montem acceptis, ſeſe Imperatorem appellarat: & poſteà, quando Pompeio in Pharſalicis campis devicto ſe in Africam recepiſſet, & Cato ei exercitum ceſſiſſet, ab eo Imperator appellatus, monetam ſignavit; in qua una parte Neptunum, & ex altera Elephantem, ut ſe in Africa eſſe Imperatorem denotaret.

XXX.

Caput Africæ elephanti proboſcide ornatum, ante quod ſpica, in imo aratrum, Q. METEL. SCIPIO IMP. in averſa Hercules,

es, d. ad femur appoſita, humero clavæ innixo, cum ſpoliis leonis, EPPIVS LEG. F. C. id eſt, fieri curavit.

Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio; teſtamento Metelli Pii mortui adoptatus, anno 689. 90. Quæſturam urbanam adeptus, anno 690. 1. Tribunatum plebis, anno 694. 5. Ædilitatem plebis, anno 696. 7. & ludos gladiatorios in honorem patris adoptivi edidit. Præturam urbanam, 698. 9. provincialem, 699. 700. collega à genero ſuo Pompeio Magno in extremos quinque menſes anni 1. 2. in conſulatu aſſumptus eſt, & legem de cenſoria poteſtate tulit, ex *Dione, lib.* 40. Proconſul Syriam obtinuit, anno 704. 5. Multa geſſit in civili bello: Litteris Pompeii revocatus per Macedoniam ad generum properare cum legionibus tentavit: ſed eo in Pharſalicis campis devicto, primùm in Corcyram, ubi erat claſſis Pompeii, fugit, claſſeque inter ejus factionis duces diviſa, Scipio in Africam ad Varum confugit, & à Juba Numidiæ rege honorificè & humaniter acceptus eſt, quo audito etiam Cato in Africam iter inſtituit, ubi Scipio Imperator exercitus acclamatur, & M. Eppius ejus legatus factus denarios cudi curavit in ejus uſum. Ex una parte igitur ſignavit caput Africæ: ex altera Herculis ſignum, quod in Africa colebatur, ut notavit *Urſinus, ex Herodoto, lib.* 2. *Hiſtor.*

XXXI.

Caput Jovis Terminalis, ſub quo caput Aquilæ, METEL. PIVS SCIP. IMP. Ex altera parte ſella curulis, in vertice bilanx cum cornucopiæ, in imo ſpica, P. CRASSVS IVN. LEG. PROPR.

Alterum nobis licet parùm notum in Africano bello Cæcilii Scipionis Imperatoris Proprætore legatum exhibent ſuperſtites denarii non pauci P. Craſſum Junianum; de quo in Licinia gente, ad quam pertinet, dicturi. Dum Scipio & alii Pompeii duces, Julio Cæſare in Alexandrino bello detento, in Africa ſub auſpiciis Jubæ Numidiæ regis nutantis Reipublicæ partes tamquam juſtas & ad pacem tendentes, ſuſtinere ſatagunt: ideò in moneta ſub Scipione ſignata exhibent Jovem Terminalem faſcia redimitum, cum aquilæ capite, pacis præſidem & arbitrum juſtitiæ, ut tradit *Plutarchus, in Numa*; in averſa bilanx juſtitiæ, ſymbolum & cornucopiæ, cum ſpica pacis notæ viſuntur. Sella curulis adeſt, ad denotandum quod in conſulari Scipionis imperio nihil aliud optatur.

XXXII.

Caput muliebre turritum, ſub quo prora navis, ante illud caduceus, pone ſpica, CRASS. IVNI. LEG. PROPR. in averſa trophæum inter lituum & urceolum.

Caput illud muliebre turritum repræſentat Adrumetum Africæ urbem, & prora navis ſub eo, illam ad mare ſitam denotat; in qua denarii erant cuſi: nam illud oppidum tenebat Scipio, cum majori exercitus copia, ac univerſis ferè primi nominis Pompeianarum partium ducibus & ſectatoribus, dum Cato cum parte copiarum & univerſæ claſſis, totiuſque adeò oræ maritimæ Uticæ (ubi commeatus & pecunia, ceterique apparatus bellici erant) in præſidio erat, cum trecentis ex omni numero electis, qui bellicis conſiliis præerant. Juxta caput urbis, hinc ſpica, etſi abundantiam frumenti copiam denotat, exinde caduceus, pacem optare arguit.

In averſa parte trophæum demonſtrat locum Adrumeto poſitum, ubi caſtra poſuerat Julius Cæſar, dum in Africam appulſus, urbis oppugnationem fruſtrà tentaverat, & ex iis exutus erat, Ruſpinam, 40 mill. ab Adrumeto diſſitam in ortum exercitum ducere coactus fuit, in illo loco ad victoriæ monumentum erectum. Lituus & urceolus ſpectant ad Scipionis pontificatum.

XXXIII.

Iſis, more Ægyptio veſtita, ſtans, flore loti in capite ornata, d. ſubmiſſa ſiſtrum, ſ. ad pectus admiſſa, cum litteris in vertice, G. T. A. & ad latera, Q. METEL. PIVS SCIPIO IMP. in averſa Victoria ſtans, d. caduceum, ſ. clypeum, P. CRASSVS IVNI. LEG. PROPR.

Sub Iſidis forma, quæ G. T. A. id eſt Genius Tutelaris Africæ appellatur, Q. Metellus Scipio exhibetur; ob vaticinium & ex inveterata opinione, qua vulgò Scipionum nomen in Africa invictum credebatur, certam ſibi fatalemque quodam modo victoriæ pollicebantur omnes, quod apud ipſos ſummæ rerum Scipio præeſſet: quare in averſa parte Victoriæ ſignum eſt expreſſum, ſive quod Cæſar caſtris exutus fuerat: ſed Victoria caduceum tenet, ad denotandam ſe pacem optare, quæ non obvenit: nam licet

præ-

præter equitatum ferè infinitum, maximumque levis armaturæ multitudinem, regias legiones quatuor, Scipionis verò decem, elephantos prætereà centum viginti: navium autem eam multitudinem, ut etiam in plures classes essent tributæ, victor evasit Cæsar, & postquam in Hispaniam ad Pompeium Scipio, conscensis XII navibus apertis, diu tempestate jactatus, Hipponem invitus defertur, ab hostibus, in navem suam irrumpentibus, atque ubi Imperator esset interrogantibus, Imperator, respondit, benè se habet - simul ferro se trajiciens, seipsum in mare præcipitavit.

XXXIV.

Caput Apollinis, CELER; in aversa parte cornucopiæ, & caduceus, & infrà globus terrestris.

Pighius hunc aureum nummum *Goltzii*, in Quæstorio collegio à P. Canidio, P. F. Crasso, & Q. Cæcilio Celere Quæstoribus, anno $^{701.}_{2}$ signatum suspicatur. De Canidio in ejus gente dicetur: Cæcilium Celerem existimat *Pighius* fortasse filium fuisse Q. Cæcilii Celeris, consulis cum L. Afranio, anno $^{693.}_{4}$ observatque non refragari temporis rationem & Apollinem præ se ferre pacis notas, nempe cornucopiæ & caduceum refert; Cæcilius autem Celer, à quo hic originem trahit, cognominatus est apud *Plutarchum in Coriolano*, quod paucis post patris obitum diebus insigne munus gladiatorium dederit, quùm omnes celeritatem tanti apparatus admirarentur, alii hunc fuisse Cæcilii Diademati filium, alii Q. Cæcilii Nepotis.

XXXV.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte Victoria in bigis, d. coronam, f habenas equorum, CN. FOVL. M. CAL. Q. MET.

Ursinus, ob tria hæc nomina denario inserta, illum in tribus familiis recenset, & in Fulvia eos Triumviros monetales fuisse existimat, at quùm in iis M. Calidii nomen habetur, quia hic fuit coetaneus Ciceronis, versus illa tempora denarium signatum esse suspicatur: nam quis fuerit ille Q. Metellus, pronuntiare difficile videtur. De denariis à bigis dicti bigati, sat dictum est.

XXXVI.

Caput Honoris laureatum, L. METEL. A. ALB. S. F. in aversa parte Honos ipse, insidens clypeis, coronatur à Victoria, pone eum stante, d. hastam, C. MAL. in imo, ROMA.

Ob tria etiam nomina in denario scripta, *Ursinus* illum in tribus familiis repetit; sed eos inter Triumviros monetales ut superiores non adscribit: liceat igitur nobis illos Triumviros ædibus sacris reficiendis fuisse suspicari, ad plurimos quos jam sparsim observavimus, qui Honoris templum vetustate collabens refici curaverunt, de quo *Cicero*, *lib.* 2. *de Nat. deorum.* „ Vides, inquit, „ Virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renovatum, „ quòd multis antè annis erat bello Ligustico à Q. Maximo de- „ dicatum. In via Appia erant, ex *Valerio Maximo*, extra portam „ Collinam, *Cicero* 2. *de legibus*, hîc, inquit, nostis extra portam Collinam ædem Honoris. Honos laurea ornatus, in nummis Galbæ Vitellii & Vespasiani, ad latus Virtutis depingitur, brachio sinistro nudo, pede supra galeam: hîc insidet clypeis, quo tempore nummum illi Triumviri signarunt, incertum est, sed vide in gente Poblicia.

XXXVII.

Capita jugata Julii & Augusti, ambo laureata, CRETICVS: in aversa templum 6. columnarum, in cujus aditu cippus, supra quem duæ statuæ togatæ visuntur, à latere dextro templi simpulum, à sinistro lituus, Q. METELLVS.

Q. Cæcilius Metellus Creticus, qui in denario Julii & Augusti capita expressit, consulatum gessit cum A. Licinio Nerva, an. $\frac{759}{60}$. an verò filius Q. Metelli Cretici Tribuni plebis, qui Crassum ad bellum Parthicum diris devovit, & nepos Q. Cæcilii Cretici ob triumphum ex Creta cognominati? Simpulum & lituus ad Julii & Augusti pontificatum spectant, & ideò statuas eorum togatas esse denotant, sed in quo templo positæ sint, incertum est. Q. Cæcilius Metellus post consulatum Syriam administrare cœpit, anno $\frac{765}{6}$.

XXXVIII.

XXXVIII.

Caput Jovis barbatum : in averſa parte, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝ ΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ Β. Μ. in alio, Γ. Μ. in alio Δ. Μ. in alio, ΕΜ. Aries decurrens, pone ſe reſpicit, in vertice ſtella.

In gente Junia *Patinus*, *Glandorpium* ſequutus ſuum annum expoſuit, ſed eum in Cæcilia, ad quam pertinet, recenſemus; nam is Silanus, ut eſt Juniæ gentis, à Cæcilio Metello, illius qui ob Cretam debellatam Cretici cognomen habuit filio, adoptatus, dictus eſt Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus; ut alter Cæcilius ſuprà, ex Cornelia gente pariter in Cæciliam adoptatus, vocatus eſt Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio.

Ille, ut ſuprà diximus, ab Auguſto poſt provinciarum inter ipſum & P. Romanum diviſionem, ut videre eſt apud *Dionem*, *lib.* 55. in Syriam miſſus eſt Præſes Quirinio Succeſſor, poſt ejus conſulatum, anno 759/60. quinquennio nempe 765/6. ut nos docent litteræ numerales Β Μ. id eſt, anno 42 Æræ Antiochenæ, quæ cœpit anno 722/3. menſe 23 Septembris, quo Auguſtus in pugna Actiaca Antonium devicit; junctis igitur annis 42 & 723. habebis annum 765/6. quo Creticus Silanus cœpit Syriam adminiſtrare.

Ceteri numeri in diverſis nummis Silani ſignati, annos quibus in provincia illa moratus eſt, arguunt, litteræque ΕΜ. annum 45 deſignant ejus adminiſtrationis quartum. Caput Jovis ab Antiochenſibus præcipuum ejus cultum demonſtrat. Aries & retro aſtrum ad annum à Julio Cæſare reformatum ſpectant: ille enim plurimas immunitates Antiochiæ urbi conceſſerat; ut legere eſt apud *Jo. Malelam Antiochenum*: ita ut Epocha à Pompeio ob conceſſam ipſis ἀυτονομίαν relicta, Julianam ab anno 705/6 aſſumpſerant: ſed poſt Actiacam pugnam ipſam etiam antiquarunt, quam tamen ſub Tiberio iterùm revocarunt.

XXXIX.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Tiberii laureatum in averſa parte, Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ CΕΛΕΥΧΕΩΝ. ΕΜ. an. tertio ſub Silano; Antiochienſium, an. 47. in laurea.

Ad Creticum Silanum ſpectat etiam hic Tiberii nummus, annum ejus in Syriæ adminiſtratione ſextum ſub tertio ejus Impera-

toris anno inchoantem, demonstrans: nam Augustus qui Silanum in Syriam miserat initio anni $^{765}_{6}$. mortuus mense Septembri anni $^{766}_{7}$. & tertius jam erat Tiberii, anno $^{768}_{9}$. correspondens anno 47. æræ Antiochenæ ab Actiaca pugna incœptæ, ut suprà diximus, & in nummo Silani signatæ, annumque ejus sextum in Syriæ administratione demonstrans: nam Tiberius ex *Tacito Ann.* 2. amovit Silanum ex Syria, C. Cælio & L. Pomponio coss. $^{769}_{70}$.
„ ut Pisonem in ejus locum mitteret. Sed inquit, Tiberius demo-
„ verat Syria Creticum Silanum, per affinitatem connexum Ger-
„ manico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus
„ pacta erat, præfeceratque Cn. Pisonem ingenio violentum.

XL.

Caput Veneris, cum epigraphe, CORINT. in aversa parte, Pegasus alatus, Q. CAECIL. NIGRO C. HEIO PAM*phylo* II VIR.

Patinus hunc & sequentem nummum cùm Cæcilii nomine, familiis Romanis Cæciliæ gentis adjecit. Apud *Ciceronem in Verrem* memoratur Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, Quæstor Verris in Sicilia, an ejus filius, aut Libertus Corinthum transiit, quùm urbs deducta est à Julio Cæsare Colonia. Ejus cognomen à nigro corporis habitu inditum videtur. Pegasus, ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte dictus moneta fuit Corinthiorum, quam Pullum vocat *Jul. Pollux*: unde ad antiquitatem denotandum urbs adhuc in nummis percutit: de Heia gente loquitur etiam *Cicero in Verrinis*, à quo C. Heius Siculus Mamertinus memoratur: sed hic Pamphylus cognominatur.

XLI.

Caput galeatum Romæ cum epigraphe, ΑΜΙΣΟΥ, in aversa parte, ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ, in imo, ΡΩΜΗ. Roma ipsa insidens clypeis, d. victoriam, s. femori admota.

Insignes sunt illi Græci nummi, qui nobis adhuc sub Imperatoribus familiarum nomina revocant. Hic C. Cæcilium Cornutum exhibet, quem Prætorium appellat *Tacitus*, *Ann.* 4. & post Præturam Pontum administrasse, quæ Populi provincia erat Prætoria, nos edocet; & Amisus urbs, quæ illum percussit ejus Propr. nomine, id nobis adhuc demonstrat, quùm ex una parte Romæ

mæ ipſius caput pro Imperatoris effigie, & ex altera ipſam ſedentem tamquam Provinciæ dominam. Cornutus denique ſub Tiberio accuſatus ſua ipſius manu cecidit, teſte eodem *Tacito*.

XLII. XLIII.

Caput Veneris: in poſtica, CORINT. Caput Veneris: ex averſa parte, eadem epigraphe, Q. CAECIL. NIGRO C. HEIO. II VIR. Pegaſus Bellerophon in Pegaſo decertans contra Chimæram.

Caput Veneris in honorem Julii Cæſaris, à quo deducta fuit colonia Corinthus, in nummo expreſſum eſt: quippe originem à Venere per Julium Æneæ filium trahere ſe jactabat. Corinthii in priore nummo monetam ſolitam nempe Pegaſum; in altero Bellerophontem ut heroem ſuum depingere ſolebant. Glauci Ephyræ regis filius credebatur; ſed apud *Palæphatum de Fab. lib.* 1. vir erat Corinthius, bonus pulcherque ſatis, ex quo fabula de ipſius contra Chimæram decertatione conficta eſt. Vide ſparſim in *noſtro de Coloniis libro*. Hæc Cæcilia cognomine Niger & Heia gens, videntur ex *Cicerone* Siculæ eſſe, quarum progenies Corinthum ſe tranſtulit, & ejus urbis Decurionatum, ut Romæ conſulatum, adepta eſt.

CÆ-



CÆCINA.

CÆCINA quibuſdam nomen gentilicium, aliis verò cognomen habetur; quia nomina omnia quibus familiæ ſignificantur in *jus* proferuntur, at quia, inquit *Sigonius, lib. de nom. Roman.* nonnullos gentilicii nominis eſſe expertes reperimus, ut M. Perpernam & C. Norbanum: quibus addere potuiſſet A. Cæcinam, conſulares, quos ita & in *Libris*, & in *Capitolinis marmoribus* nominari videmus, id tamen contigiſſe videtur, aut quod ii cognomine magis quàm nomine delectati ſunt; ut M. Agrippa, cujus gentilicium nomen in omnibus *Lapidibus* omiſſum eſt, quùm tamen ex Vipſaniorum eum gente fuiſſe *Corn. Nepos*, & *Dio* tradiderint: aut certè quòd ea nobis ignota ſint. Hæc ille; ſed ita Cæcinam fuiſſe cognomen ejus reperimus, ut M. Octavius Cæcina, & A. Licinius Cæcina. Alii familiam à Cæcina flumine Volaterrano, alii à cæcitate, nomen habere volunt.

Caput Jani bifrontis imberbe: in averſa, A. CÆ. in imo, ROMA. Navis.

Urſinus, hunc nummum ad Cæcinam gentem revocans, dum dubitat an ad A. Cæcinam equitem Romanum, Volaterris in Etruria natum ad quem *Ciceronis* extant *epiſtolæ* aliquot, *lib. 6.* quique pro Pompeio contra Cæſarem pugnavit, pertineat: an ad A. CAECINAM, hujus, ut putat, filium qui conſul Auguſto ſuffectus fuit in XIII conſulatu; æquè mihi obſcurum eſt, inquit; ſed quùm hic, ex *Urſino*, conſul tantùm fuerit, an U.C. $^{751}_{2}$ forma illius nummi ærei eum potiùs ad patrem pertinere poſſe innuit, quùm Romæ ejuſmodi moneta hoc tempore non ampliùs ſignabatur; nam diviſione provinciarum inter Auguſtum & Senatum facta anno $^{729}_{30}$ moneta ærea cum effigie Imperatoris, & nota S. C. exinde percuſſa eſt. Sed ſi nobis conjicere liceat ex forma & ſcriptura, nummum eſſe antiquiorem exiſtimamus, & non ad Cæcinam gentem ex Volaterrano Etruriæ oppido originem habentem; ſed Cæcinam vocem eſſe familiæ alicujus cognomen, ſeu ut ſuprà Octaviæ ſeu Liciniæ diximus: at quia Marci prænomen in Octavia ſæpè occurrit ad Liciniam potiùs ſpectare poſſet, cujus prænomen Auli legimus.

CÆ-



C Æ D I C I A.

CÆDICIA gens plebeia, attamen conſularis. L. Cæditius gentis primus perhibetur, Tribunus plebis anno U. C. 278/9. Lucius ejus filius Tribunus etiam plebis, anno 309/10. Lucius ejus nepos, Tribunus plebis, anno 340/1. unde quùm in plurima prænomina eorum progenies abiiſſet, ne ipſa confunderetur, Quintus cognominatus eſt Noctua? an quod illa avis pro ſapientiæ ſymbolo Minervæ data ſit, Cæditio ſit ob ſapientiam ita inditum cognomen? Cæditius verò cognomen à Cædicia colonia, de quo hoc vetus epigramma, DVOVIR MVLSVM ET CRVSIVM. COLONIS SENVISSANIS ET CAEDICIANIS. Cædiciæ Tabernæ in via Appia ab uno ex ea gente videntur ædificatæ, teſte *Feſto.*

Caput Pici Herois capillis cincinnatis in averſa parte, Q. CAEDICI. Q. F. EX S. C. in imo, ROMA. Duæ figuræ ſtantes, togatæ, pone alteram faſces quibus ſecuris alligata; dextras porrigentes.


Ingenioſè *Pighius* hunc denarium interpretatus eſt; ab anteriore parte Picum Saturni filium, gentis Picentium ex Sabinis oriundorum ductorem atque conditorem, exiſtimat; ita capillis concinnatis depictum facie juvenili decora, quemadmodum heroes, quos immortales non ſeneſcere credebant; in altera ſtat Conſul aut Prætor Romanus togatus inſigne magiſtratus ſecurim virgis alligatum, juxta ſe habens; qui Picenti dextra junctafidem dare videtur.

Q Cædicius Quæſtor, an. 485/6. filius Q. Cædicii Tribuni plebis, anno 458/9. Nepos Q. Cædicii Tribuni plebis, anno 419. qui primus Noctuæ nomen accepit, quùm ſub ejus Quæſtura P. Sempronius Sophus, & P. Claudius cos. Picentes ingenti & atroci prælio ſuperaſſent, & quùm de iis ex *Eutropio* triumphaſſent, ut *Fragmenta Capitolina* docent.

P. SEMPRONIVS P. F. P. N. SOPHVS COS. AN. CDXXCV. CDXXCVI. *Varr.* DE PEICENTIBVS.

AP. CLAVDIVS AP. F. C. N. CRASSVS AN. CDXCV CDXXCVI. *Varr.* COS. DE PEICENTIBVS.

Picentes, ut pacem cum Romanis haberent, ſe in deditionem iis dedere, quos libenter accepere : nam *Plinius* CCCLX. hominum ex iis in fidem P. Romani veniſſe ſcribit, in cujus memoriam Senatus denarios argenteos Quæſtoribus urbanis, ex quorum erat numero Q. Cæditius, cudi juſſit, hic verò poſt Quæſturam iniit Tribunatum plebis, an. 450/1. Ædilis fuit, anno 463/4. iterùm Tribunus plebis, anno 465/6. & tandem conſul cum L. Manlio Vulſone Longo, anno 467/8. in cujus Magiſterio mortuus eſt.



CÆSIA.

CÆSIA gens plebeia fuit, si quidem M. Cæsius Prætor, de quo loquitur *Cicero, lib. 3. in Verrem, & ep. 2. & 12. lib. 13. ad Memmium.* Tribunus plebis fuit, anno U. C. 671/2. Nomen autem Cæsiæ gentis deductum videtur à cæsiis oculis.

Caput Apollinis laureatum dorso tenus, sagittam d. vibraturus, in area, AP. junctis litteris: in aversa, L. CAESI. Duæ figuræ sedentes, ferè nudæ cum pelle, ambæ s. hastam(sinisterior cani intermedio abblanditur: hinc LA, illinc RE junctis pariter litteris, in vertice caput Vulcani, pone quod forceps.

L. Cæsius qui denarium percussit, quo tempore vixerit, ignoratur; nisi sit is, cujus meminit *Cicero ep. 2. lib. 1. ad Q. Fratrem.* Erat cum M. Cæsio, de quo suprà, coetaneus, & ut Marcus Præturam gessit, anno 678/9. Lucium etiam Prætorem fuisse declarat hic denarius, qui compitalitios ludos curavisse arguit; in cujus memoriam deos Lares in eo exhibuit, quibus erant illi dicati. Compitalia, inquit *Varro*, dies attributus Laribus, ut alibi: „ ideò ubi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur: quot- „ annis is dies concipitur: his verbis ludos compitalitios ex viis „ Compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia esse appellata nos edocet. De his *Dion. Halicarnasseus lib.* 4. scribit, ea paucis post Saturnalia diebus celebrata fuisse, (nempe IV. Non. Maii) sacrificiumque ministrantibus servis peractum, addit, non ingenuos: sed servos ministrare voluit Tullius rex, quasi hoc gratius esset Laribus.

Lares erant dei domestici, pro ædibus, ut Penates. Vulcani caput super positum est, propterea quod in foco coluntur: eisque canis datur, quod Lar familiaris ab antiquis, teste *Plauto*, in canis figura efformabatur: de quo etiam *Plutarchus, in Problemat.* cur, inquit, Laribus, quos propriè Præstites vocant, canis „ assistit; ipsi autem canum pellibus vestiuntur. Cur verò in com- „ pitis, ludi Laribus dicati agitabantur, nos edocet *Arnobius*, „ quia Lares vicorum atque itinerum deos esse scribit; ex eo quòd „ Græci vicos cognominant Lauras. *Varro* autem addit, quin & „ quod Lares vicos, & compita servarent, in quorum honorem ludi

Compitalitii celebrabantur. Larium ædes Romæ erat Via Sacra, teſte *Solino*. Quidam & in campo Martio ab Æmilio Rhegillo Prætore dicatam alteram ſtatuunt.

A Prætore nempe L. Cæſio procurata Compitalia; in cujus memoriam denarium cudit, & non ad Auguſtum reſpexiſſe, probat *Gellii* locus, qui has Ferias quo modo Prætor concipiebat, nos edocet, nam ſcribit, *lib.* 10. *cap.* 24. Jus autem erit perpetuæ veterum conſuetudinis demonſtrandæ gratia, verba ſolemnia PRAET. ponere, quibus more majorum ferias concipere ſolet, quæ appellantur Compitalia. Adde quod marmora Auguſto dicata, alterum Volcano, in Tribunicia ejus poteſtate XIII. alterum Laribus in Trib. pot. XIX. erecta ſunt: & his temporibus non ampliùs denarii conſulares, ſed cum effigie Auguſti cudebantur.

Vejovis ſignum in anteriore parte exiſtimat *Urſinus*, & locum *Gellii* affert, *lib.* 5. *cap.* 12. „ Simulacrum igitur Vejovis, quod eſt in æde ſita inter arcem & Capitolium, ſagittas tenet, quæ ſunt videlicet paratæ ad nocendum: quippe eum deum plerique Apollinem eſſe dixerunt, quem denarius apertè demonſtrat ex litteris AP. id eſt Apollo, ut in averſa parte disjunctæ LA. & RE. licèt ſimul connexæ. An Apollinis caput ad Lares reſpicit, quod reſtituti ſint ex Apollinis reſponſo Ludi compitalitii à Tarquinio Superbo.

CA-

CALIDIA.

CALIDIAM gentem patriciam fuiſſe refert *Fulvius*, quùm Q. Calidius clarus Tribunus plebis, anno 654/5. lege ſua reditum Q. Metelli Numidici procuravit; uti qui per injuriam civitate pulſus fuerat, revocatus in integrum reſtitueretur. Alter etiam Cn. Calidius Cn. F. Tribunus fuit plebis, anno 672/3.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. Ex altera parte, M. CALID. Q. MET. CN. FOVL. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. equorum habenas.

Jam prodiit hic denarius in Gente Cæcilia ob cognomen Q. Metelli ad eam pertinens; ubi eum diximus Triumvirum monetalem fuiſſe cum M. Calidio. Hic verò fuit filius Q. Calidii Tribuni plebis, anno 654/5 de quo in proœmio diximus, & ipſe Tribunatum plebis geſſit, anno 672/3. unde plebeius & non patricius, ut opinatus eſt *Fulvius*. Prætor fuit, anno 696/7. cui *Cicero* gratias agit in *Oratione poſt reditum in Senatu*, his verbis: M. autem Calidius ſtatim deſignatus ſententia ſua, quàm eſſet chara ſibi mea ſalus, declaravit, & orator oratori favit; nam Calidius inter eos diſertus fuit, qui, teſte *eodem Cicerone*, non fuit unus ex multis, potiùs inter multos prope ſingularis. *Quinctilianus* autor eſt, *lib.* 10. *cap.* 1. M. Calidium tunc quoque pro domo Ciceronis dixiſſe, & orationem ſcripſiſſe; enarrat ille vim Cæſaris, indolem Cælii, ſubtilitatem Calidii. *Velleius lib.* 2. eum etiam inter celebres oratores adſcribit. Prætor Provincialis fuit, anno 697/8. illum Galliam Ciſalpinam rexiſſe, refert *Euſebius*; ad Cæſarem iviſſe cum Curione & Antonio, narrat *Oroſius*.



CALPURNIA.

CALPURNIA gens ab omnibus Scriptoribus inter plebeias numeratur, licet à Calpo Numæ Pompilii Regis filio duxerit originem, ut narrat *Plutarchus in vita Numæ* : unde *Ovidius ad Pisonem.*

Nam quid memorare necesse est,
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?

Hæc in familias Bestiarum, Bibulorum, Cæsenninorum, Pisonum, Frugi in antiquis divisa nummis reperitur, ordine alphabetico. *Bestia* videtur dictus, quòd vir acer dictus fuerit, teste *Cicerone.* Bestiæ autem, apud *Isidorum,* dicuntur à vi, qua sæviunt; lumen ut bibit oleum, id est, ardendo consumit, inde *Bibulus* cognomen dictum putant: *Cæsenninus* diminutivum ab altero cognomine *Cæso*; sed per adoptionem Pisonum familiæ. *Piso* à serendis optimè pisis. *Frugi* verò ob mores, nempe à frugalitate.

I.

PISO CAEPIO Q. id est, *Quæstores.* Caput Saturni, pone quod falx: ex aversa parte, AD FRV. EMV. EX S. C.

Hic denarius duo exhibet cognomina, primum Pisonis, ad Calpurniam gentem spectans; alterum Cæpionis, de quo in Servilia dicturi sumus. Non autem hic numerosam Calpurniæ gentis familiam ordine alphabetico, ut aliquando solemus in illis, sed ad Pisonum antiquiorem, cujus denarii nobis sunt superstites: hic Caius Piso cum Cn. Servilio Cæpione Quæsturam urbanam obtinuit, anno $^{508}_{9}$. qui quùm annonæ caritas extaret Romæ, Senatusconsulto missi sunt ad procurandum & emundum frumentum; ut fert epigraphe, AD FRV. EMV. EX S. C unde in rei memoriam hunc denarium cuderunt; in cujus aversa parte sedent inter spicas, ad frumenti copiam indicandam : in anteriore verò parte Saturnum, propter agriculturæ rationem, cujus ipse repertor

tor fuit, exhibuerunt. Falx Saturni ſymbolum; unde ab *Ovidio* Falcifer appellatur. Tridens, frumentum per mare tranſlatum arguit; Quæſtores verò ſedent, tamquam ad frumenti diſtributionem præſentes.

C. Piſo ex Quæſtura Urbana Tribunatum plebis adeptus eſt, an. $\frac{512.}{3}$ & poſteà nulli ipſius magiſtratus Hiſtoriæ penuria reperiuntur: Caium reliquit filium, cujus denarii non occurrunt, ſed ſequens hujus eſt nepotis.

II.

Caput triumphi laureatum, ante quod ſceptrum; in averſa parte, C. PISO C. F. C. N. Senator in quadrigis triumphalibus, d. equorum habenas, ſ. ſcipionem eburneum.

Ab avo ad nepotem deſcendimus, hic filius C. Piſonis Tribuni plebis, anno $\frac{536.}{7}$ perhibetur, ille verò quæſturam urbanam accepit, an. $\frac{558.}{9}$ Tribunatum plebis, an. $\frac{563.}{4}$ Prætor autem provincialis Hiſpaniam ulteriorem obtinuit, $\frac{567.}{8}$ prorogatum eſt ei imperium cum altero Prætore L. Quinctio Criſpino, $\frac{568.}{9}$ ubi tumultuario prælio fuſi ſunt, qui tacitè caſtra nocturna fuga reliquerunt; ſed reparato exercitu Hiſpanos ad Tagum atroci prælio ſuperarunt, quam ob rem anno ſequente decretus utrique triumphus, & de C. Piſone tradunt *Marmora Capitolina.*

C. CALPVRNIVS C. F. C. N. PROPR. AN. DLXIX. DLXX. *Varr.*
DE LVSITANEIS ET CELTIBEREIS. III. III. III.

In æternum ejus triumphi monimentum percuſſi ſunt à C. Piſone denarii; in anteriore cujus parte expreſſum eſt caput Triumphi, quem ut deum colebant Romani laurea coronatum, quia coronabantur hac triumphantes, & pro ſymbolo ſceptrum habet, quia victoria imperium acquiritur: ex altero latere C. Piſo quadrigis triumphalibus invehitur, ſcipionem eburneum, Prætorum & conſulum inſigne, in cujus apice eſt aquila, Imperii Romani ſymbolum.

Tandem C. Piſo conſulatum geſſit cum A. Poſthumio Albino, anno $\frac{578.}{9}$ utrique Senatus provinciam Ligures eſſe juſſit; ſed peſtis jam annum tertium Italiam vaſtans, Romæ, eo morbo correptus moritur. L. & Q. Calpurnios filios reliquit. De Lucio nulli

nulli decurrunt hactenus nummi, de Quinto ſequens.

III.

Caput Romæ galeatum: in averſâ parte, Q PISO C. F. in imo, ROMA. Dioſcuri aſtris inſigniti, decurrentes cum haſtis.

Q. Calpurnius Piſo filius fuit Caii, ut fert epigraphe, Q. PISO C. F. ſed natu minor. Is Quæſturam provincialem iniit, anno 603/4. in qua hunc denarium percuſſit Romæ, pro uſu provinciæ; in averſa cujus parte Caſtorem & Pollucem, ad indicandam fratrum concordiam, ut ſæpè fratres ſolebant, exhibuit. Tribunatum plebis poſteà geſſit, anno 608/9. Ædilitatem urbanam, an. 611/2. Præturam urbanam 613/4. & tandem conſulatum cum Ser. Fulvio Flacco, anno 618. Piſoni, Numantini & Hiſpania Citerior obvenit.

IV.

Caput Apollinis, pone tres globuli, ex averſo latere, L. PISO temo & ancora.

De hoc quadrante anxii, epigraphe L. PISO impulit, ut illum L. Piſoni C. Piſonis qui ſuprà de Luſitanis triumphavit nepoti, & cujus Q. Piſo jam deſcriptus, patruelis erat L. Piſonis patris ejus tribueremus, antequam ille *Frugi* cognomen accepiſſet, Quæſturam provincialem adeptus, anno 599/600. hunc nummulum percuſſit, in quo ab anteriore parte caput Apollinis, in memoriam C. Piſonis abavi, qui ludos Apollinares ſecundos edidit, anno 542/3. & poſteà perpetuò celebrati ſunt, & in poſtica temonem & ancoram, in memoriam victoriæ, quam avus C. alter Piſo de Celtiberis retulit ad Tagum.

Poſt Quæſturam, Tribunatum plebis geſſit L. Piſo, anno 604/5. quo legem de repetundis contra magiſtratum Rom. avaritiam rapacitatemque tulit. Præturam urbanam obtinuit, 613/4. provincialem ſortitus eſt Siciliam, 614/5. & pecuniæ reliquum, ad annonam comparandam, remiſit Romam, unde *Frugi* cognomen accepit. Deinde Conſul creatus eſt cum P. Mucio Scævola, anno 620/1. Piſoni Sicilia & bellum cum Fugitivis obtigit, ubi res proſperè geſſit ex *Julio Frontino, lib. 4. cap. 1.* ibique ob abſtinentiam *Vall. Maximus Frugi* cognomen adeptum refert, *lib. 4. cap. 3.*
deni-

denique Cenſor factus eſt cum Q. Cæcilio Metello Balearico, anno $^{633}_{4}$.

V.

Caput Jani barbatum : in parte poſtica, L. PISO FRVGI. Navis, ſupra quam Victoria, coronam prætendens.

Ad L. Piſonem Frugi ſuperioris filium, pertinere videtur hic nummus uncialis ſecundæ magnitudinis. Hic Quæſturam iniit provincialem, an. 630. & cognomen Frugi patri inditum aſſumpſit in aſſibus quos percuſſit. Victoria ſupra navim inſinuare videtur, quòd ille fuerit Q. Cæcilii Metelli conſulis qui hoc anno Baleares inſulas adortus expugnavit, in cujus memoriam Victoriæ ſignum appoſuiſſe videtur. Niſi velis in monimentum illius quam retulit in Sicilia pater illius dum conſulatum gereret.

VI.

Caput Jovis barbatum, pone quod littera S. id eſt *Semis*, in averſa, L PISO. FRVGI. Navis.

Ab eodem L. Piſone Frugi conſulis filio, hunc ſemiſſem percuſſum denotat eadem epigraphe, ac ſuperior L. PISO FRVGI. nam ut aſſes ad provinciæ uſum Quæſtor ſic ſemiſſes ſignavit. Ex Quæſtura Tribunatum plebis obtinuit, anno $^{530}_{1}$. Ædilis deinde plebis fuit, anno $^{638}_{9}$ urbanamque ſortitus eſt provinciam, anno $^{640}_{1}$. quo ludos Apollinares edidiſſe, & ipſis equorum decurſiones addidiſſe, denotant ſequentes ipſius filii denarii frequentes.

VII.

L. PISO· Caput Apollinis: in averſa parte, L. PISO. FRVGI. Equus deſultorius ſine ephippiis decurrens.

Fulvius hunc denarium & ſequentes, ad L. Piſonem L. F. Frugi conſulem cum P. Mucio Scævola, anno $^{620}_{1}$. revocat; de quo plura diximus ſuprà; quem in Quæſtura percuſſiſſe dicit in memoriam avi ſui C. Piſonis Prætoris, anno $^{534}_{2}$. quo referente ad Senatum ex *Livio*, ut Ludi Apollinares anteà votivi & incerti in perpetuum voverentur : ſed illi ex *eodem Autore*, ſcenici erant,

ut ex his verbis liquet. P. Sulpicio, Cn. Fulvio coss. C. Calpurnio Pisone Prætore urbis, facientes ludos quùm Romam subitò ad arma exiissent, nunciato adventu hostium, victoresque in theatrum rediissent solliciti, ne intermissi religionem adferrent, instaurandique essent, inventus ibi sit C. Pomponius libertinus, Mimus magnus natu qui ad tibicinem saltaret.

Epigraphe partis anterioris, L. PISO, pone caput Apollinis, L. & non C. Pisonem indicat, qui ludos Apollinares ediderit: ex aversa parte equus desultorius, non scenicos, sed equestres ludos arguit: itaque altera inscriptio, L. PISO FRVGI ex postica nos edocet, L. Pisonem Frugi hunc denarium in memoriam ludorum equestrium ludis Apollinaribus à patre L. Pisone institutorum; & is fuit L. Piso Frugi, L. Pisonis Frugi superioris filius.

VIII.

Caput Apollinis laureatum ut suprà, in area littera N. in aversa parte, L. PISO FRVGI. Desultor in equo currente, d. habenas, s. humero palmam, in vertice digamma inversum.

Ad memoriam Ludorum Apollinarium ob equorum cursum, à L. Pisone Prætore, anno 640. editorum spectat hic denarius à L. Pisone Frugi ejus filio percussus. In superiore quidem equus solus sine ephippiis decurrit, forsan ut in prima parte instituta decursione, & in hoc decursor apparet, ut à filio, dum Prætor fuit addita: hic eques palmam humero præfert, vel ob præmium relatum, vel ob equi nempe Victoris nomen: nemo enim nescit equos apud antiquos, ut hodie adhuc apud Principes viros, nomina tulisse. Littera N. videtur esse scalptoris nomen; ut digamma in aversa parte ejus forsan nota.

IX.

Caput idem Apollinis, pone quod tripus: in aversa parte, L. PISO FRVGI. CXXXXV. Idem eques cum palma.

Non differt hic denarius à superiore in aversa ejus parte, nisi quod in eo additæ sunt numerales litteræ CXXXXV. an denotent annos ab eo tempore quo ludi Apollinares primùm celebrati sunt, nempe Q. Fulvio Ap. Claudio coss. & P. Cornelio Sulla Prætore,

re, anno $^{541.}_{2}$ quibus ſi addideris annos 145. ibi notatos in annum devenies $^{686.}_{7}$ quo L. Piſo Frugi Prætor videtur fuiſſe ſicut ex ejus Ædilitate plebis, anno, $^{677.}_{8}$ colligere poſſumus; an verò ad numerum denariorum, qui ex eo typo percuſſi ſunt, ut aliquando retulimus? Tripus pone caput Apollinis, illius ſymbolum eſt, vel nota ſcalptoris.

X.

Caput idem Apollinis, pone quod ancora: in averſa parte, L. PISO L. F. FRVGI. Seſſor in equo, d. tridentem, ſ. equi habenas, in vertice tridens alter, ſupinus.

Tridentem, quem dextra erecta gerit decurſor, equi nomen ex aliis ſymbolis quæ diverſa præ manibus ferunt alii, deſignare ſuſpicamur; nam equi Neptuno ſacri ſunt, quod primus illos conſcendiſſe dicatur: inde equus ille videtur *Neptunus* fuiſſe cognominatus, & ideò ejus dei inſigne præfert: equi autem ita celeres, dicti ſunt alii Pegaſi, Volucres, Phœnices, Coraces, Aquilæ, imò & Ventoſi, ut notat *Ovidius*.

Primaque Ventoſis palma petetur equis.

Hoc eſt, juxta *Silium*, de equo idem Circenſi:

Et ventos poſt terga relinquit.

Tridens in vertice poteſt eſſe & inſigne Neptuni; ut ſupra tripus Apollinis ſymbolum, vel etiam nota ſcalptoris.

XI.

Caput idem Apollinis, pone quod bipennis, ante verò aſtrum: ex poſtico latere, L. PISO FRVGI. in imo, ROMA. Seſſor in equo, d. lampadem ardentem, ſ. equi habenas.

Tæda ardens equi nomen etiam indicare videtur, qui lucifer dictus ſit, ad quod alludit *Caſſiodorus in epiſt.* dum inquit, equi „ deſultorii ſunt, per quos Circenſium miniſtri miſſos denun- „ tiant exituros, ut *Luciferi* quadam in aſtris ſimilitudine præ- „ curſorias velocitates imitari videantur. Unde Luciferi nomen „ equo. Bipennis in anteriore parte ſcalptoris nota eſt, an aſtrum

ad Apollinem ſpectat, qui modò pro Sole ſumitur?

XII.

Caput Apollinis, ut ſuprà laureatum; ex averſa parte, L. PISO FRVGI. in imo, ROMA. Decurſor in equo, d. flagrum, in vertice, aquila.

Quùm nihil in nummis ſine cauſa ſignetur, aquilam in hujus area cuſam, equi nomen nobis indicare ſuſpicamur, à qua ille Aquila dictus ſit; Seſſor quidem, quùm d. avem non geſtare poſſet, ideò flagrum tenet, & aquila ſupra equum exhibetur. *Ill. Spanhemius Diſſ.* 3. ejus volucris nomen equum ferre refert ex veteri epigrammate.

Ὅπριν ἀελλοπέδων λάμπας πλέον ΑΙΕΤΟΣ ἵππων.

Plures alios denarios cum diverſis ejuſmodi ſymbolis, ut ad rem non omninò ſpectantibus, prætermiſimus.

XIII.

Caput Apollinis ut ſuprà, in altera parte, Q. PISO FRVGI. Victoria gradiens, d. ſubmiſſa, ſ. humero palma.

XIV.

Caput idem, pone quod cornucopiæ: epigraphe altero modo poſita, & eadem Victoria gradiens.

Victoriæ ſignum in utroque quinario ex averſa Apollinis parte percuſſum, non ad victoriæ quorumdam Piſonum memoriam ſpectare nobis videtur; ſed ad Apollinares ludos pertinere contendimus, ex *Livii* verbis de origine illorum, *lib.* 35. Hæc eſt „ origo, inquit ille, ludorum Apollinarium *Victoriæ*, non va„ letudinis ergo, ut plerique rentur, quod confirmat *Macrobius*, „ *lib.* 1. *Saturn. cap.* 17. Quùm ludi primo Romæ Apollini ce„ lebrárentur, repentino hoſtis adventu plebem ad arma excita„ tam hoſti occurriſſe, eoque tempore nubem ſagittarum in ad„ verſarios viſam ferri, & hoſtem fugaſſe, & *Victores* Romanos „ ad ſpectacula dei ſoſpitalis reduxiſſe. Cornucopiæ pone caput Apollinis in poſteriore quinario ſignatum, ſcalptoris nota videtur.

XV.

XV.

Caput Apollinis, pone quod palmæ ramus: ex averſa parte, C PISO L. F. FRVGI. Decurſor in equo, d. flagrum, ſ. equi habenas.

L. Piſoni patri ſuccedit C. Piſo Frugi, ut fert denarii hujus epigraphe, C. PISO L. F. FRVGI. Ille primus Ciceronis gener extitit & Tulliolam duxit, dum verò Quæſturam adeptus eſt, anno $\frac{695}{6}$ hunc denarium in ludorum Apollinarium ab avo editorum quibus equeſtres ut ſcenicos addiderat, memoriam percuſſit. Ideò Apollinis caput ab una parte & ſeſſorem in equo cum flagro exhibuit: ſed quùm ejus ſocer in judicium adductus eſſet à Clodio, in provinciam Bithyniæ & Ponti quam ſortitus erat, non ivit, ſed illi adfuit ad judices ſupplex, ut ipſe teſtatur *Tullius, in oratione quam reverſus ab exilio in Senatu* dixit, & C. Piſo juvenis paulò poſt reditum ſoceri mortuus eſt. Palmæ ramus, aut ad victoriam ludorum ſpectat, vel eſt ſcalptoris nota.

XVI.

Caput Romæ galeatum: ex averſa, CN. CALP. in imo, ROMA. Caſtor & Pollux decurrentes cum haſtis, in vertice ſtellæ.

Alia prodit Piſonum ſtirps, à *Frugi* diverſa; nam is Cneus Piſo appellatur, & in Faſtis L. F. L. N. dictus eſt, quippe patrem habuit L. Piſonem apud Achæos legatum, anno $\frac{555}{6}$ ex *Livio*, & avum L. Piſonem filium C. Piſonis hujus familiæ principis Quæſtoris, anno $\frac{512}{3}$ Cneus autem Calpurnius è Piſonum familia quod ſolus vocaretur Cneus, non ſe Piſonem appellavit & Quæſturam adeptus, $\frac{599}{600}$ hunc denarium percuſſit cum ſolito typo Romæ galeatæ & Caſtorum.

XVII.

Caput velatum & turritum, pone quod ROMA. in altera parte, CN. PISO COS. EX S. C. Conſul togatus in ſubſellio, d. extenſa, ſ. decempedam inter duas ſecures coronis ornatas.

Ad eumdem Cn. Calpurnium pertinet hic denarius cum epigraphe, CN. PISO: nam, ut ſuprà diximus, quùm primus Cnei prænomen ferret modò Cn Calpurnius, modò Cn Piſo appel-

latur ex Quæſtura Tribunatum plebis adeptus eſt, $^{604.}_{5}$ eodem anno, quo L. Piſo Frugi poſteà dictus legem de repetundis tulit, ut diximus, poſteà Ædilis plebis factus eſt, anno $^{607.}_{8}$ Prætor urbanus rerum capitalium quæſtionem ſortitus eſt, $^{6.0}_{1}$ Provincialis, anno $^{611.}_{2}$ & tandem conſul cum M. Popilio Lænate, anno $^{614.}_{5}$ Calpurnio Italia obtigit: at quùm eſſet pacata veteranis agros & diviſiſſe cum imperio ex s. c. denotat denarios, in cujus memoriam cuſus eſt hic denarius in ſuggeſtu ipſos alloquens, & agros aſſignans: adſunt faſces cum ſecuribus ad denotandam conſulis Romani potentiam, quibus ſuſpenduntur coronæ, ſtrenuè decertantibus diſtribuendæ, & ſecundùm quas veterani ampliora obtinent agrorum jugera: in anteriore Roma turribus ornata eſt, ut urbs metropolis, ex qua deducuntur coloniæ: nam milites debebant omnes eſſe Romani cives: cos. decempedam gerit, ad jugera unicuique metienda.

XVIII.

CN. PISO PROQ. Caput Numæ Regis diadema ornatum, ſupra quod NVMA legitur: in averſa parte, MAGN. PROCOS. id eſt Magni Proconſule. Navis.

Prodit alter Cn. Piſo, an ſuperioris nepos, ut ratio temporis innuere videtur, non omninò certum eſt, ut ut ſit Proquæſtore fuit Cn. Pompeii Magni in bello, quod is contra Piratas geſſit, anno $^{686.}_{7}$ de quo ait *Appianus* : „ Βιθυνίαν ϗ Θρᾴκην ϗ Προποντίδα ϗ τοῦ „ Πόντου στόμα Γνέος, & malè, Πούπλιος, ſcribit Πείσων. *Bithynia*, *Thracia*, *Propontis*, *os Ponti Cn. Piſoni.* In cujus memoriam Numæ gentis ſuæ autoris caput, ut diximus ſuprà, ex *Plutarcho*, ex anteriore parte, & navim Prætoriam ad arguendam claſſem ſuam expreſſit. Hoc autem bellum ſumma celeritate confectum eſt, Cn. Piſo Tribunatum plebis accepit, anno $^{693.}_{4}$

XIX.

C. ANTISTI. C. P. COS. Caput Cybelis velatum & turritum: ex averſo latere, CN. PISO CN. F. Ipſa dea, in curru à duobus leonibus tracto, d. ad pectus, ſ. tympano innixa.

Patri ſuccedit filius, Cn. Piſo, ut fert epigraphe, CN. F. Is ludos Megaleſios Ædilis plebis edidit cos. C. Antiſtio C. F. anno

no 722/3 in cujus memoriam hunc denarium percussit; in cujus anteriore parte Cybelem seu Matrem magnam, turribus ornatam, & ipsam à duobus leonibus in curru tractam; quod illi essent dicati: nam hac Pessinunte Romam allata ludi, ipsi in ejus honorem celebrati erant in templo μεγαλεσίῳ dicti, & ipsi in Urbem translati dicti Megalesii ceu Megalenses. Cn. verò Piso Consulatum obtinuit cum Augusto, anno 730/1 ut nos edocet *Lapis effossus* in cacumine montis Albani.

Cn. Calpurn. PISONE COS
. . . . IVL.
CAESAR IN MONTE FVIT
CAESAR COS. ABDICAVIT.
K NOV.
Cn. Calpurn. PISONE COLLEGA.
COS.

XX.

CN. PISO CN. F. III VIR AAA. F. F. Caput Numæ Pompilii, diademate insigne & barbatum: ex altera parte, CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Caput Augusti nudum.

Patrem sequitur filius; Cneus autem Piso, qui hunc nummum secundæ magnitudinis, filius fuit Cn. Pisonis suprà descripti, consulis anno 730/1 & ipse etiam consulatum obtinuit, ut infrà dicturi sumus: nunc Triumvir monetalis pro Senatu, ut indicat epigraphe, nota S. C. in sequentibus nummis. In hoc ut avus Cn. Piso iterùm caput Numæ exhibuit ad indicandam Calpurniorum originem, nempe à Calpo Numæ filio, ut jam protulimus, ex *Plutarcho, in vita Numæ*, & ex altera effigiem Augusti? nam hoc tempore Senatus, aut illius nomen, aut imaginem in nummis, quos cudi curabat, semper apponebat.

XXI.

CAESAR AVGVSTTS TRIBVNIC. POTEST. Caput Augusti nudum: ex altero latere, CN. PISO CN. F. III VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum, S. C. in area.

Ab eodem Cn. Pisone, ut Triumviro monetali Senatus percussus est hic nummus cum Augusti vultu; sed cum nota Senatusconsulti

consulti in area aversæ partis, nempe illius decreto, quùm ei in divisione cum Augusto monetæ, cessisset æreæ cudendæ potestas. In hac verò nova rerum administratione non ampliùs Jani bifrontis aut Jovis, vel aliorum deorum imagines, sed sola Augusti imago, vel illius, ut suprà diximus, nomen.

XXII.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. in laurea : ex altera parte, CN. PISO CN. F. III VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum, S. C. in area.

Pro Augusti effigie, illius nomen cum titulo Tribuniciæ potestatis, quam sibi assumpserat pro magistratu Tribuni plebis in perpetuum, ut sacrosancta ejus esset persona, inscriptum est in nummis secundæ magnitudinis, ut vocant *Antiquarii*, sed an ipsi pro semissibus prisci Reipublicæ temporis mutarentur, non ampliùs nota S. sed sola forma distincti, satis apparet, quùm etiam primæ, ut illi appellant, percutiuntur, qui pro assibus, & minimæ, qui pro quadrantibus exhiberi potuerunt.

XXIII.

OB CIVIS SERVATOS, in quercea corona, hinc & inde lauri ramus : ex aversa parte, CN. PISO CN. F. III VIR. A. A. A. F. F. circa ambitum, S. C. in area.

In hac nova monetæ æreæ Romanæ reformatione tres tantùm formæ sunt observatæ, primæ quidem cum Augusti effigie, sed hi nummi sunt rarissimi, & alii cum hoc lemmate, ambo cum S. C. nota in aversa eorum parte cum nomine Triumviri monetalis, qui mos: quùm observatus Reipublicæ imago, & Familiarum nomina in monetis adhuc permanserunt; sed paulatim & sub Augusti imperii finem ejus imago in anteriore parte, & S. C. nota cum ejus titulis in aversa prævaluit, & sub Tiberio tandem extincta sunt Familiarum in monetis nomina. De corona quercea quotannis Augusto ob cives servatos oblata, vide apud *Dionem*, *lib.* 54.

Cn. Piso legatus Augusti Procos. in Hispania fuit, anno ut videtur 751/2 posteà consul cum Tiberio II. anno 756/7 ab eodem Tiberio Syriæ præfectus, 769/70 successor Q Cretici Silani, homo violentus ingenio & obsequii ignarus, ob Germanici mortem veneficii in Senatu accusatus, sibimet mortem conscivit apud *Tacitum*, *lib.* 3.

XXIV.

XXIV.

CAESAR AVGVSTVS TR. POT. Caput Auguſti laureatum : in averſa parte, L. PISO CN. F. T. TAVRO AP. PVLCHRO II VIR. BOS.

Goltzius hunc nummum aſſignat L. Piſoni Cnei filio, qui tandem poſt magiſtratus ad conſulatum pervenit cum Coſſo Cornelio Lentulo, anno 752/3 an verò filius fuerit Cn. Piſonis qui conſulatum geſſit cum Auguſto, anno 730/1 & ſuperioris frater? ſi id ita fuerit, conſulatum geſſit ante fratrem, qui natu major videbatur ob Cnei prænomen; quod primogenito ferè ſemper imponebatur. Coloniæ deducendæ Triumvir extitit, cum Statilio Tauro & Appio Claudio; ut ex nummo apparet, quem in colonia percuſſerunt, ad indicandum illi ab Auguſto poteſtatem monetæ cudendæ conceſſam fuiſſe : ſed quùm plurimæ ab Auguſto conditæ ſint, quænam illa fuerit, ignoratur. L. verò hunc Piſonem fuiſſe Augurem refert *Goltzius*; an ille fuerit, qui accuſatus à Tiberio majeſtatis, opportuna morte, ne perageretur, evaſit? Vide *Tacitum, lib.* 4.

XXV.

Caput Jovis barbatum & laureatum ſub quo fulmen. EX S. C. per tranſverſum : in averſa parte, L. PISO L. F. CAESONIN. L. DOLABELLA. Templum quatuor columnarum in conum deſinens, intra quod viſitur porta.

Ne Piſonum familiam citò deſereremus, hîc in eam adoptatum Cæſoninum adjecimus. L. autem Calpurnius Piſo qui Proprætore de Luſitanis triumphaverat, anno 569/70 ut ſuprà diximus, quemdam ex obſcura Cæſonia familia in ſuam celebrem adoptavit, qui dictus eſt L. PISO CAESONINVS. Hic filium habuit L. Calpurnium Piſonem conſulem, anno 641/2 cujus eſt filius L. noſter Piſo Cæſoninus, qui hunc denarium percuſſit, quùm eſſet Duumvir. Sacris reficiendis ædibus cum L. Dolabella, ob reſtauratum Jovis templum, cujus imaginem & fani iconem in rei memoriam expreſſit : ſed quis cognomine Jupiter ille ſit, non facilè eſt pronunciare, quùm tot Joves Romæ colerentur, niſi dicamus fuiſſe Capitolinum. Adeſt nota, S. C. quod templum ſit Senatuſconſulto reſarcitum.

XXVI.

Caput Jovis barbatum & laureatum : in averſa parte, L. CAESONINVS C. IVNI. SILANVS EX S. C. Sella curulis, ſupra quod fulmen.

Ad eumdem L. Piſonem Cæſoninum ſpectat hic alter denarius: ſella curulis eum, quùm eſſet cum C. Junio Silano Ædilis, cujus magiſtratus illa inſigne eſt, cudiſſe denotat. C. Junium Silanum appellat Ædilitium *Cicero, in Cluentiana.* Quo anno non notat, ſed verſus $^{678.}_{9}$ quo etiam cum eo L. Cæſoninus Ædilis fuit, cujus Urbanam Præturam, anno $^{692.}_{3}$ colligimus ex *eodem Oratore, in Invectiva contra eum,* his verbis : Præturam nomini ac majoribus non ,, virtutibus eſſe delatam. Provincialem obtinuit anno ſequente, ex qua redux repetundarum accuſatus eſt à P. Clodio, ſed Julii Cæſaris, cujus erat ſocer, tunc Conſulis gratia abſolutus ; qui illum ad conſulatum evexit, anno $^{695.}_{6}$ & deinde Proconſul Macedoniam avarè geſſit, anno $^{697.}_{8}$ ut idem *Cicero in Oratione ad Senatum de mutat. Prov. Conſularium.*

Fulmen ſellæ curuli ſuperpoſitum indicat, uti caput Jovis, ludos magnos, in ejus honorem cui erant dicati celebratos fuiſſe ex Senatuſconſulto; quemadmodum nota S. C in anteriore denarii parte expreſſa.

XXVII.

Caput Romæ galeatum, pone quod BESTIA : ex altera parte, L. CALPVRNI. in imo, ROMA. Caſtor & Pollux decurrentes cum haſtis & ſtellis ſupra capita.

L. Calpurnius Beſtia qui hunc denarium percuſſit, in *Faſtis Capitolinis* dicitur L. filius C. nepos, & ideò fuiſſe videtur adoptione frater L. Piſonis Cæſonini filii illius qui adoptatus erat à C. Piſone qui Propr. de Luſitanis triumphavit, & ſic patruus L. Cæſonini cujus duos ſuprà denarios protulimus, quare cum Cæſoninis collocavimus. Hic Quæſturam iniit, anno $^{626.}_{7}$ quo hunc denarium percuſſit cum capite Romæ & Caſtore Polluceque fratribus ad arguendam ſuam cum L. Cæſonino fratre concordiam.

Vir acer teſte *Cicerone*, unde illi Beſtiæ nomen. Tribunatum plebis adeptus eſt, anno $^{631.}_{2}$ quo rogatione ſua P. Popilium Læna-

natem Consularem ante biennium urbe expulsum restituit. Prætor fuit Provincialis, anno 638./9 & tandem Consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, anno 642./3 Calpurnio decreta est Numidia provincia & bellum Jugurthæ indixit, de quo vide *Sallustium.* Ipse *Cæsar Bell. Civil. lib.* 3. refert Bibulum iracundia summa fuisse atque habuisse secum privatas inimicitias ex Ædilitate & Prætura conceptas. Missus est hoc anno in Pelignos in quarta regione Italiæ populos Bibulus Prætor, ut novos motus ex Catilinaria conjuratione suscitatos à Marcellis patre & filio per L. Vectium proditos comprimeret, ut *Orosius* narrat *lib. 6. cap. 6.* sed denarius rem feliciter gessisse & Imperatoris titulum senatusconsulto obtinuisse nos edocet: in cujus memoriam ille percussus est cum capite Libertatis ab eo vindicatæ, & in aversa parte expressa est sella curulis insigne prætoris, sub qua sunt Pontificalia vasa, eum Pontificem etiam esse indicantia. De Servio Sulpitio Rufo Triumviro in gente Sulpitia dicetur.

XXVIII.

BIBULUS. Capita Jovis, & ut videtur Neptuni jugata: in latere averso, M. CALPURN. L. F. Delphin insistens tridenti, supra caput ejus lauri ramus.

M. Bibulus non modò Ædilitatem Præturamque cum Julio Cæsare gessit, sed tandem consulatum, anno 694./5 provinciamque illi sorte concessam omisisse innuit *Cicero, in orat. pro Domo sua.* & tandem Procos. ex S. C. & lege Pompeia Syriam obtinuisse, anno 702./3 in quam seriùs, mense scilicet Octobri, venit & Romam rediit, anno 703./4 At quùm civile bellum inter Cæsarem & Pompeium exarsisset, anno 704./5 provinciis extra ordinem ex S. C. decretis, Bibulus oræ maritimæ præfectus est, & sub eo legati præfectique plurimi fuere: ideò in denario tridens & Delphin maris, imperium designantes exhibentur. Lauri ramus ad victoriam aliquam jam antea in terra partam, aut in mari brevi obtinendam spectat. Capita Jovis qui jam Bibulo contra Pelignos faverat, & Neptuni maris supremi dei tamquam ejus tutatoris expressa sunt: sed Bibulus laboribus in mari & miseriis absumptus paulò pòst obiit, reique navalis administratio ad Libonem devenit.

XXIX.

M. ANT. IMP. TER. COS. DES. TER. III. VIR. R. P. C. Caput M. Antonii Triumviri, L. BIBVLVS PRAEF. CLAS. Navis cum remis.

L. Bibulus M. Bibuli, rei maritimæ contra Julium Cæsarem pro Republica præfecti filius, fuit, Bruti & Cassii partes contra Triumviros sequutus est, sed post prælium Philippense impetrata venia in gratiam receptus est cum Messala, ut refert *Appianus, de Bell. Civ. lib.* 4. deinde Antonio adhæsit, qui illum tandem uni ex classibus præfecit: cujus rei memor plurimos nummos percussit, in quibus M. Antonii effigiem expressit; quùm jam tertium esset Imperator appellatus post Armeniam captam, & consulatum gessisset secundum, & designatus esset tertium, ut per quatuor annos Antonius & Cæsar consulatus disposuerant: in aversa se præfectum classis nominat, ideò navim cum remis percussit.

XXX.

Eadem epigraphe circa capita M. Antonii & Cleopatræ Reginæ jugata: in aversa idem typus & inscriptio.

Hunc & superiorem nummum in *Ursino* mutilum resarcimus ex integrioribus, quos in *nostra de Ptolemæis Ægypti Regibus Historia* vulgavimus. Antonius ita Cleopatræ amoribus erat detentus, ut neglecta Octavia uxore Octaviani Cæsaris sorore, hanc Reginam in nummis suis signari voluerit; quas effigies L. Bibulus Triumviro blandiens expressit.

XXXI.

M. ANT. IMP. III. COS. DESIG. TER. III VIR. R. P. C. Capita adversa Antonii & Cleopatræ, ex altera parte, L. BIBVLVS M. F. PROC. SIC. Navis cum velo & remis.

Insignis est hic nummus qui, quùm superiores nummi L. Bibulum appellaverint Præfectum classis, illum Proc. Siciliæ nominat cum ejusdem navis symbolo; & sic nobis aperit arcanum Triquetræ in nummo Oppii Capitonis etiam Procos. Siciliæ, signato nempe Panormi, cujus erat symbolum; ut in *nostro de Græcis urbibus*, in Augusto retulimus, confirmatque locum *Dionis* ita alloquentis de Antonio *lib.* 54. *Denique quanta tandem portio Sicilia*

lia est nostri Imperii. Præterire tamen non possumus similem ferè nummum in *nostra Regum Ægypti* quem infrà protulimus, PRO. SIC. quam vocem PRO. explicuimus Proprætore, sed regius nummus constanter habet PROC. & ita Proconsul Bibulus Siciliam seu ejus partem sub Antonii nomine administrabat, ubi erat Antonii etiam navale.

Bibulus ex Sicilia ad Syriam gubernandam missus est, de quo inquit *Appianus*, *Bell. Civ.* 4. Bibulus classi præfectus ab Antonio, copias ejus transvexit contra Cæsarem, acceptaque ab illo Syria provincia, in ea mortuus est: id autem accidit circa pugnam Actiacam.

Observandum est nos duos *Ursini* denarios M. Pisonis, M. F. qui adoptione in Pupiam gentem transiit, in eam transportasse; de quibus suo loco.



CALVISIA.

CALVISIA gens Plebeia, ſed conſularis, C. Calviſius gentis princeps fuit Tribunus plebis, anno 699. eorum nomen à calvitie deſumptum videtur, & cognomen Sabinus quòd inter Sabinos originem duxerit.

I.

Capita jugatâ Caſtoris & Pollucis, pileis ornata, SABINVS, in averſa parte ipſi aſtris inſigniti decurrentes in equis, C. CALVISIVS C. F.

Calviſius novus homo videtur, ex Sabinis oriundus, quem magni judicii hominem vocat *Cicero ep. ad Plancum.* Primò Quæſturam geſſit, anno 694. Tribunatum plebis, anno 699. Præturam urbanam, anno 701. Proprætore Bithyniam & Pontum ex S. C. & lege Pompeia obtinuit, anno 704. cum Pharnace Mithridatis regis filio bellum geſſit, quo tempore Cæſar & Pompeius in Pharſalicis campis decertabant, teſte *App. in Mithrid.* Africam Proc. cum Imperio obtinuit, anno 710. Conſulatum iniit cum L. Marcio Cenſorino, anno 714. Præfectus fuit claſſis Cæſarianæ, anno 715. & ſub ſe T. Statilium Taurum Sex. Pompeium, & Sex. Libonem Menam legatos habuit apud *Oroſium.*

Caſtor & Pollux fratres gemini erant Jovis ex Leda ſub Cygni forma compreſſa filii, quos colebant præcipuè Sabini, ut innuit his verbis *Varro, lib.* 4. ut Græci Διόσκυρον, & putabant „ hunc eſſe Sanctum ab Sabina lingua : unde eos, ut Sabinus in denariis expreſſit Calviſius, niſi dixeris, eos in ludorum Circenſium memoriam ab illo editos : nam *Iſidorus lib.* x. agens de illis „ Itaque, „ inquit, Caſtori & Polluci deputantur hæ ludorum ſpecies, quibus à Mercurio equos diſtributos hiſtoriæ docent : quod confirmare videntur ipſi adhuc in equis; aſtris verò inſigniuntur, ob felix augurium navigantibus, ſi ſtellæ eorum apparerent.

II.

II.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica, hinc & inde lauri ramus: in aversa parte, C. CALVISIVS C. F. III VIR. A. A. A. F. F. in area, S. C.

Hic nummus ad C. Calvisium Sabinum superioris C. Calvisii consularis filium spectat; nempe qùm pater ejus consulatum gesserit, anno 714/5. filius Triumvir fuit monetalis Senatus sub Augusto, postquam hic ut sparsim diximus, ipsi monetam æream signandam in partitione provinciarum reliquisset, anno 726/7. Corona quercea quotannis offerebatur Kal. Martiis Augusto, tamquam civium servatori: & lauri ante ipsius domum in palatio, tamquam hostium victori, perpetuò ponebantur; idcircò omnes Triumviri monetales quotannis in rei memoriam eumdem typum pro moneta cum nomine suo. Caius verò Calvisius filius consulatum etiam obtinuit cum L. Passieno Rufo, anno 749/50. reliquitque filium ejusdem nominis consulem, anno 778.



CANIDIA.

CANIDIA gens plebeia, ſed conſularis, cognomine CRASSUS à corporis habitu, & nomen an non à canitie; ut ſuprà Calviſius à calvitie.

Caput Apollinis, CELER. in averſa parte cornucopiæ, cui alligatus eſt caduceus per medium quaſi decuſſatim, in imo globus, P. CANIDI. P. F. CRASS. Q. METEL.

Nummi duarum Familiarum nomina præferentes ſæpè in qualibet familia reponuntur; quare hic denarius jam in Cæcilia gente prodiit num. 35. ſub Q. Metello Celere: nunc de illius collega P. Canidio P. filio Craſſo dicendum. Ejus familia aut latuit, aut non multùm illuſtris fuit. M. Canidium reperimus Proquæſtore Catonis in Cypro bona Ptolemæi regis ſub haſta venundantis, & nihil de illo ampliùs; nec de P. Canidio patre ejus qui denarium hunc cudit. Hic verò per magiſtratus honores ad conſulatum aſcendit, illum Quæſtorem Urbanum nominat *Pighius*, anno $^{701.}_{2}$ cum Q. Metello Celere; quis ſuſpicatur denarium hunc percuſſiſſe in hoc Quæſtorio collegio, cum Apollinis capite & Pacis notas præ ſe ferente, cornu ſcilicet copiæ & caduceum; ſed pace tanti Viri duo Quæſtores ſua nomina in eodem denario non ſolent apponere, & ſi idem factum exhibent, illud in unoquoque ſuo ſeparatim ſignant. At potiùs hunc denarium cum capite Apollinis Ludos Apollinares deſignare putamus, quos Canidius & Metellus Prætores fecerint, anno $^{708.}_{9}$ quo à Julio Cæſare devictis in Hiſpania Pompeii liberis, pax per totum orbem Romanum eluxit; quæ deſignatur per globum & caduceum & cornucopiæ, ut ſimiles denarii in Muſſidia gente cum capite ipſius Cæſaris ſunt percuſſi. Non autem refragatur temporis ratio: nam P. Canidius inter Tribunos plebis, an. $^{706.}_{7}$ recenſetur, & duobus annis poſteà Prætor renuntiatus eſt, quùm hoc tempore 14. facti ſint. Poſteà conſul ſuffectus eſt Aſinio Pollioni, an. $^{713.}_{4}$ Proc. legatus M. Antonii in eam miſſus, an. $^{714.}_{5}$ eam ſubjugavit. Terreſtres Antonii copias ad Actiacam pugnam ducebat, an. $^{723.}_{4}$ quas deſeruit, & ad eum Alexandriam profugit; eum Cæſar capta Alexandria anno 724. occidi juſſit.

CA-



CANINIA.

CANINIA gens plebeia, ſed conſularis, duobus diſtincta cognominibus, nempe Galli, qui à candore ut ſparſim diximus, dicti; alii Rebili, an verò à voce rebilis & rebile quod opinabile eſt? Nomen Caninii à dentibus caninis ſupereminentibus derivant.

I.

Caput Veneris: in averſa parte, C. CANINI. REBILVS IIII.

C. Caninius Rebilus filius fuit C. Rebili Prætoris Siciliæ, anno $^{682.}_{3}$ Quæſturam accepit, anno $^{694.}_{5}$ eodem tempore quo Lucius frater: ambo Tribunatum plebis geſſerunt, anno $^{700.}_{1}$ Deinde videtur factus Quartumvir à Julio Cæſare; quùm hunc magiſtratum ex trium numero ad quatuor ampliaſſet, ut indicat denarii inſcriptio IIIIVIR. Quare Caninius, ut Julio Cæſari blandiretur, caput Veneris, ex qua originem per Julium Æneæ filium trahere ſe gloriabatur, expreſſit: tripus autem ob id referri videtur ad ejus Pontificatum maximum.

C. Caninius conſul fuit, anno $^{708.}_{9}$ ſuffectus C. Trebonio, in magiſtratu mortuo, qui cum C. Fabio Maximo etiam ſuffecti fuerant C. Julio Cæſari IIII. initio anni ſine collega facto: ſed Caninius Rebilus uno die tantùm conſul fuit, quùm feſtinarentur belli civilis præmia. Quod Cicero cavillatus, tanta virtute ac vigilantia conſulem in ſuo magiſtratu uſum dixit, ut ne breviſſimum in eo ſomnum admiſerit, ex *Dione, lib.* 43.

II.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. In corona quercea, C. CANINIVS REBILVS III VIR AAA. F. F. in area, S. C.

A patre ad filium deſcendimus, de quo pauca ſunt apud *Hiſtoriæ Scriptores*: hic tamen nummus æreæ formæ Triumvirum monetalem Senatus ſub Auguſto fuiſſe: ſæpè autem diximus monetam Romæ ſignandam fuiſſe diviſam inter Auguſtum

& Senatum; Augustus verò sibi auream & argenteam retinuisse, ed æream Senatui permisisse, ita ut tamen cum sua effigie & suo nomine cuderetur cum autoritate Senatus; cujus ad Galienum usque perpetua fuit nota, S. C. Ab omnibus Triumviris monetalibus sub Augusto corona ex quercu in nummis formæ mediæ, quæ ob civem servatum concedebatur, signata est, quod hæc quotannis Kal. Martiis ei proferebatur. Caninius Rebilus tandem consul suffectus est C. Valgio qui abdicaverat, & ipse suffectus erat, M. Valerio Messalæ Barbato in magisterio mortuo, anno $^{714}_{5}$ quod etiam accidit Caninio Rebilo, qui in magistratu vita functus est: illius consularis pecunias ad Ludos oblatas recusasse Jul. Græcinum scribit *Seneca. de Benef. l. 9. c. 21.*

III.

Capita Julii & Augusti laureata, L. LAMIA L. F. in aversa, Sella curulis cui superposita sunt duo astra, à dextris simpulum, à sinistris lituus, C. CANINI. L. F. GALLVS.

Duo nomina in denario inscripta ut bis recenseantur, postulant; jam de Lamia in gente Ælia diximus, num. 10. nunc superest, ut de C. Caninio Gallo agamus. Hic cum L. Lamia videtur fuisse Triumvir sacris conquirendis & donis persequendis apud *Livium* recensitis, *lib.* 25. nempe anno $^{725}_{6}$ quo sella curulis posita est in sacrario Julii, de quo *Dio*, *lib.* 51. Julii quoque patris sacrarium multis in eo suspensis donariis ex præda Ægyptiaca exornavit: sella curulis in ejus memoriam in denario cusa est. Duo astra, alterum est Veneris, in cujus templo Julii sacrarium erat, alterum ad eum spectat, sicut ad ejus Pontificatum Maximum simpulum & lituus. Capita Julii & Augusti in rei memoriam percussa sunt.

C. Caninius Gallus videtur fuisse L. Caninii Galli consulis, an. $^{717}_{8}$ qui reliquit duos filios.

IV.

AVGVSTVS caput Augusti, L. CANINIVS GALLVS III VIR. Parthus genuflexus, d. signum militare.

Ad L. Caninium Caii Caninii superioris fratrem spectat denarius, qui eum Triumvirum monetalem sub Augusto, cujus caput

put in illius anteriore parte exhibuit. Nominat is Parthum ſupplicem cum ſigno militari præ ſe fert in memoriam eorum quæ Auguſto remiſit Phrahates Parthorum rex, an. 734. Veritus, inquit *Dio*, ne bello impeteretur, ſigna ei militaria, & captivos omnes remiſit. Itaque & ſacrificia ejus rei cauſa & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, qua ſigna ea militaria ſuſpenderentur, decerni juſſit, ac deinde perfecit: qua de re ejus monetarii Parthum genuflexum ſignum militare gerentem, expreſſerunt, ut videre eſt in Aquilia & Petronia, de quo *Ovidius, lib. 2. Triſt.*

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timida captaque ſigna manu.

V.

AVGVSTVS. Caput Auguſti. L. CANINIVS GALLVS III VIR. menſa ſeu lectiſternium.

Eodem anno, quo ſuperior cuſus eſt denarius, & hic ſignatus à L. Caninio Gallo: nam Triumviratus monetalis ut erat inter magiſtratus minores, quotannis, ut alii, mutabatur: itaque quidquid ipſo anno illuſtrius ad honorem Auguſti ſpectabat, in denariis exprimebatur. *Urſinus* inquit; Prætorium verò tabernaculum, quod eſt in ſecundo denario ſignatum, oppidi alicujus oppugnationem ſub eodem Auguſto deſignat. Sed *Dio* hoc anno loquens de Auguſto nullum bellum attigit, Caninius autem Romæ erat monetalis Triumvir, nec prætorium tabernaculum, id eſt, tentorium ita depingi nequit; ſed menſa ſeu lectiſternium eſſe videtur, pro epulo Jovis, quod Idibus Novembris in Kalendario Rom. quotannis celebrabatur à Septemviris Epulonum; è quorum numero Caninius erat: in cujus rei memoriam menſam ſeu lectiſternium in denario expreſſit.

VI.

ROMAE ET IMPERIO. Caput muliebre turritum: in averſa parte, L. CAN. AGRIPPA II VIR. Victoria ſtans, d. coronam, ſ. palmæ ramum.

Prodit L. Caninius, ſed vario cognomine, nempe Agrippa,

attamen prænomen Lucii ab eo originem duxisse innuit, quia Duumviratus Corinthii præcipua quædam dignitas fuit, quod eo munere honestati non renuerint Augustus & Tiberius, ut jam *Seguinus* probavit, *Sel. num. pag.* 79. at ex nummo à nobis allato in *lib. Colon. pag.* 185. ipsi L. CAN. AGRIPPAE II VIR. dicato à Corinthiis sub Galbæ nomine, illum Romæ honoris causa tantùm Duumviratum Corinthi gessisse, auguramur; quod confirmare videtur caput ipsius Romæ tamquam coloniæ Corinthi matris & imperii expressum. De L. Caninio Agrippa apud *Historiæ Scriptores* altum quidem silentium.

CA.



CARISIA.

Carisia gens à nullo veterum Scriptorum, inquit *Ursinus*, quod ſciam, nominatur; præterquam à *Dione*, qui *lib.* 53. & 54. facit mentionem T. Cariſii: ſed addere potuiſſet *Florum* & *Oroſium*. An nomen à voce antiqua cariſſa, quod *vafrum* & *litigioſum* appellabant, deſumptum eſt?

I.

Caput Victoriæ cum alis: in averſa parte Victoria in bigis, d. coronam, ſ. habenas. T. CARISI.

II.

Caput idem Victoriæ cum alis: pone S. C. in averſa parte Victoria in quadrigis, d. coronam, ſ. equorum habenas.

Horum denariorum formæ & typi ætatem antiquiorem quam Titi Cariſii fratris Publii Cariſii redolentes, ut illos ad eorum patrem revocemus, impellunt: nam ſub Auguſto, cujus erat Titus Triumvir monetalis, & Publius, ejus in Hiſpania legatus, non amplius denarii ob bigas equorum in iis ſignatas, bigati nuncupati; ut alii ob quadrigas etiam quadrigati, ut Reipublicæ florentis tempore, cudebantur. Victoriæ ſimulacrum aliquam victoriam, dum Titus ille Cariſius erat pro Quæſtore, relatam denotat.

III.

Caput Romæ, pone quod vox ROMA: in averſa parte, T. CARIS. Decempeda, globus, cornucopiæ & temo in laurea.

Denarius hic ad T. Cariſium patrem ſuperioris ſpectare haud dubiè confirmat: nam ejus typus eadem ferè ſymbola, quæ Muſſidius in Julii Cæſaris Quatuorviri honorem exhibuit, profert: nam per globum denotat terrarum orbem, per temonem maritimum imperium; per cornucopiæ, abundantiam rerum omnium; per decempedam, veteranis agrorum diviſionem:

nem: hæc omnia in laurea, id eſt per Julii Cæſaris victorias parta.

IV.

T. CARISIVS. Caput Fauni, ut videtur: in averſa parte Tigris, pede ſiniſtro gerit Bacchi thyrſum.

Quos cudit in Quæſtura denarios Cariſius, protulimus; nunc prodeunt in ejus Ædilitate ſignati. Caput illud Fauni eſſe videtur ad Liberalia ſpectans Bacchique ludos; cujus ſymbolum eſt tigris, ejus præcipuè thyrſum gerens. De his *Cicero ad Cornificium*, „ *lib.* 12. Liberalibus, inquit, accepi litteras tuas, ſed *Act.* 7. „ *in Verrem*, Ædilitatis munus explicat. Nunc ſum deſignatus Ædilis, habeo rationem, quod à populo Romano acceperim, mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque mihi faciendos: Liberalia autem celebrabantur ex Kalendario Romano XVI. Kal. Aprilis, & hoc die toga libera adoleſcentibus pueritiam aggreſſis dabatur, ut innuit *Ovidius*.

Reſtat ut inveniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris candide Bacche tuis.

V.

CAESAR AVG. TRIB. POTEST. Caput Auguſti: ex averſa parte, P. CARISIVS LEG. AVGVSTI. in area.

P. Cariſius perperam in *Dione* Titus appellatus, ſe legatum Auguſti nominat. Hic fuit L. Cariſii filius qui ſuperiores denarios cudit, Præturam Urbanam geſſit, anno $^{722}_{3}$ & quùm Antonii Triumviri bellum premeret quinquennio pòſt ex lege Auguſti provinciam Luſitaniam obtinuit, an. $^{728}_{9}$ At quùm Cantabri & Aſtures rebellaſſent (hi quidem propter faſtum ac crudelitatem Cariſii) Auguſtus bellum contra eos ſuſcepit: nam jam Hiſpaniam anno $^{726}_{7}$ ordinaverat, & in tres diviſerat provincias, ex *Dione*, Bæticam P. Romano conceſſerat, Tarraconem & Luſitaniam accepit. Priori Antiſtium veterem conſularem præfecit, poſteriori verò Prætorium P. Cariſium, ideò in nummis ſe Auguſti legatum inſcribit.

VI.

IMP. CAESAR AVGVST. Caput Augusti : in postica parte, P. CARISIVS LEG. PRO PR. Galea depressa, inter gladium Hispanicum & bipennem.

Quùm Augustus in Hispaniam Cantabros & Astures domiturus venisset, Tarracone morbo detentus est, & Carisio Furnius in subsidium missus, de quo ait *Dio*, *lib.* 54. „ Verùm hunc longè alium utrique experti sunt, quùm auxilio veniens, acie utrosque victos in servitutem redigeret. „ In cujus memoriam ex una „ parte Augustum cum titulo Imperatoris, & ex altera arma, quibus utebantur Cantabri, expressit; nempe gladium acutum, & galeam integram quibus faciem tegebant, cum bipenne quam etiam gerebant.

VII.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum: ex altera hasta, clypeus, & acinacis brevis, P. CARISIVS LEG. PRO PR.

Carisius ut Cantabros esse graves hostes & bellicosos ob varia generum arma quibus in bello utebantur, significaret, illa in denariis expressit: hic exhibet hastam, clypeum parvum, & brevem acinacem incurvum, de quibus *Lucanus lib.* 6.

Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

Unde *Horatius* ut Cantabri erant timendi denotat, *lib.* 1. *ep.* 19.

Militiam puer & Cantabrica bella tulisti.

VIII.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti, P. CARISIVS LEG. PRO PR Trophæum cum armorum spoliis.

Cantabros & Astures devictos trophæum, diverso armorum genere, nempe spiculis, clypeis & hastis ornatum denotat, nam iis prælio devictis Carisius ut narrat *Dio, lib.* 53. Lanciam quæ est maxima Asturiæ urbs, desertam occupavit, multaque alia in potestatem redegit : itaque finito hoc bello trophæum erectum, ut indicat denarius.

IX.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augufti : ex averfa parte trophæum, cui Victoria coronam imponit, P. CARISIVS LEG. PRO PR.

Trophæa in nummis exarata, femper facta funt ex trunco arboris, cui pars altera per medium alligatur, & ad effigiem crucis, quibus arma & fpolia hoftium appenduntur; & quando per aliquam victoriam barbari funt debellati, Victoria ipfa ex variis eorum armis trophæum adornans exprimitur, ut denotat denarius hic argenteus.

X.

AVGVST. Caput Augufti laureatum : ex averfa parte, P. CARISIVS LEG. Victoria coronam imponens trophæo.

Quinarius alter eft ut fuperior à P. Carifio in Hifpania cufus : nam legati Proprætore monetam ad exercitus ufum fignare folebant, præfertim qùm in provincia quam adminiftrabant, bellum erat exortum : unde Carifius denarios pro decem affibus, & pro militis quotidiano ftipendio, ut & quinarios pro dimidia denarii parte, nempe quinque affibus ad publicam commoditatem fignari juffit. Altera fola epigraphe ab altero differt, nam caput Augufti modò laureatum, modò fine laurea, pro fcalptoris libito exhibetur.

XI.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augufti nudum : ex averfa parte, P. CARISIVS LEG. PRO PR. Porta urbis cum duobus fornicibus, fupra periftylium, EMERITA.

XII.

IMP. CAESAR TRIBVN. POTEST. Caput idem & typus idem ex averfa.

Dio mirè illuftrat duos illos nummos, priorem argenteum, alterum æreum; nam *libro* 53. „ finito bello Cantabrico, Au-„ guftus emeritos milites exautoravit, urbemque eos in Lufi-„ tania, Auguftam Emeritam nomine condere juffit iis, qui mili-

militari etiamnum erant ætate. In æternum cujus monumentum P. Carisius prospectum portæ urbis Emeritæ in nummis utriusque metalli, & variæ formæ expressit; unde biennio in Provincia moratum fuisse auguramur: posteà ipsi Cantabri ob absentiam Augusti iterùm rebellarunt, sed iterùm perdomiti sunt. Vide quæ de colonia Emerita in *nostro Coloniarum libro* diximus *pag.* 51.

XIII.

Caput Sibyllæ Phrygiæ seu Hellespontica: in aversa parte, T. CARISIVS III· VIR. Sphinx alata.

Disertè Ill. *Spanhemius* caput muliebre in denario Carisiæ gentis expressum, de quo silet *Ursinus*, Sibyllam Phrygiam exhibere ex *Phlegontis* verbis apud *Stephanum*, in verbo Γέργις, nos edocuit, de qua hic autor, à quo Gergithia Sibylla oracu- ,, lorum interpres, cujus imago in Gergithiorum numismate, ,, ipsa & Sphinx. Gergis autem erat Troadis urbs, ex qua erat oriunda Sibylla, cujus libri fuere apud Romanos magna in veneratione, atque à Decemviris ad id institutis consuli soliti: Titus verò Carisius Titi F. & P. Carisii frater, Augusti monetalis ad id respexisse videtur, quod narrat *Suetonius* ex ipso Imperatore cremavisse illum supra duo millia librorum fatidicorum, ,, ac solos retinuisse Sibyllinos, hos quoque delectu habito. In ,, cujus rei memoriam T. Carisius caput Sibyllæ expressit, & ut indicaret illam esse Phrygiam, addidit & Sphingem, ut in Gergithiorum nummis illa depingebatur. Scio Augustum Sphineg pro sigillo usum fuisse, sed *Suetonius* initio fuisse notat.

XIV.

MONETA. Caput Junonis Monetæ: in aversa parte, T. CARISIVS. Incus, supra quam pileus hinc forceps, inde malleus in laurea.

Utamur *Ursini* verbis in hoc denario explicando. Secundus tabellæ denarius cusus ab eodem Carisio fuit cum monetalibus instrumentis incude, malleo & forcipe; ad indicandum cudendæ monetæ munus, quo tunc fungebatur.

Quod verò ad Junonis Monetæ effigiem in ejus altera parte ſignatum attinet, ſcribit *Suidas Grammaticus*, Romanos, quùm aliquando in bello contra Pyrrhum & Tarentinos pecunia indigerent, Junoni pro pecunia comparanda vota feciſſe : illam verò eos monuiſſe, ut juſtitiæ armis uterentur, ita enim pecuniam eis non defuturam. Voti compotes facti, Monetam Junonem adorarunt, atque in ejus rei memoriam numiſma MONETA inſcriptum in templo Junonis aſſervandum dedicarunt.

XV.

MONETA. Caput Junonis Monetæ: in averſa parte, SALVTARIS. Eadem inſtrumenta monetalia.

Patinus alteram ſuggerit Monetæ Junonis appellationem ex *Cicerone, lib. de Divin.* „ Poſt ingentem à Gallis Senonibus „ acceptam cladem, audita vox ex arce Junonis fuit, ex quo „ Juno illa appellata MONETA eſt, fortaſſis à monendo. Monetæ Junonis templum fuiſſe, ubi domus fuerat Tatii, *Plutarchus* refert in Romulo: Moneta dicta videtur à monendo, quòd nos ſigni impreſſione, vel autoris, vel pretii moneat; SALVTARIS reſpectu Junonis in denario appellatur, quod illa Romanis pro bello contra Tarentinos ſuis conſiliis ſalutem attulerat. Salutares litteræ dicuntur apud *Ciceronem*, quæ conſolationem afferunt : moneta plurimis eſt ejuſmodi ſalutaris.

XVI.

Caput Dianæ cum bicorni luna ſupra frontem, humero lævo pharetra & arcus : in altera parte, T. CA. Canis venaticus decurrens.

Ut T. Cariſius pater in memoriam ludorum Liberalium, quos in honorem Bacchi ediderat, Ædilis, denarios cum ejus ſymbolis expreſſit, ita T. Cariſius filius, ut Triumvir monetalis, ludorum ſæcularium in magiſtratu ſuo ab Auguſto editorum, anno 736/7 memoriam celebravit, per Dianam ex una parte, & canem ipſius, ut Venatricis ſymbolum ex altera: nam illi ludi, ex *Zozimo*, dicati erant Apollini & Dianæ, ut *lib.* 2. inquit, Apol„ lini & Dianæ ludos faciunt; & addit; Octavianus Auguſtus ludos

dos inſtauravit, de quibus *Dio*, *lib.* 54. Sæculares ludos quin- „ to perfecit. Horum etiam memoriam in denariis Auguſti recoluit; alter Triumvir in cippo legitur. IMP. CAES. AVG. LVD. FEC. XV. S. F. L. MESCINIVS RVFVS III VIR. T. Cariſius paulò poſt reditum fratris ex Hiſpania Triumvir monetalis fuit. De Diana Venatrice ſparſim.

Obſervandum eſt nos ſextum denarium, Cariſiæ genti ab *Urſino* adjudicatum, in ſequentem Carviliam tranſtuliſſe; quia Cariſia gens nova non convenit cum Ogulnia & Verginia antiquioribus: nam Cariſiæ ante Julii Cæſaris tempora nihil reperitur.



CARVILIA.

Carvilia gens plebeia, & consularis, cognomine Maximi; ob virtutem scilicet, quod ab U. C. an. 305. jam tulit.

I.

Caput Romæ galeatum, MAXIM. in imo, ROMA. ex altera parte, Castor & Pollux astris insigniti, decurrentes in equis, cum hastis, SP. CARVIL. SP. F.

Spurius ille Carvilius, qui denarium percussit, Spurii filius cognominatur, ideò ad Spurium Carvilium, qui bis consul & bis triumphavit, eum *Goltzius* revocat; & forma & typus denarii id confirmare videntur: nam caput Romæ & Dioscuri, solita erant hujus temporis monetæ Romanæ symbola. Sp. Carvilius Quæsturam Provincialem accepit, anno 505/6 in qua denarium cudisse videtur, Tribunus plebis fuit, anno 510 Ædilis plebis, an. 514 Prætor urbanus cum L. Posthumio, an. 517/8 cum quo etiam primùm consul fuit, an. 519. huic Sardi & Corsi provincia obtigit.

II.

Caput Veneris Victricis, MAXIMVS. in imo, ROMA. in aversa parte Victoria in bigis, d. palmam, f. habenas equorum, SP. CARVIL. SP. F.

Quùm P. Cornelius Prætor in Sardinia mortuus esset, & Sardi, ob ejus ægritudinem, Romanos vexarent, Carvilius consul ex Corsica trajecto exercitu illos ingenti prælio subegit, teste *Zonara*. In cujus rei memoriam denarius Sp. Carvilii, cum Victoria palmam gerente videtur percussus, nempe in bigis, ut tunc moris erat: de Sardis consulem triumphasse nos docent *Marmora Capitolina*.

SP. CARVILIVS SP. F. C. N. MAXIMVS AN. DXIX. DXX. *Varr.*
COS. DE SARDEIS K. APRIL.

Ille primus divortium intulit, ex *Gellio, lib. 4. cap.* 3. Carvilius, „ inquit, traditur uxorem quam dimisit, egregiè dilexisse, ca„ rissimamque morum ejus gratia habuisse, at jusjurandi religio-
nem

„ nem animo atque amori prævertiſſe, quia jurare à Cenſoribus „ coactus erat uxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum. Carvilius iterùm conſulatum geſſit cum Q. C. Fabio Maximo Verrucoſo II. anno 525. Caput Veneris Victricis, cui devotus ſe ipſius ope victoriam retuliſſe putavit Carvilius.

III.

Caput Jovis imberbis in *Regio denario*, fulmen eſt ſub ejus capite. in averſa parte, CAR OGVL. VER. Jupiter imberbis in quadrigis, d. fulmen, ſ. equorum habenas.

Si è Cariſia gente in Carviliam transferimus hunc denarium, quod in noſtras partes deſcenderit Cl. *Perizonius diſſ.* 3. plurimum lætamur: ſed ſi de tempore & ad quos referat Triumviros monetales, cum illo haud conveniamus, non doleat. Si quidem Carvilii Q. F. Maximi Ædilis, & Cn. & Q. Ogulniorum Tribunorum & Verginii ab eo nominati, tempore non adhuc denarii argentei ſignabantur. Sed ad Sp. Carvilium filium, cujus ſunt ſuperiores denarii, pertinet, quandoquidem Q. Ogulnius, Q. F. L. nepos Gallus fuit Tribunus plebis, an. 509/10 T. Verginius A. F. A. N. fuit Quæſtor provincialis Sp. Carvilius Sp. F. C. nepos Maximus Tribunus etiam plebis fuit, an. 510/1 qui ſimul Triumviri monetales denarium, cum epigraphe CAR*ſius* OGVL*nius* VER*gilius*.

Verùm non loquitur de denario argenteo *Perizonius*, ſed de æreo nummo, quem mox proferemus, quùm de Jove Axure pauca dixerimus. Jupiter imberbis depingitur; vocatus Axur in gente Vibia, quaſi ἄνευ ξυροῦ, id eſt, *ſine novacula*, quia barbam numquam raſiſſet: ſed cur ſignatur ab his Triumviris monetalibus, quùm illius Ædes non Romæ fuit & Terracinæ coleretur; inde ſuſpicamur illum ex Triumviris monetalibus, ad indicandam originem ſuam forſan percuſſiſſe.

IV.

Caput Jani bifrontis barbatum: in averſa parte, CAR. OGVL. VER Navis *In theſauro Regio*.


Nummus ille eſt, de quo loquitur Cl. *Perizonius* cum ſimplice & vulgari antiquiſſimorum ſymbolo Jani bifrontis; quem ad alterutrum Cn. vel Q. Ogulnios Tribunos plebis, anno 454/5 cum Sp. Carvilio Q. F. Triumviros monetales revocat: ſed non vi-

dit forſan nummum, qui uncialis eſt, & pro ſemi ſextantario mutabatur, quùm ſit percuſſus primo bello Punico ab an. $^{485.}_{6}$ incœpto, poſtquam impenſis Reipublicæ non ſufficientibus aſſes librales imminui cœpere, & ſextantario pondere cudi, quod convenit Sp. Carvilio, Sp. F. Q. Ogulnio, & L. Vergilio Triumviris monetalibus, hoc tempore inſtitutis; nempe ab anno $^{510.}_{1}$ ad $^{515.}_{6}$ vel paulò plus aut minus. Vide in Ogulnia & in Vergilia.

V.

Caput Jovis barbati cum nota S. in averſa parte navis & aſtro deſuprà. CAR. & nota pariter S.

Ad Carvilium ſpectat hic nummus æreus, ſed non ad ſuperiorem, nota S. pro ſemilibrali aſſe eum quidem permutari indicat; pondus verò illius ſemiunciale ad Sp. Carvilium ſuperioris filium Quæſtorem Provincialem, anno $^{539.}_{40}$ illum revocat: nam in ſecundo bello Punico cœpto, anno $^{535.}_{6}$ quùm Annibal magis urgeret, aſſes ſextantarii facti ſunt unciales, Q. Fabio Maximo Dictatore. De Jove Capitolino, Romæ tutelari deo, pro Jano percuſſo dictum eſt.



CASSIA.

CASSIA gens, cujus nummi supersunt, plebeia est, sed antiqua, nobilis, & consularis; cognomine *Longinus*, diminutivum *Longi*, à corporis habitu: nomen verò à *cassi*, id est *galea*, desumptum videtur: de quo *Isidor. lib.* 18. *Origin. cap.* 14. Cassidem autem à Tuscis denominatam dicunt: illi enim cassim nominant: credo à *capite*.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum: in aversa parte, L. CASSI. LONGIN. Navis.

Forma & pondus nempe sextantarii, ad quem as libralis primo bello Punico, an. 485/6 incœpto, reductus est, ut sparsim diximus, nos quidem impellit, ut L. Cassium ab illo tempore quæramus usque ad ann. 535/6 quo secundum exarsit; quia tunc as ex sextantario uncialis factus est, & hic de quo agitur, duas pendet uncias: Reperimus autem Q. Cassium Longinum Quæstorem Provincialem, anno 515/6 cujus potuit esse frater L. Longinus, qui pariter Quæstor nummum signavit sextantarium cum capite Jani bifrontis, & in aversa parte navis; solitis assium symbolis.

II.

Caput Romæ galeatum: in postica parte, C. LONGIN. C. F. in imo, ROMA. Victoria in bigis, d. flagrum.

Caius ille Longinus cognomine, Caii F. appellatus, Cassiæ gentis est, & C. Cassius Longinus indigitatur, qui Quæstor Provincialis, an. U. C. 569/70 hunc denarium cum solito Romæ capitis & bigarum typo percussit. Is Tribunatum plebis accepit, anno 574/5 ejus Prætura Urbana desideratur apud Livium, quæ fuisse videtur, anno 579/80 nam consulatum triennio post gessit cum P. Licinio Crasso, anno 582/3 C. Cassio Italia obvenit, & censuram tandem cum Valerio Messala iniit, anno 599. ut eruitur è *Marmoribus Capitolinis*. 600

CENS.

CENS. M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA. C. CASSIVS C. F. CN. LONGINVS. LVSTR. F.LV.

III.

Caput Vulcani cum pileo laurea coronato: & ad d. humerum forcipe. Nota s. in area, ex averſa, C. CASSIVS. In imo, navis & nota s.

Ad eumdem Caſſium pertinere videtur hic nummus æreus ex Caii prænomine, ſeu ex ejus forma, conjecturam Vulcani ſignum auget; idem à L. Aurelio Cotta cuſum vidimus: quem ideò Triumvirum monetalem ſumus ſuſpicati: at eumdem Cottam reperimus Tribunum plebis, anno 599. 600 quo cenſuram geſſit, C. Caius cum Valerio Meſſala ut in ſuperiore denario diximus, qui tamquam monetæ Præfectus Cenſoris nomen in nummo ſignare potuit.

Vulcanus à monetæ Præfecto ſignari videtur, quia Fabrorum deus creditur, & quùm ſine igne nullum metalli genus quale eſt aurum, argentum & æs, ex quibus conflatur moneta fundi extendique poteſt: unde hæ notæ A. A. A. F. F. *Auro*, *argento*, *ære*
„ *flando*, *feriundo*, in nummis exhibentur, Vulcano pileus qui-
„ dem cæruleus, ex *Euſebio*, *lib. præp. Evang.* tribuitur. Cæleſtis,
„ ut ait ſymbolum volutionis, Corona laurea quia fulmen ſupra laurum non cudit. Forceps fabro quod ſit ad metalla cudenda neceſſaria. Nota s. pro ſemi aſſe monetam denotans.

IV.

Caput Jani bifrontis barbatum: in altera parte, C. CASSI. L. SALIN. Navis.

Pondus nummi unciale pro aſſe, ut & illius forma minùs rudis quàm anteriores, ut eum ad C. Caſſium ſuperioris Caſſii filium potiùs quàm ad Caium patrem revocemus, impulerunt. Vox autem SALIN, id eſt *Salinator*, cognomen eſt unius Liviæ gentis; ideò quærendi ſunt eodem tempore, C. Caſſius & L. Salinator. Reperimus autem C. Livium Salinatorem eodem anno 515. Tribunum plebis quo Caius Caſſius Quæſturam geſſit: unde conjicimus Lucium Salinatorem Tribuni plebis fratrem extitiſſe, qui ſimul Ædiles aut Prætores hunc nummum cudere potuerunt. Noſtram confirmat conjecturam Regius alter eorum num-

nummus in quo præponitur inſcriptio, L. SALIN. C. CASSI. cum eodem typo.

V.

Caput Veſtæ, pone quod ſimpulum: in averſa parte, L. LONGINVS III VIR. Senator togatus tabellam, in qua littera V. tenet; adſtat illi ciſta.

A L. Longino L. Longini Ravillæ filio, cuſus eſt hic denarius Triumviri monetalis officio fungens, ut docet epigraphe. Is patrem exhibet Tribunum plebis, ob leges quas in magiſtratu tulit, inſignem. *Urſinus* in tabula quam Caſſius immittit in ciſtam, notam inſcriptam manifeſtè videri aſſerit: at pace tanti viri, manifeſtiùs in ea littera V. apparet, quam nos in denariis perſpicuis & integris ſæpiùs vidimus. Quia inter leges plurimas, quas ille tulit, Tribunus Libertatis Vindex Tabellaria recenſetur. Uti P. Romano in omnibus judiciis, perduellione excepta, per tabellam ſuffragium eſſet, in qua hæ notæ eſſe deberent A. C. NL. Exinde *Urſinus* una ex illis, nempe A. eſſe exiſtimavit, ſed ejus filius Caſſius non hanc patris, ſed plures quas ille tulit, indicare voluit, ideò litteram per quam omnes inchoant, nempe V. id eſt VTI. vel VTIQVE. in tabella tenet, adeſt ciſta in qua repoſitæ leges aſſervantur.

VI.

Caput Veneris, corona myrtea inſigne: ex averſa parte, L. CASSI. L. F. Q. N. LONGINVS. Sella curulis, ſupra quam corona altera myrtea.

Ad eumdem L. Caſſium Longinum L. Caſſii Ravillæ dicti, conſularis & Cenſoris, filium ſpectat denarius. Superiorem is ut Triumvir percuſſit, hunc verò ut Ædilis. Quæſtor quidem provincialis fuit, anno $^{640.}_{1}$ Tribunus plebis, an. $^{645.}_{6}$ Ædilis autem an. $^{648.}_{9}$ in quo magiſtratu feſtum diem Veneris Kal. Aprilis celebrans, ſacra Veneri feciſſe videtur, qua mulieres myrto coronatæ lavabantur. In cujus rei memoriam L. Caſſius Venerem, corona myrtea ornatam ex una parte expreſſit, & ex altera ſellam curulem magiſtratus inſigne, cum ea corona, quæ Veneri offerebatur, exhibuit.

VII.

Caput Romæ, pone quod urna: in aversa parte, C. CASSI. in imo, ROMA. Figura Libertatis in quadrigis, d. pileum, s. virgam.

Duo suprà prodierunt Cassii cognomine Caii, pater nempe & filius; sed tertius hic est superioris Lucii frater minor, Lucii Cassii Longini, agnomine Ravillæ ob tot Cassios dicti à ravis oculis, filius. Is, ut frater, legum quas tulerat pater, memoriam revocare voluit per Senatorum tabellam, in qua litteram v. à qua inchoant omnes, nempe *uti:* ita per Libertate mtamquam triumphantem, designare voluit patrem illam vindicasse, ut innuit *Cicero* de illo ita loquens, in *Orat. pro Cornelio.* „ Ponam principi vim „ justissimæ libertatis Cassiam, qua lege suffragiorum vis potestas„ que convaluit: nam anteà suffragia voce publica non videbantur libera virorum principum metu. Pileus & virga libertatis symbola sunt; qui manu mittebatur raso capite pileum gestabat. Virga seu vindicta capiti imposita Prætor eum liberum esse, more Quiritum, dicebat.

VIII.

Caput Bacchi seu Liberi, hederacea corona cinctum, supra humerum lævum thyrsus: in aversa, L. CASSIVS Q. F. Caput Liberæ, pampinis redimitum.

Ut Caii prænominis sæpiùs repetita in gente Cassia inscriptio, dubium aliquod in Cassiis distinguendis attulit, ita Lucii alterum cognomen non minùs implicat; porrò hunc Lucium Quinti filium in denario vocatum, patruum habuisse L. Cassium Tribunum plebi: illum famosum legis Tabellariæ latorem existimo; cujus pater erat frater natu major, & ille fuit patruelis, eorum qui super denarios cuderunt. Quæsturam accepit provincialem, anno 631/2. Tribunatum plebis, an. 636/7. Ædilitatem verò, an. 639/40. in qua videtur ludos Liberi & Liberæ celebrasse, de quibus *Cicero, Act.* 7. *Verrina.* „ Nunc sum designatus Ædilis, habeo rationem, quid à P. Romano acceperim, mihi ludos jucundissimos maxima cum ceremonia „ Cereri, Libero, Liberæque faciendos. Unde in eorum memoriam Bacchi caput ab una parte cum thyrso ejus symbolo, & ex altera Liberæ pampinis coronatæ sunt expressa.

Porrò

Porrò denarium hunc pertinere contendit ad dedicationem ædis apud *Dion. Halic*, *l.* .6. Δήμητρος καὶ Διονύσου, καὶ Κόρης ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθιέρωσεν. A Spurio Caſſio anno $^{260}_{1}$. ſed hæc nimis antiqua ſunt ; & Caſſius ille erat Viſcelinus , & ex familia patricia ; ſed redeamus ad alios magiſtratus quos iniit L. Caſſius. Poſt Ædilitatem factus eſt Prætor Urbanus, anno $^{642}_{3}$. & C. Memmii Tribuni plebis rogatione in Numidiam ad Jugurtham regem miſſus, cui ut Romam ſecum veniret, perſuaſit. Quadriennio pòſt, conſulatum iniit cum C. Mario : anno $^{646}_{7}$. huic extra ſortem Numidia data eſt, L. Caſſio Gallia Narbonenſis decreta cum bello Cimbrico, cujus initio à Tigurinis victus in prælio occiſus eſt.

IX.

Caput Apollinis, pone quod ſceptrum ſolitum : in poſtica parte, Q. CASSIVS. Aquila inſiſtens fulmini, inde lituus, inde præfericulum.

Quintus ille Caſſius, qui denarium cudit, Quinti F. & Lucii N. à *Pighio* appellatur, eumque Prætorem refert, anno $^{678}_{9}$. in quo magiſtratu Ludos Apollinares celebravit ; in cujus memoriam Apollinis caput cum ſolito ſceptro percuſſit ; ſed nihil de ſignis Pontificalibus refert, quæ ejus auguratum denotant, cujus ſunt inſignia lituus & præfericulum , ut in denariis Antonii Triumviri obſervare eſt : at inter illa ſigna viſitur aquila Jovis ales fulmini inſiſtens, quod ea huic deo illa miniſtret; & Collegium Augurum Jovi ſacrum ſit, ut nos edocet vetus *inſcriptio* apud *Onuphrium* , *lib. de Civit. Rom.*

IOVI. O. M. SACR.
COLLEG. AVGVR.

X.

Caput Cereris ſpicea corona ornatum, CAECIAN. in averſa parte, L. CASSI. Jugum boum.

L. Caſsius à Cæcio cujus meminit *Cicero ad Atticum* , *lib.* 9. *ep.* 12. adoptatus eſt , & Cæcianus dictus, inquit *Urſinus* : ſed è contrà L. Caſsius Cæcium adoptavit, ut nos docet nomen Cæcianus à voce Cæcius, prolongatum in adoptionis gratiam : nam ado-

adoptati gentis ſuæ nomen haud perdebant, ſed illud producebant: ut Æmilius, in Corneliam adoptatus, eſt dictus Cornelius Æmilianus.

Sed qui illi fuerint, L. Caſſius qui adoptavit, & Cæcius ille adoptatus de Cæcio; nulla eſt mentio præterquam apud *Ciceronem* his verbis. „ De ſuo autem conſilio C. Cæcio mandata ad me dediſſe. De iis ſollicitus eſt *Urſinus*, & ad quos denarium referre, dubitat. Liceat igitur nobis, ut illi conjicere nomen idem Cæcii & Cæſii, quorum pauci occurrunt, eſſe exiſtimamus; itaque M. Cæſium Prætorem, anno 678/9. reperimus datum adjutorem Q. Caſſio Longino eodem tempore Prætori, in cognitione ſartorum tectorum apud *Ciceronem* 3. *Verr.* unde pacta inter eos amicitia. Caſsius amiſſo L. filio petiiſſe videtur à M. Cæcio unum ex filiis in adoptionem, qui L. Caſsius Cæcianus poſteà dictus eſt.

Caput Cereris & præſertim jugum boum reſpicere videntur ad agrorum diviſionem, ex lege quam Julius Cæſar in conſulatu ſuo cum Bibulo tulit anno 694/5. nempe ut ager Campanus plebi divideretur, ſuaſore legis Pompeio, ut inquit *Paterculus*. Ita circiter xx. millia civium eò deducta. L. Caſsius, Q. Caſsii qui ſuperiorem denarium cudit, filius adoptivus Duumvir illius coloniæ deducendæ potuit eſſe, in cujus memoriam Cererem ad indicandam Campaniam frumento cui præeſt illa dea abundare, & ex altera parte jugum boum deductæ coloniæ ſymbolum ſignavit.

XI.

Q. CASSIVS VEST. Caput Veſtæ velo ornatum: in altera parte templum rotundum, in cujus medio ſella curulis, à dext. templi urna, à ſin. tabella cum litteris A. C.

Q. Caſsius frater fuit C. Caſsii percuſſoris Julii Cæſaris uterque Quæſtor provincialis eodem anno 699/700. Quintus in Hiſpania Ulteriore Pompeii, quem ſine ſorte delegit, Caius M. Craſſi Proc. in Syria. Quintus in Quæſtura hunc denarium ut atavi ſui L. Caſſii Rarillæ inſignium factorum memoriam renovaret, ſignavit, quæ duobus variis Caſsiis tribuit, quùm ad unum & eumdem ſpectent L. Caſsium, ut jam oſtendimus. Primùm eſt lex tabellaria, quam tribunus plebis tulit anno 605/7. uti P. Romano in omnibus

nibus

nibus judiciis, perduellione excepta, per tabellam ſuffragium eſſet; nam publicè per vocem dabatur: itaque factæ ſunt tres tabellæ, una in qua eſſet littera A. id eſt, *Abſolvo*, altera C. id eſt, *Condemno*, & tertia, in qua N. L. id eſt, *Non liquet*, pro ampliatione: in cujus monumentum Q. Caſsius à dextris urna ineſt, in quam à judicibus tabellæ conjiciebantur, tabellas expreſſit, ſed per foramen unde eas nemo niſi per clavem extrahere poſſet, & non erat aperta ut ciſta, in quibus reponebantur leges, ut in quinto denario vidimus. A ſiniſtris verò tabella eſt, in qua viſuntur litteræ A. C. *Abſolvo*, *Condemno*. De altero L. Caſsii facto in ſequente argenteo nummo.

XII.

Q. CASSIVS VEST. Caput Veſtæ velo ornatum: ex altera, IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Templum ut ſuprà; hinc urna, inde tabella, in qua A. C.

Q. Caſsius ex Quæſtura Hiſpaniæ ulterioris Tribunus plebis, eodem an. 704/5 quo Caius frater factus eſt, ex Pompeii partibus ad Cæſarem tranſiit, qui eum in eamdem provinciam cum quatuor legionibus, extra ordinem contra leges miſit, Præturam provincialem accepit, anno 710/1 omniaque avarè adminiſtravit. Trajanus ejus denarios, non ob præclara ejus facta reſtituit, ſed propter optimam legem tabellariam, quam tulit L. Caſsius Tribunus plebis; à quo originem ducebat, & propter ejus de Veſtalium inceſtis juſtitiam: nam optimus Imperator omnes, ut arbitramur, *Familiarum* pro monetæ uſu reſtituere voluit; & ſunt illi denarii pro raris habiti.

XIII.

Q. CASSIVS LIBERT. Caput Libertatis: in averſa parte idem Veſtæ templum.

Alterum explicandum aggredimur L. Caſſii factum de templo Veſtæ purgato, ob Virginum Veſtalium inceſtum. Multorum erat opinio Pontificum collegium leviter & negligenter de ſtupris Veſtalium quæſiviſſe, ideò Tribunis plebis inſtigantibus populus inquireretur, ut diligentiùs quæſtionem renovarit, & creatus eſt plebiſci-

to extra ordinem. Prætor iterùm Caſſius L. Longinus Ravilla dictus, qui Liciniam & Marciam, à Pontificibus abſolutas, in judicium revocatas damnavit, ut & complures alias, ut narrat *Aſcon. Pædianus in Orat. Ciceronis pro Milone.*

Veſta Romanorum erat dea, cui ſex primùm ſerviebant ſacerdotes ignem ſacrum ſervantes, deinde plures, velum præferens depingitur, ut monialis ejus templum extruxit Numa, & quidem rotundum, ut ait *Plutarchus*, in cujus medio poſita eſt ſella curulis Prætoris L. Caſſii, ad indicandam in eo de Veſtalibus ſententiam latam. Erat in regione VIII. cum atrio. *L. Antiſtius Labeo*, qui de Veſtali virgine capienda ſcripſit, minorem quàm annos ſex, majorem quàm annos decem, quæ non fuerit patrima & matrima, & caſta & incorrupta maneret; ſi verò parùm pudica, inceſti convicta, defodiebatur viva juxta portam Collinam intra urbis muros. Veſtales publicis ſumptibus alebantur.

Nobis ſupereſt, ut de Libertatis imagine in hoc & in altero de Veſtæ capite pauca dicamus. Veſtæ effigies ad Veſtalium factum reſpicit. Libertatis caput ad legem tabellariam pertinet, quia ut inquit *Cicero* pro Cornelio, lex Caſſia juſtiſſimæ Libertatis principium fuit, qua lege ſuffragiorum vis poteſtaſque convaluit.

XIV.

C. CASSI. IMP. Caput Libertatis, M. SERVILIVS LEG. Acroſtolium navis.

Ad C. Caſſium Cæſaris percuſſorem pertinet hic denarius: quibus verò parentibus prognatus ſit, non traditur; frater tamen ejus Q. Caſſius, de quo ſuprà diximus, ex illo L. Caſio plebis Tribuno inſignis tabellariæ legiſlatore, per denarios quos in ejus memoriam ſignavit, originem traxiſſe demonſtravit. Ille eodem anno 699/700 quo Quæſturam frater accepit, ipſe cum M. Craſſo Procos. in Syriam profectus eſt, ubi legionum reliquias poſt ejus cladem conſervavit, anno 700/1 Parthos in Syriam incurſantes repreſſit, anno 701/2 in provincia uſque in adventum Bibuli Procos. anno 702/3 cui victor & pacatam provinciam tradidit. Tribunus plebis factus eſt, anno 704/5 Pompeii partes in pugna Pharſalica ſequutus, anno 705/6 Syriacis navibus præfectus; poſtquam verò Pompeium profligatum eſſe cognovit, Cæſari ſe tradidit, à quo liberaliter conſer-

vatus

vatus est. Prætor factus, anno 709/10 & quod primus in Præturis locus datus esset Bruto cognato, eum seduxit, & contra Cæsarem conjuravit, & vulnus ei inflixit in faciem: ex *Appiano.*

Cassius, cui decreta erat à Julio Cæsare Syria, eam etiam obtinuit Senatus autoritate, & bellum gessit cum Dolabella consule, quùm in eam venisset quem cum Q. Basso, Marco & Marcio & Crispi exercitibus ad mortem coegit, qui cum suis legionibus se ei permisere, & Imperator tunc appellatus est: nam, ut ait *Plutarchus in Bruto,* Cassium accersivit Brutus Sardes, appropinquanti processit cum ,, amicis obviam, totusque exercitus utrumque Imperatorem con- ,, salutavit: quippe jam erat uterque appellatus, & Brutus in Macedonia & Cassius in Syria; ut colligere est ex eorum gestis.

Denarii verò ubi cusi sint, ocrostolium arguit Sidonis insigne; ut videre est in plurimis Syriæ Regum nummis, *lib. nost. de eorum Historia.* Hunc in illa Phœniciæ celeberrima urbe percussum denotat, M. Servilio Cassii legato procurante: nam hîc non agitur de classe Cassii, & si ob rem maritimam esset signatus denarius, navim exhiberet; ut solent in re navali illas repræsentare legati. Caput Apollinis exprimitur ob ludos Apollinares Romæ per absentiam Prætorum editos: nam Brutus & Cassius Prætura adhuc non erant functi. Vide in Junia & in Servilia.

XV.

Caput Apollinis laureatum, C. CASSEI IMP. in altera parte, M. SERVILIVS LEG. Gammarus marinus, inter duo parva acrostolia, in imo malum punicum.

De Cassio nunc dicere supersedemus, ut ad explicationem denarii accedamus. Suprà videramus ex insigni Sidonis acrostolio, superiorem in hac urbe ad exercitus Cassiani usum esse percussum: sed hic, qui Gammarum exhibet, Cassium, ut ab omnibus regibus & urbibus in bellicos sumptus postulabat, eum à Sampsicerano & Iamblici ejus filio, qui genti Emesorum imperabant, cujus erat Arethusa regni sedes, accepisse nos docet: nam *Strabo l. 16. p. 518.* scribit Cæcilium Bassum, ab iis exercitibus obsessum Apameæ, diutiùs usque ad Cassii in Syriam adventum restitisse, quod finitimi reguli eidem suppetias ferebant: quare postquam

Cæci-

Cæcilius Bassus se subjecit Cassio, Sampsiceranus huic Imperatori pecuniam subministrasse videtur; ex qua facti sunt illi denarii.

Gammarus est insigne urbis Arethusæ, ut jam diximus in nostro *de Græcis num. libro*, *ex Strabone loco citato*, quùm priùs Gammarus diceretur, Ἀρέθουσα ἡ Γαμβάρου. *Arethusa quæ Gambari est*, ubi etiam nominatur eidem *Sampsicerani Arethusa*. Additur in imo acrostolium insigne Sidonis; ad denotandum denarium in ea urbe ex pecunia Arethusæ esse percussum: an alterum sit ἀκροστόλιον parvum, quod acetabulis tenet ad arguendam Arethusæ cum Sidone societatem. In imo flos granati, abundantiam ejus fructus in his tractibus demonstrat.

XVI.

C. CASSI. IMP. LIBERTAS. Caput Libertatis: in aversa præfericulum & lituus. LENTVLVS SPINT.

XVII.

Eadem epigraphe. Caput Libertatis velatum: ex altera idem typus. LENTVLVS SPINT.

Hi denarii ad P. Cornelium Lentulum Spintherem attinent, is quùm non adfuisset Julii Cæsaris cædi, teste *Appiano*, quamvis non esset facinoris conscius, inquit ille, tamen plurimi cupientes videri participes illius gloriæ & in his Lentulus Spinther. Is fuit extra ordinem Proquæstore & Proprætore missus à Senatu in Asiam ad vectigalia in potestatem redigenda, cogendas pecunias & provinciam præsidiis muniendam. Dolabella hoste judicato, ejus equitatum ad Rempubl. traduxit, & Casio tradidit: delectus in Asia habuit, quem ei etiam tradidit, quare Cassio Imperatori appellato denarios signavit, cum capite Libertatis, ad denotandum se omnia pro re restauranda effecturum.

Lituus & præfericulum ad Pontificatum seu Auguratum P. Servilii Spintheris, cujus meminit *Cæsar*, *lib. 1. de Bello Civi.*

XVIII.

XVIII.

C. CASSI. IMP. Tripus cum cortina desuprà: in aversa parte, LENTVLVS SPINT. Præfericulum & lituus.

De P. Cornelio Lentulo Spinthere in primo ejus denario dictum est, in secundo de ejus Pontificatu seu Auguratu. nam lituus præcipuum est Auguratus symbolum „ & sublato nomine Pontificis potest etiam intelligi illius sacerdotium; nunc de tripode, ad ludos Apollinares spectante. Brutus & Cassius Prætura non adhuc erant defuncti; &, inquit *Appianus*, *lib.* 3. *Bell. Civ.* Jamque instabant ludi, quos pro Bruto prætore Caius Antonii „ Frater editurus erat, & in ceteris rebus collegæ absentis vicarius, „ eratque apparatus sumptuosus admodum, ea spe, quasi spe- „ ctaculis delinita plebe revocaturus esset Cassianos. Cortina erat „ illud tegumentum, quod Apollinis tripodi superponebatur, è corio Pythonis serpentis factum.

XIX.

M. AQVINVS LEG. LIBERTAS. Caput Libertatis: in aversa parte, Tripus cum cortina. C. CASSI. IMP.

Marcus ille Aquinus unus fuit ex iis, apud *Appianum*, qui particeps gloriæ cædis Cæsaris Dictatoris videri voluit. Curre- „ bant, ait, cum eis etiam aliquot alii gladiis arreptis, quamvis „ non essent facinoris socii, tamen cupientes videri participes „ gloriæ, & in his Lentulus Spinther, Favonius, AQVINVS, „ Dolabella, Marcus, Peticus, quibus quidem gloria frui non „ contigit; sed pœnas dederunt easdem cum sontibus. Is videtur „ fuisse M. Aquinius, pro Aquino dictus, homo novus & Senator partium Pompeianarum in Africa cui pepercit Jul. Cæsar. *Id. de Bel. Afr.* De tripode Apollinis ad ludos Apollinares pro Prætura Bruti & Cassii editos spectante, dictum est, ut de ejus cortina.

XX. XXI. XXII.

Caput Augusti, CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. In aversa parte, C. CASSIVS CELER. III VIR. AAA. P. F. in area, S. C. ut alii duo sequentes.

C. Caſſius Triumvir monetalis Senatus ſub Auguſto, dicitur Caii filius, & cognomine Celer; ob Prænomen videtur fuiſſe ex Caſſiorum vetere familia, ſed cognomen illum non in hiſtoria detegit: equidem minor ille Triumviri monetalis magiſtratus non eum multum attollit. Porrò ſub Auguſto adhuc conſularem L. Caſſium L. F. L. N. Longinum reperimus, qui conſul ſuffectus fuit ex Kal. Jul. anno $^{763.}_{4}$

Obſervandum eſt nos tertium ſecundæ tabellæ gentis Caſſiæ denarium, in *Urſino* deſcriptum, in Juniam tranſtuliſſe.



CESTIA.

CESTIA gens plebeia est; eadem videtur cum Sestia, licet malè scribatur Sestia pro Cestia: quod nomen desumptum est à cestu, id est, à cingulo.

I.

L. CESTIVS C. NORBANVS. Caput Veneris: in aversa parte Cybele, in curru à duobus leonibus vecto.

L. Cestius cum C. Norbano in hoc denario descriptus Ædilis curulis, anno 662. 3 simul celebrarunt ludos Megalenses: ut indicat Cybele, dea magna vocata; in cujus honorem festum pridie Kal. Aprilis habetur in Kal. Romano, & ludi edebantur scenici per sex dies: de quibus loquitur *Cicero, in Orat. de Harusp.* his verbis. „ Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in pala-
„ tio nostri majores ante, templum in ipso conspectu Matris Ma-
„ gnæ Megalensibus fieri celebrarique voluerunt.

Caput Veneris ad indicandam nominis originem à cestu; qua dicebatur Venus sibi Martem conciliasse. *Martialis epigr. 13. lib. 6.*

Ut Martis revocetur amor summique Tonantis
A te Juno petit Ceston, & ipsa Venus.

L. Cestius ille videtur fuisse, qui Sestius appellatur à Cicerone, Publii ejus defensoris; quo Ædilitatem & Præturam cum Norbano gestas per denarios reperimus &, apud *Pighium*, anno U. C. 669. 70 Tribunatum: de hoc *Cicero,* reliquis honoribus non tam uti voluit, quàm dignus videri. Vixisse videtur ad bellum usque civile C. Cæsaris; quo decrepitus & claudus Cn. Pompeium in Macedoniam cum filiis est sequutus; ut refert *Plutarchus in Pompeio.*

II.

Caput muliebre proboscide elephanti ornatum; in postica parte, L. CESTIVS C. NORBAN. PR. S. C. Sella curulis supra quam Cassis.

Prodit alter L. Cestii & C. Norbani denarius, ab iisdem Ædilibus curulibus superioribus cusus, ob ludos Megalenses in Magnæ

Deæ honorem , cujus effigies in curru à duobus leonibus vecto ex eo expressa est, celebratos , hic simul Præturam Urbanam gessisse, & Prætoris nomen & sella curulis ejus magistratus insigne nos edocent , reperio quidem C. Norbanum , anno 659/60. Prætorem, & eodem anno L. Sestium nominat Tribunum plebis *Pighius* , qui Prætor videtur fuisse.

Sed cur Africæ caput in illorum denario? Si ad commune aliquod Prætorum egregium facinus de Africanis sub P. Romano subjectis ad jus in urbem à Prætoribus petendum missis, magna videtur controversia ab iis dijudicata: unde in ejus memoriam caput Africæ Prætores exhibuerunt ex Senatusconsulto. Si ad peculiare factum, ut quisque denarium seorsim cudit, ut Cestius in superiore caput Veneris ad nominis originem indicandam signavit; ita Norbanus Africæ caput exhibuit in Numidiæ acquisitæ memoriam à C. Mario, cujus partes acerrimè sequutus est, ut in gente Norbana videbimus. Sed de galea sellæ curuli imposita; an quòd Prætores capite puniant? vel Minervæ sacra faciant, antequam magistratum ineant. Non modò Ædilitatem & Præturam simul gesserunt Cestius & Norbanus, ut nobis indicant eorum denarii, sed eodem anno U. C. 654/5 Quæstores Provinciarum electi fuere. Vide in gente Sestia, quam eamdem cum Cestia fuisse opinamur.

CI-



CICEREIA.

CICEREIA gens plebeia; cujus nomen derivatum à cicere, quem haberet in facie; ut Ciceronis cognomen.


Caput Romæ galeatum: in averſa parte, C. T. F. T. N. in imo, ROMA. Victoria in quadrigis, d. flagrum.

Cicereius obſcuro etſi genere natus, dignitates tamen & magiſtratus obtinuit; ſcriba & cliens Scipionis Africani fuit, ex *Val. Maximo.* Quæſturam accepit anno $\frac{570.}{1}$ Tribunatum plebis, anno $\frac{575.}{6}$ Præturam candidatus petens, anno $\frac{579.}{80}$ quum videret ſe Cn. Scipionis, domini olim ſui filii centuriis anteferri, ex templo deſcendit, abjectaque candida toga, competitoris ſui ſuffragatorem agere cœpit; ut ſcilicet Præturam meliùs Africani memoriæ concederet, quàm ſibi vendicaret: etſi maximo verecundiæ pretio, Scipio tunc honorem adeptus, Cicereio tamen magis gratulati ſunt.

Præturam anno ſequente $\frac{770.}{1}$ provincialem obtinuit, ſortituſque eſt Sardiniam, uti *Livius* refert, ſed viſum fuit Senatui, uti cum ſupplemento mille quingentorum peditum Romanorum, & centum equitibus in Corſicam tranſgreſſus M. Atilio ſuccederet. Eò veniens, ſignis collatis pugnavit, ſeptem millia Corſorum occidit, ampliùs mille ſeptingentos cepit. Ex Corſica ſubacta Cicereius in Sardiniam tranſmiſit exercitum.

Anno ſequente Cicereio ad ædem Bellonæ datus eſt Senatus, antequam conſules irent in provinciam, expoſuit ille quas in Corſica res geſſiſſet; & triumphum petiit, qui quùm ipſi negatus eſſet, in monte Albano, ut tum in conſuetudinem venerat, ſine autoritate triumphum egit. *Pighius* ideò exiſtimat Victoriam quadrigas agitantem in denario, ad ejus memoriam triumphi denotandam illum expreſſiſſe: at ſi triumphus ei à Senatu negatus, & moneta eſſet publica, id probabile non videtur, ſed ſolitus eſt denariorum typus, in ejus quæſtura ab illo cuſus; unde denarii dicti ſunt bigati & quadrigati; illius tamen triumphum notant *fragmenta Faſtorum Capitolina.*

C. CICEREIVS T. F. T. N. PR. AN. DXXCI.
PR. EX CORSICA IN MONTE ALBANO K. OCTOBR.



CIPIA.

CIPIA gens eadem cum Cispia, fuit plebeia; cujus nomen videtur deductum à Cispio monte, altero nempe Esquiliarum jugo, in quo habitabat: nam Esquiliæ, apud *Varronem*, duo montes habiti, *lib.* 4. *de lingua Latina*: quod confirmare videtur *Festus* his verbis. Cispius mons in urbe Esquilinæ regionis, de nomine cujusdam hominis dictus.

I.

Caput Romæ galeatum, M. CIPI. M. P. in aversa Victoria in bigis.

Ursinus Cipiæ gentis apud veteres Scriptores nullam fieri mentionem refert, & pluribus ostendit eamdem esse cum Cispia; quam rectè denarius exprimit antiquata littera s. Is M. Cipius M. filius in illo indigitatur, quem percussit in Quæstura sua cum solis denariorum Romanorum typis; nempe Romæ capite & bigis, unde bigati dicti, anno 691. fratrem habuit C. Cipium natu majorem, si quidem ille fuit Quæstor anno 690. Marcus autem Tribunatum plebis accepit, anno 696. & à Clodianis vi foro depulsus est VIII. Kal. Febr. quod *Ciceronis* revocationi faveret, cum Sestio altero Tribuno, quare ille *Orat pro Sestio*, honorificè loquitur. Quid M. Cispius, cui ego ipsi, parentique fratrique ejus sentio quantum debeo; qui cùm à me voluntas eorum in privato judicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem oblitteraverunt. *L. Plancus* Cispios appellat cognomine Lævos, ad *Ciceronem* scribens, *lib.* 10. *ep.* 21.

II.

M. CIPI. M. F. Caput Jovis laureatum, & nota s in aversa Navis cum nota s. c.

An

An ad eumdem M. Cipium pertineat nummus hic mediæ formæ, an verò ad patrem ejus, qui Marcus etiam vocabatur, incertum est: in re verò dubia eum ob ejus formam patri adjudicamus. Nihil habet peculiare: nam de Jove pro Jano bifronte, in nummis mediocris moduli, cum navi in aversa parte, res est in nummaria satis trivia.

CLAU-



CLAUDIA.

CLAUDIA gens duplex, Patriciorum & Plebeiorum, origine Sabina. Atta Claufus, gentis princeps, ex Regillis Romam cum magna clientum manu commigravit autore Tatio; vel poft reges exactos fexto ferè anno à Patribus in patricios cooptata eft, tefte *Suetonio*: dictus pofteà Appius Claudius. Patricia diftincta eft in quatuor ftirpes, quorum nummi nobis fuperfunt; Crafforum à fagina corporis, Pulchrorum à faciei decore, Centonum forfan à velo quo obtegebantur machinæ in bello, ne tormentorum miffilibus perfringerentur, Peronum, quod ftrenuum fignificat Sabinorum lingua. Plebeiæ clariores fuere Marcelli; quod cognomen, ut ait *Plutarchus*, Marcellus eft bellicofus, id eft, ἀρήϊος, hoc eft, Martius. *Sigonius* putat Marcellum dictum effe quafi Martellum, id eft parvum Martem.

A Patricia inchoamus, & quia fupradicta ejus nomina ab Appii Claudii Cæci, bis Confulis & Cenforis, ut fe ab invicem diftinguerent, fumpta funt, aut potiùs indita funt. Quatuor autem Cæci filios fuiffe, autor eft *Cicero*.

I.

Caput Romæ galeatum: in averfa parte, AP. CLAVD. CRAS. in imo, ROMA. Victoria in bigis, d. coronam, f. equorum habenas.

Ap. Claudius, antequam Cæcus fuiffet, altero cognomine dictus fuerat Craffus, quod primogenitus confervavit. Is Quæfturam militarem accepit, anno $\frac{475}{6}$ factus eft Prætor, an. $\frac{483}{4}$ confulatum verò iniit cum P. Sempronio Sopho, anno $\frac{485}{6}$ & denarios argenteos cudi curavit; cum Romæ capite & bigis in altera parte, anno fecundo quo fignari cœperunt: nempe ut refert *Plinius*, *lib.* 33. quinque an. ante primum bellum Punicum. Caio, „ inquit, Fabio confule Romæ fignatum eft.

II.

II.

Caput Dianæ, pone quod pharetra & arcus: in aversa parte Victoria in bigis, d. lauream, s. palmam, & equorum habenas. TI. CLAVD. TI. F. AP. N. & litteræ numerales LXXIIII.

Secundus Ap. Claudii Cæci filius, fuit TI. Claudius, cognomine Nero, cujus nobis denarii non supersunt, sed ille nepotis est, ut inscriptio denotat. Is Quæsturam provinciæ Siciliæ Ap. Pulchro & Junio Pullo coss. accepit, anno $^{503.}_{4}$ At quùm res malè ab iis contra Carthaginienses gesta essent, & prior altero defuncto à Senatu fuisset Romam revocatus, TI. Nero in Sicilia moratus ex Senatusconsulto, ut arguit illius nota, S. C. denarios cudisse videtur, uti caput Dianæ in ipsa insula summo honore cultæ indicat: ideò nec Romæ effigies, nec urbis nomen in illis occurrunt, ut in similibus Attiliæ gentis observare est num. 7. Litteras numerales *Pighius* denarios ex argenti pondo LXXIIII. Hieronis Syracusanorum regis tributo fuisse signatos arguere suspicatur.

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. In aversa parte, Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. fulmen, s. sceptrum & habenas. C. CLAV. NERO. in vertice XXII.

Patrem TI. Claudium Neronem sequitur filius C. Claudius Nero Ap. Cæci pronepos. Is Quæstor fuit provincialis, anno $^{536.}_{7}$ Prætor peregrinus Suessulam sortitus est, anno $^{541.}_{2}$ Pro Prætore Capuam obtinuit, anno $^{542.}_{3}$ consulatum iniit cum Livio Salinatore iter. anno 546. huic Gallia adversus Asdrubalem appropinquantem, Claudio contra Annibalem bellum obtigit in Brutiis & Lucanis. Interceptis Asdrubalis ad fratrem litteris, relictoque contra Annibalem in castris suis præsidio, ad Senam Galliæ diligenter profectus ad Metauri ripam, cum collega Pœnos ingenti prælio fuderunt, Asdrubale ipso cum quinquaginta sex hominum millibus apud *Livium* occisis.

Consules sub fine Romam venerunt ad triumphum; Senatus utrique illum decreverunt, cujus rei memoriam testantur *Columnæ Capitolinæ*.

M. LIVIVS M. F. M. N. SALINATOR. AN. DXLVI. DXLVII. *Varr.*
COS. II. DE POENEIS ET ASDRVBALE DVCE.
C. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO COS. AN. DXLVI. DXLVII. *Varr.*
DE POENIS ET ASDRVBALE DVCE. III. III.

Id confirmant quadrigæ triumphales ex averſa denarii parte, in quibus Jupiter Triumphator pro Claudio conſule exhibetur; nam quùm Senatus, ut ipſi triumpharent in iiſdem quadrigis decreviſſet, Claudius Livio Salinatori jam anteà conſulari ceſſit modeſtia, & tantùm equo invectus eſt: ideò Jupiter in quadrigis exhibetur ut triumphi Claudio à Senatu decreti memoria ſupereſſet: ut autem ſimul conſulatum, ſic & cenſuram ſimul geſſerunt, anno 549. 50 ut nos edocent *Marmora Capitolina.*

CENS. M. LIVIVS M. F. M. N. SALINATOR.
C. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO L. F. XLV. XLVI. *Varr*

Litteræ numerales xx. ad argenti pretium, ad denarios conflandos, ſpectare videntur: nam quùm his conſulibus P. Romanus auro ſignato uti cœpit, argentei nummi ad XXII. argenti coctionem, quam nos Gallicè *carat* appellamus, conſtituti fuiſſe videntur.

IV.

Caput Jovis laureatum ex S. C. in averſa parte, TI. CLAVD. TI. NERO. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Ordo temporis poſtulat, ut ad alteram Neronis ſtirpem paulùm divertamus. TI. Claudius Nero Ap. Cæci filius duos habuit filios, nempe Publium natu majorem, à quo originem trahit ipſe Tiberius, & Tiberium natu minorem, ex quo Claudius ille Cenſor & triumphalis progenitus eſt. Tiberius autem, de quo nunc agitur, TI. filius in denario appellatur, & patrem habuit TI. Claudium Neronem Publii F. conſulem, anno 551. 2 Is Quæſturam provincialem iniit, anno 568. 9 Ædilis curulis fuit, cum Quinctio Flaminio, an. 573. 4 & tandem Præturam peregrinam ſortitus eſt, anno 575. 9 & extra ordinem obtinuit ex Senatus decreto Piſas cum una legione & ſociorum auxilio, uti eam provinciam, vicinamque tutaretur. Ille diem quo ſui milites Piſas con-

convenirent, edixit, & ipſe paludatus in provinciam eſt profectus proconſulari cum imperio; non priùs verò in illam pervenit, quin monetam pro ſuorum ſtipendio percuſſerit: in anteriore cujus parte Jovis caput ut Imperii Romani deum tutelarem exhibuit, cum Senatuſconſulti nota S. C. & in altera ſigna legionis in memoriam illius, quæ ipſi decreta fuerat ex Senatus decreto.

V.

SALVS. Caput Salutis laureatum: in averſa parte, TI. CLAVD. TI. F. NERO. in imo, Q. NONI. SEX. F. ASPRENAS. circa ambitum. Ara ſupra quam ſerpens in gyros caput erigit; hinc caduceus, inde tridens.

Idem TI. Claudii nomen, & eadem TI. filii appellatio, ut ad ſuperiorem TI. Claudium Neronem, hunc denarium revocaremus, impellere videntur, ſed collegæ Aſprenatis non ita vetus in magiſtratibus mentio prohibet, ſicuti typus, qui ipſi non congruit. Ergo in alia Neronum ſtirpe alter TI. Claudius TI. F. Nero quærendus cum Q. Nonio Aſprenate coætaneus, & ſi nobis conjecturæ locus TI. Claudio Neroni Tiberii Imperatoris patri tribuendus eſt, qui Quæſturam urbanam cum Q. Aſprenate iniiſſe videtur, anno 700/1 quo tota Italia vota pro ſalute Pompeii M. ſuſcepit, ut narrat *Paterculus*. Si ante biennium... gra- ,, viſſima tentatus valetudine deceſſiſſet in Campania, quo qui- ,, dem tempore univerſa Italia vota pro ſalute ejus, primi om- ,, nium civium ſuſcepit. Vide in Nonia gente.

Salutis nomen & caput in anteriore nummi parte cum ſerpente ſuper aram vota & ſacra deæ Saluti peracta indicant. Serpens ſanitatis eſt ſymbolum *Macrobio*: ille autem in Æſculapii tutela eſſe dicitur, quod herbam attulerit, qua Glaucum reſuſcitaſſe narrant; & annuas exuvias ponunt, quaſi vitam renovant ſerpentes. Salus lauro, ut pater Æſculapius, coronatur, quia multas virtutes habere exiſtimatur.

TI. Claudius Nero in civili bello Cæſaris partes ſequutus eſt, cujùs Quæſtor fuit, teſte *Suetonio*, *cap* 3. ſed diverſa erat Reipublicæ Quæſtura. Alexandrino, inquit, bello claſſi præpoſi- ,, tus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in lo- ,, cum P. Scipionis ſubſtitutus, & ad deducendas in Galliam co- ,,

lonias, in queis Narbo & Arelate erant, miſſus eſt, Prætu-ram obtinuit, anno 712. L. Antonii partes ſequutus, ſolus per-manſit in eis, deinde in Siciliam profugit, deinde ad M. Anto-nium trajecit, & pace facta, Romam rediit, & Liviam uxo-rem petenti Auguſto licet gravidam conceſſit; nec multò poſt diem obiit.

VI.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum. TI. CLAV-DI. TI. F. NERO COS. ITER. IMP. ITER. Quadrigæ triumpha-les, ſupra currum ſtrobilus pini arboris.

Tiberius TI. Claudii Neronis ſuperioris filius, Fundis natus cre-ditur, ob levem, inquit *Suetonius*, conjecturam, quod materna ejus avia Fundana fuerat: ſed ut plures tradunt, natus eſt Romæ in Palatio XVI. Kal. Decembris, M. Æmilio Lepido iterùm & Numatio Planco coſſ. anno 7. an. $^{711.}_{2}$ uno anno ante patris Præturam; quem defunctum novem natus annos pro roſtris laudavit, dum pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, an. $^{724.}_{5}$ Quæſturam urbanam annum 19. agens ante tempus ſuſcepit, U. C. $^{731.}_{2}$ Prætor fuit urbanus, anno $^{737.}_{8}$ Munus gladiatorium permiſſu Senatus cum Druſo fratre exhibuit. Comatam Galliam rexit anno $^{638.}_{9}$ conſulatum cum Quintilio Varo geſſit, anno $^{740.}_{1}$ Illyricum obtinuit per triennium extra ordinem $^{741.}_{2}$ Pannonios vicit; unde Imperatoris nomen tulit. Dalmatas pacavit, & Pannonios rebellantes ſubegit, anno $^{744.}_{5}$ unde illius ovatio coortis in Germania motibus, anno $^{745.}_{6}$ ad bellum miſſus eſt ab Auguſto, trajecto regno magnis cladibus barbaros affecit: unde Imperatoris iterùm ipſi delatus eſt titulus, & decretus eſt triumphus, quem iniit eo die quo conſulatum ſecundum ſuſcepit cum Cn. Calpurnio Piſone, anno $^{746.}_{7}$ ut teſtantur *Fragmenta Capitolina.*

TI. CLAVDIVS TI. F. NERO II. COS. II. AN. DCCXLVI. DCCXLV ℔ *Varr.*
DE GERMANEIS KAL. IAN.

Idem demonſtrant aurei denarii in hanc rem ſignati cum capite Auguſti; & quadrigis triumphalibus, cum nomine & titulis Tiberii, at qùm in aliis aureis denariis Tiberius in ipſis quadri-

drigalibus, & in hoc pro ejus figura ſtrobilus pini exhibetur, *M. Velſerus* ingenioſè illos Auguſto Vindelicæ ſignatos contendit, quod inſigne ſit urbis ſtrobilus pini; unde ſuſpicamur ideò cudiſſe quòd Tiberius Veteranos in urbem Vindelicam colonos deduxerit, unde illa Auguſta ſit denominata. Cetera Tiberii geſta apud *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores* legas, quùm hic de Familiarum nummis nobis ſermo ſit.

VII.

NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. Caput Druſi laureatum : in averſa parte, RHENVS. Fluvius decumbens barbatus, d. arundinem, ſ. urnæ aquas vomenti innixa.

Duo fuere TI Claudio Neroni Julii Cæſaris Quæſtori ex Livia filii, ambo Nerones vocati; ſed Tiberio qui fuit Imperator Romanus pro cognomine, alteri verò minori Druſo pro prænomine datum fuit ex parte matris Liviæ; nam L. Livius Denter ſub P. Cornelio Dolabella conſule, an. 470/1 in bello Gallico ducem vel regem hoſtium nomine Drauſum cominus trucidando ſibi poſteriſque ſuis Druſi cognomen invenit.

Druſus intra penates Auguſti natus, menſe tertio poſtquam ejus pater Liviam matrem ei in uxorem conceſſiſſet, accepta Quæſtura cum fratre Tiberio contra Rhætos miſſus eſt. Prætor urbanus anno 737/8 ex S. C. factus eſt; nam quùm Auguſtus Tiberium fratrem tunc Prætorem in Galliam ſecum duxiſſet, ejus Præturam in Urbe ad finem uſque geſſit. Auguſtus anno 740/1 reliquit in Germania Druſum, an. 741/2 Sicambros vicit ac Friſios ad amicitiam P. Romani traduxit, & tunc urbanam Præturam geſſit, licet anteà honores Prætorios, ut diximus, tuliſſet: vere ineunte contra Germanos profectus & Rhenum tranſiit, ubi Imperatoris titulum meruit, & ovatio & triumphalia ornamenta decreta.

Tandem conſulatum iniit cum T. Quinctio Criſpino, anno 744/5 & bellum Germanicum repetiit, & ob Rhenum toties tranſactum, & populos ad ejus ripam habitantes ſub P. Romani poteſtatem redactos, ſimulacrum Rheni ipſius fluvii in ejus denariis aureis & argenteis expreſſum eſt; ſed in ipſo Victoriæ curſu, ex fractura, equo ſuper crus collapſo, in ipſo conſulatu mortuus eſt in æſtivis caſtris. Senatus decrevit mortuo filiiſque ejus nomen

Germanici, arcumque marmoreum erexit : unde illi denarii poſt ejus mortem percuſſi ſunt cum illuſtri Germanici cognomine, & ipſo etiam arcu triumphali ad ipſam rei memoriam : imò & Senatus ipſe nummos magnitudinis æreos Druſo ſignavit.

VIII.

Caput Apollinis laureatum, ante quod ſceptrum : in averſa parte, M. CLAVD. GLICIA. Navis cum remigantibus.

Quùm poſt ſecundam Ap. Claudii Cæci progeniem, nobis ſit de tertia ſermo, nobis hîc de tertio Claudii Cæci filii, cujus non ſuperſtites denarii ſunt, P. Claudii Pulchri ſcriba dicere liceat : hic verò conſul cum L. Junio Pullo an. 504/5 in Siciliam profectus neglectis Pullorum auſpiciis infeliciter pugnavit, à Senatu Romam evocatus abdicare cogitur dicto Dictatore, quem Claudium Gliciam ſuum ſcribam *Livius*, viatorem *Suetonio* nominavit. Hic per ludibrium ita factus, mox abdicare coactus ipſe eſt, poſteà tamen à Reipublicæ muneribus non abſtinuit ; nam Quæſtor provincialis factus, an. 506/7 hunc denarium percuſſit.

Ab una parte exhibet Apollinem, cui ſceptrum apponitur, ut putat *Pighius*, ad denotandum Romanos eum in ſacris animatorum corporum regem colere, quem religione Græca Solem exiſtimabant : nam Apollinis nomen Græcum eſt. In altera parte Glicia Quæſtor urbanus navim cum remis exhibuit, ut claſſem privatorum opibus inſtructam maritimas Africæ oras vaſtaſſe, & ad Hipponem ædificia ac naves in portu incendiſſe demonſtraret, dum conſules terreſtribus copiis Pœnos Lilybæum & Drepanum infeſtantes repulerunt.

Glicia Quæſtura non contentus Tribunatum accepit, an. 11/2 legatuſque fuit conſulis C. Licinii Vari, an. 517/8 & quùm in Corſicam ante ejus adventum veniſſet, pacem cum Corſis iniit, quam Senatus fecit irritam, Varus eos ſubegit, Glicia temeritatis inconſultæ, qua conſulis officium involare auſus eſt, pœnas dedit graviſſimas, nam Romam reverſus, eum Senatus in carcere necari juſſit, & corpus unco per Gemonias in Tiberim trahi juſſit. Gliciæ miſerabilis exitus, & fortunæ inconſtantis exempl. *Valer. Max. lib. 6. cap. 4.*

IX.

P. CLAVD. PVLCHER. Caput Dei triumphi, pone quod littera T. inter duo puncta : in aversa, M. FABI. C.F. LICINVS. Navis cum remis.

P. ille Claudius Pulcher videtur esse P. Claudii Pulchri tertius Claudii Cæci filius consul, an. $^{504.}_{5}$ qui Quæstor ærarii cum M. Fabio C. filio Licino Dorsone, anno $^{525.}_{6}$ hunc denarium cuderunt. In eo ex una parte Triumphi dei, quem Jovis filium Euhium, id est bonum filium, appellant, effigiem exhibuerunt, quod confirmat littera T. inter duo puncta Triumphum significans, ut monogramma AP. Apollinem in Cæsia gente arguere observavimus: in memoriam scilicet celebris illius triumphi navalis, quem de Illyricis primus fecit hoc anno Cn. Fulvius Centumalus, ut nos docent *Columnæ triumphales.*

CN. FVLVIVS CN. F. CN. N. CENTVMALVS A. DXXV. / DXXVI *Varr.*
PROCOS. EX ILLVREIS NAVAL. EGIT X. K. QVINT.

Ideò in aversa parte navis ad rei confirmationem repræsentatur, quùm hæc esse nota videatur classis, ad cujus instructum sumptus ex ærario publico fuerant desumpti, & ideò à Quæstoribus ex argento publico hi denarii percussi.

X.

Caput Concordiæ velatum, MAM. LEPID. LIVIAN. In aversa parte, AP. CLAVDIVS AP. F. PVLCHER. Sella curulis.

Jam prodiit hic denarius in gente Æmilia num. 18. nunc de illo in Claudia dicendum. Ap. ille Claudius, Ap. filius, Ap. Claudii Pulchri cos. an. $^{611.}_{2}$ Censoris, Auguris & Senatus principis fuit nepos, qui Quæsturam urbanam iniit cum Mamerco Lepido Liviano, anno $^{665.}_{6}$ & simul fuerunt Prætores urbani, an. $^{671.}_{2}$ quod confirmat denarius, in quo sellam curulem magistratus insigne, in rei memoriam, & caput Concordiæ, in signum amicitiæ, cudisse videntur, posteaque quùm Mamercus Livianus consulatum suscepisset, an. $^{676.}_{7}$ ille creatus est ex patriciis Interrex, Urbem

bem, cum Procos. imperio ex exercitu obtinuit, S. C. juſſus operam dare, quùm Mam. Livianus exercitum duceret, ne quid Reſp. detrimenti acciperet, ut ex *Orat. L. Philippi* colligimus. Ap. Claudius Pulcher pater fuit Livii Druſi Claudiani, qui genuit Liviam Auguſti uxorem.

XI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA, ex adverſo, PVLCHER. In altera parte Jupiter, d. quadrigas triumphales agens, ſ. fulmen gerit. AP. CLAVDIVS AP. F. AP. N.

Quanti deſiderantur Claudiorum Pulchrorum denarii, ſi à P. Claudio patruele App. Pulchri cos. an. 542/3 avi illius qui denarium cudit, deſcendamus. Is Ædilis curulis cum Ser. Fabio Pictore, an. 604/5 Prætor provincialis, an. 606/7 Conſul cum Q. Cæcilio Metello Macedonico, an. 610/1 Claudio decreta eſt Gallia. Cum Salaſſis congreſſus in prælio primùm ſuperatus eſt, teſte *Oroſio, l.* 5. *c.* 4. deinde reparato exercitu quinque pariter millia hominum interemit, ſed cladis acceptæ non parùm ſollicitam reddiderat urbem: quare Romam reverſus triumphum non obtinuit, tamen privatis ſumptibus triumphavit; quem quùm Tribunus plebis quidam è curru detrahere vellet, Claudia Veſtalis filia conſulis autoritate ſacra prohibuit. Igitur, inquit *Valerius Maximus, lib.* 5. *cap.* 4. alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Veſtæ duxit. Nec diſcerni potuit, utri plus laudi tribueretur, an cui Victoria, an cui Pietas comes aderat. *Fragmenta Capitolina* ejus triumphi meminerunt.

AP. CLAVDIVS AP. F. AP. N. PVLCHER AN. DCX./DCXI. *Varr.*
COS. DE SALASSEIS EX ALPIBVS.

En triumphi Claudii monumentum Jupiter, cui votum feciſſe videtur, pro illo quadrigas triumphales ducit lento gradu, ut moris eſt, quo modo exprimuntur denarii triumphales, & non per Victorias quadrigas decurrentes. Tandem Ap. Claudius Pulcher cenſoriam dignitatem obtinuit cum Q. Fulvio Nobiliore, anno 617/8 & ſimul luſtrum fecerunt LVIII.

XII.

XII.

Caput Romæ galeatum : in aversa parte, C. PVLCHER. Bigæ aurigante Victoria, d. flagrum.

C. Pulcher fuit App. Claudii Pulchri filius, & P. Claudii Pulchri, qui primus hoc cognomen tulit, nepos, ex tribus Claudiis fratribus consularibus tertius fuisse videtur. Quæsturam provincialem suscepit, anno $^{565.}_{7}$ in qua hunc denarium solito nomine bigatum appellatum cudit; posteà Præturam urbanam gessit, anno $^{573.}_{4}$ & consulatum cum Ti. Sempronio Graccho, anno $^{576.}_{7}$ denique censuram cum eodem Sempronio Graccho, anno $^{584.}_{5}$ ut testantur *Columnæ Capitolinæ.*

CENS. C. CLAVDIVS AP. F. N. TI. SEMPRONIVS P. F. TI. N.
PVLCHER. GRACCHVS.
L. F. LII.

XIII.

C. CLODIVS C. F. Caput Floræ, cui corona ex floribus contexta est; & flos pone caput: in aversa parte, VESTALIS, Vestalis sedens velata, d. simpulum, s. sellæ innixa.

C. Clodius qui nummum argenteum percussit, Caii filius indigitatur, & hunc ad C. Claudium C. Claudii Pulchri filium, cos. anno $^{623.}_{4}$ revocat *Ursinus* , & Vestalem in aversa parte depictam, *Patinus* ad alteram, quam protulit ille, referri existimat. Hic ad consanguineam P. Claudii Pulchri filiam, cujus pietatem, dum Tribunus plebis patrem triumphantem de curru detrahere tentat, *Valer. Maximus* extollit; *Painus* verò Vestalem profert antiquiorem nempe anno $^{548.}_{9}$ quæ ex *Livio*, navem in medio Tiberis pro- „ fluente hærentem, qua mater Deûm è Pessinunte arcessita ve- „ hebatur, injecta zona movit; quùm libri Sibyllini castissi- „ mam mulierem adhibendam juberent, quo facto illa incestus „ suspicionem delevit in quam inciderat. Nummi ut publica fa- „ cta potiùs quàm privata exhibere solent, nos ut *Patino* potiùs quàm Ursino astipulemur impellunt, de quo adhuc infrà.

Patre C. Clodio Consulari, Censorio, atque Triumphali C. Clodius Quæsturam accepit provincialem, anno $^{595.}_{6}$ Ædilis fa-

ctus eſt curulis cum C. Claudio Centhone, conſanguineo ſuo, anno *606.* in quo magiſtratu denarius nos edocet eum Florales ludos edidiſſe, quùm nobis Floræ caput, corona ex floribus contexta, & pone caput flos iterum exhibet. *Cicero* muneris Ædilis eos eſſe narrat, *Act.* 7. *in Verrem.* Nunc ſum deſignatus Ædilis ...
„ mihi Floram matrem populo, plebique Romanæ Ludorum
„ celebritate placandam: Floralia autem quùm menſe Aprili
„ primùm celebrarentur in Maium tranſlata, quod *Ovidius* his
„ verſibus oſtendit.

Mater ades florum, ludis celebranda jocoſis,
Diſtulerant partes, menſe priore, tuas.
Incipis Aprili, tranſis in tempora Maii,
Alter te fugiens, quùm venit alter, habet.

Præturam urbanam geſſit, [618/9] Provincialem verò *619.* & tandem conſulatum iniit cum Perpenna [623/4] Claudio Italia decreta eſt.

XIV.

AP. CLAVDI. C. F. PVLCHER VESTA. Caput Veſtæ velatum, M. TVLLI. M. F. CICERO IIII VIR. Templum Veſtæ rotundum.

Duo fratres Appii prænomine reperiuntur filii C. Claudii qui frater erat adverſarii Ciceronis, unde unus major, alter minor ob id appellatus, ambo Milonis qui patruum occiderat accuſatores ex *Pædiano*, an major vel minor Quatuorvir cum Cicerone filio? de quo in gente Tullia dicturi. Non quidem Quatuorviri monetales; ſed templum Veſtæ eos à Senatu Quatuorviros ſacris ædificiis reficiendis conſtitutos denotat, de quibus ſic extra ordinem loquitur *Livius l.* 25. Appius hic Claudii filius Pulcher coetaneus erat cum Cicerone juniore, & Quæſturam provincialem geſſiſſe videtur, anno [704/5] ut & miſſus à Cæſare in Galliam, ut legiones à Cæſare in Syriam mittendas acciperet, conſul verò renunciatur cum C. Norbano, anno [715/6] & Cicero junior ſuffectus, anno [723/4]

XV.

Caput Apollinis radiatum: in averſa parte, AP. CLAVD. AP. F.

F. PVLCHER. Luna bicornis inter ſeptem triones, in imo octavus.

App. Claudius in denario ſcriptus App. Claudii filius, fuit primogenitus P. Clodii, Ciceronis inimici, frater. Is Præturam de repetundis ſortitus obtinuit, anno *696.* quo anno Apollinares ludos celebravit cum aliis Prætoribus: in cujus rei memoriam ex una parte caput Apollinis & quidem radiatum; quod pro Sole haberetur, & quùm illi in honorem Dianæ & fratris ejus ex uno partu à Latona matre editorum fierent, ſub Lunæ ſymbolo ipſam expreſſit cum trionibus. Appius fratri Clodio primùm ſtuduit, ut Ciceronis reditum impediret, ex *Dione*, poſteà tamen non ita eſt adverſatus; at revocationem cum aliis petivit, ut patet ex ipſo *Cicerone in Orat. pro Domo.*

XVI.

Ciſta aperta ex qua exilit ſerpens in corona ex hedera & baccis contexta: in averſa, AP. PVLCHER AP. F. PROCOS. à latere, ΛΑΟ. in imo, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΖΩΣΙΜΟΣ. Duo ſerpentes in gyris circumvoluti, in quorum medio pharetra cum arcu; à lævo latere caduceus.

App. Claudius poſt Præturam urbanam adeptus eſt provinciam Sardiniam, anno $\frac{697}{8}$ & tandem conſulatum cum L. Domitio Ahenobarbo, anno $\frac{699}{700}$ P. Lentuli ſucceſſor ivit Proc. in Ciliciam 700. in cujus adminiſtratione illi hoc majoris moduli numiſma argenteum, ab Apollonio Sozimo Damocrati filio Laodiceæ præfecto, ſignatus eſt, antequam Imperator in provincia fuiſſet appellatus, ut ipſe *Cicero* ex quibuſdam *Epiſtolis, lib* 3. quem illi dedicat, nos edocet. Ex rebus in ea benè geſtis triumphum ſperavit, & obtinuiſſet, niſi ademiſſet P. Dolabellæ accuſatio, qui eum de majeſtate & ambitu, fruſtrà licet, poſtulavit. Poſteà Cenſor cum L. Calpurnio Piſone Cæſonino creatus eſt anno $\frac{703}{4}$ & luſtrum fecerunt ſimul LXXI. & ipſi ultimi fuerunt Cenſores libera Reſpublica.

Hujuſmodi nummi tetradrachmales argentei, ciſtophori appellabantur, de quibus loquitur *Livius Dec* 4. *l.* 7. in triumpho regis Antiochi. Prælata ſunt, inquit, ſigna militaria 230. & ar- „ genti infecti tria millia pondo, ſignati tetradrachmum Atticum

113. millia ciſtophororum 242. Hi habent ex una parte coronam ex hedera & baccis, in honorem Bacchi; & ciſtam, ex qua ſerpens exilit ad eumdem ſpectantes: nam in ea continebantur illius arcana & myſteria, & angues in ejus orgiis à Bacchantibus erant geſti, quod ille præcipuus & tutelaris Aſiæ minoris deus putabatur; unde Aſiani M. Antonium Triumvirum appellabant Bacchum, cui ſimiles cuderunt maximos nummos: hinc ſerpentes ipſi erant provinciæ inſignia, ut nos edocet quinarius Auguſti cum epigraphe, ASIA RECEPTA, cum pharetra & arcu in maximis illis nummis; caduceus pacem & felicitatem denotat. Vide *Seguinum in ſelectis nummis*, de hoc nummo diſerte ſuo modo explanantem.

XVII.

PVLCHER TAVRVS REGVLVS. Duæ dextræ tenentes caduceum: in averſa, III VIR. A. A. A. F. F. in area, S. C.

Ex primo horum Triumvirorum monetalium cognomine Pulchri, ad aliquem Appiorum ejus ſtirpis nummum pertinere cognoſcitur: ſed quis ille fuerit, indicare non facile eſt, cum Statilio Tauro & Livineio Regulo ut Triumvir monetalis Senatus, quidem teſte S. C. nota, nummum minimæ formæ percuſſit: nam ut ſæpè diximus, Auguſtus cum Senatu monetæ cudendæ poteſtatem diviſerat, ipſe auream & argenteam habuit, Senatus verò æream: unde Triumviri per dextras, concordiam inter utrumque ſignificant, caduceum tenentes; unde pax inter eos.

XVIII.

CAESAR AVGVSTVS TR. POT. Caput Auguſti laureatum, AP. PVLCHRO T. TAVRO L. PISO CN. F. II VIR. Bos.

An Ap. Pulcher in hoc nummo Duumvir deducendæ coloniæ appellatus, idem fuerit, qui cum T. Statilio Tauro in ſuperiore Triumvir monetalis dicitur, nemo certò affirmare poteſt; ſed tempori videtur ſatis congruum: nam diviſio provinciarum & monetæ, nomen Auguſto datum Tribunicia poteſtas ab eo accepta, anno $\frac{725}{6}$ obtigerunt, & circa hæc tempora fuerunt conſules, nempe T. Statilius Taurus, anno $\frac{727}{8}$ Cn. Calpurnius Piſo Cn. F. anno

no $^{730}_{1}$ imò & Ap. Claudius Pulcher, anno $^{71}_{6}$ cujus filii, ut Triumviri monetales, ita & Duumviri deducendæ coloniæ esse potuerunt; sed quùm coloniæ nomen in nummo non appositum est[l], eam in Italiam deductam suspicor, hæ, urbe in nummis omissa tantùm Duumvirorum nomina ad distinctionem coloniarum in aliis provinciis deductarum signabant, quasi essent magis notæ: ut in plurimis nummis observare est, qui sine coloniæ nomine occurrunt.

XIX.

C. CAESAR AVG. GERMANICVS. Caput Caligulæ: in aversa parte, GER. CAESAR DOSSENO PVLCHRO II VIR. Caput Germanici.

XX.

Caput idem laureatum: in aversa, GERM. CAESAR PVLCHRO III. VARIO II V. Caput Germanici laureatum.

Patinus duos hosce nummos ut familias Romanas potiùs augeret quàm illustraret, adjecit: quid enim quàm cognomen Pulchri habent, de quo nihil erui potest, nisi illum fuisse ex priore Duumvirum cujusdam coloniæ in Italia, cujus ideò nomen, ut suprà diximus, reticetur, cum Dosseno cujus cognomen inter Romanos non occurrit; at in posteriore Duumvir tertiùm perhibetur cum Vario, parum cognomine inter celebres familias Romanas noto. Ejusmodi verò nummi *Historiæ Augustæ* magis conveniunt; sed eos inter *Coloniarum & municipiorum numismata* collocavimus.

XXI.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, AP. CL. T. MANL. Q. VR. Appius Claudius, Titus Manlius, Quintus Marcius. Victoria in trigis.

Ad App. Claudium Appii F. Appii N. qui proavum Ap. Claudium Cæcum habuisse videtur, atque ejus majorem filium, qui Ap. Claudius cos. anno $^{68}_{6}$ de Picentibus triumphavit. Is ejus nepos Quæstor urbanus fuit cum T. Manlio cognomine Tor-

quato. Illi hunc denarium percusserunt, ut fert inscriptio, Q. VR. id est, Quæstores urbani, anno 544. De Tito Manlio primo in ejus gente Dictatori; sed quis fuerit ille Appius Claudius Triumvir, & quo tempore vixerit, ob tot hujus prænominis Claudios affirmare non est facile. Trigæ etiam occurrunt in denariis, ut & quadrigæ cum Romæ capite, quæ fuerunt solita denariorum symbola.

XXII

CENTHO. Caput Romæ galeatum: in aversa parte, C. CLAVDI. AP. F. Castor & Pollux astris insigniti, decurrentes in equis dextris hastas gerunt.

Tandem ad quartam & ultimam Appii Claudii Cæci stirpem, quæ habuit ejus principem C. Claudium cognomine Centhonem. Is Quæsturam habuit Provincialem, in qua denarios cum capite Romæ & Dioscuris decurrentibus; quibus plerumque nobilitas illa fratrum concordiam inter se & fidem signare solebat.

XXIII.

ROMA. Caput Dei Fauni laurea cinctum: in aversa parte, C. CLAVDIVS CENTHO. Sella curulis, hinc caduceus alatus, & inde EX S. C.

Claudius Centho post Quæsturam creatus est Ædilis curulis cum Aulo Posthumio Albino, an. 507. Sella autem curulis hujus magistratus insigne, sed cur caput dei Fauni laureatum cum barba hirsuta & facie rustica in anteriore parte; Ædilium autem erat officium curare, ut templa magnificis operibus reficerentur; quod accidisse nos edocet denarius Centhonis qui videtur ex S. C. Fauni templum restaurasse. Id erat in monte Cælio, circulari forma multis in ambitu columnis adornatum, huicque deo ædem in insula Tiberina Domitius Ahenobarbus & Scribonius Ædiles multatitia pecunia condiderunt, ex *Livio*. Faunus apud Aborigenes regnum tenebat, primus loca certis numinibus sacravit, unde fana dicta sunt à fando, quod & ipse vates Faunus est appellatus, unde laurea coronatus. *Plutarchus* eum Mercurii filium fuisse di-

dicit : idcircò expressus est caduceus ejus dei insigne. At quùm inter homines esse desiisset, antiquitas eum tamquam Deum coluit, & *Dionysius* refert à Romanis pòst, tamquam unum Indigetum sacris honoratum esse.

Præturæ C. Claudii Centhonis ignoratur annus, sed consulatum iniit cum M. Sempronio Tuditano, 513.4 quibus cos. pax pro primo bello Punico facta est. *A. Gell. lib.* 17. *cap. ult.* Censor fuit, anno 528.9 cum M. Junio Pera, ut testantur *Marmora Capitolina*.

CENS. C. CLAVDIVS. AP. F. C. N. CENTHO M. IVNIVS D. F. P. N. PERA. L. F. XXXXII.

Quùm Consules ad comitia ineunda Romam venire non possent bello intenti, TI. Sempronius Consul Dictatorem dixit C. Claudium Centhonem.

C. CLAVDIVS AP. F. C. N. CENTHO DICT.
Q. FVLVIVS M. F. Q. N. FLACCVS MAG. EQ.
COMITIORVM HABEND. CAVSA.

XXIV.

Caput Triumphi laureatum, CENTHO. In aversa parte, AP. CLAVD. C. F. Victoria in quadrigis, d. palmam, s. habenas.

Ab avo C. Claudio Consule, Censore & Dictatore ad nepotem descendimus, cujus est hic denarius, qui Quæsturam Provincialem suscepit, anno 669.700 posteà Ædilis curulis factus est cum Cn. Servilio Cæpione, anno 674.5 simul ludos Romanos instaurarunt, teste *Julio Obsequente*. Prætor peregrinus Hispaniam ulteriorem est sortitus, anno 678. ad ejus adventum Celtiberi frustrà rebellant; prorogata est illi provincia, anno 679.80 donec successor advenisset: ob res benè gestas Centhoni decreta est ovatio, ut nos docent *Columnæ Capitolinæ*.

AP. CLAVDIVS C. F. C. N. CENTHO PRO A. DCLXXIX. DLXXX. *Varr.*
PR. OVANS EX CELTIBERIA....

An Triumphi caput designet triumphum vel ovationem? Quadrigæ cum Victoria solitum videtur esse denariorum symbolum.

XXV.

XXV.

CENTHO. Caput Romæ galeatum : in aversa parte, AP. CLAVD. AP. F. Bigæ aurigante Victoria.

Patrem filius sequitur Ap. Claudius Centho App. Claudii Centhonis filius, Quæstor Provincialis, anno 605. in cujus magistratu hunc denarium cudit cum capite Romæ, & in parte aversa bigas solitum denariorum Romanorum symbolum. Proquæstore fuit anno 606. & 607. Hic videtur posteà mortuus, quùm Caii ejus fratris Ædilitatem curulem reperiamus, anno 616. & Præturam urbanam, 619.

XXVI.

ROMA. Caput Romæ galeatum : in aversa parte Bigæ cum Victoria, d. lauream, M. MARCELL.

Denariis Claudiæ gentis patriciæ prolatis nunc plebeiæ nummos argenteos nobis superstites exhibemus. En bigati quos M. Marcellus, clarissimus ille Imperator, percussit in Quæstura sua provinciali, anno 520. Nihil peculiare habent, præter solita denariorum symbola cum Romæ galeatæ capite. Marcellus ex Quæstura factus est Tribunus plebis, anno 525. Prætor urbanus, an. 528. & tandem Consul cum Cn. Cornelio Scipione Calvo, anno 531.

XXVII.

ROMA. Caput Romæ galeatum : in aversa Marcellus togatus. d. trophæum, & quadrigas triumphales agit, M. MARCELL.

Utrique consuli Marcello & Scipioni Calvo decreta provincia Gallia. *Plutarchus*, *in ejus vita*, eum regem Viridomarum ad Clastidium Galliæ vicum manu propria occidisse narrat, & insignem de Gallis victoriam retulisse, unde Marcellus ex Senatusconsulto solus triumphavit, & denarius rectè cum *Plutarcho* convenit. Ille quadrigis triumphalibus lento gradu gradientibus vectus trophæum de Regis spoliis & armis exhibet. *Plutarchus* ait:
„ Triumphus fuit reliqua magnificentia, opulentia, spoliis, im-
„ manibus corporibus captivorum, quùmprimis memorabi-
„ lis. Verum omnium gratissimum spectaculum & rarissi-
„ mum ipse fuit dux, qui arma barbari detulit. Ex quercu
excelso

excelso & recto stipite detruncato paravit in modum trophæi ,,
ferculum. Deligavit ex eo & suspendit in orbem spolia, singu- ,,
la aptè & decorè annectens. Prægressa pompa, portans fercu- ,,
lum conscendit currum, ac triumphalis imago ipse illius me- ,,
moriæ pulcherrima speciosissimaque invectus urbem est. Su- ,,
persunt adhuc rei hujus monumenta in *Marmoribus Capitolinis*.

M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS DXXXI. DXXXII. *Varr.*
COS. DE GALLEIS INSVBRIBVS ET GERMANEIS
K. MAR. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RESTITVIT.
DVCE HOSTIVM VIRDOMARO. AD CLASTIDIVM.
INTERFECTO.

XXVIII.

Caput Romæ galeatum: ante quod corona ex lauro in aversa parte, M. MARCEL. in imo, ROMA. Victoria agit bigas decurrentes, d. flagrum.

Marcello licet religio consulatum abstulisset, Romani tanto duce gaudentes, ut qui res post Cannensem cladem prosperè solus gesserat, Populus ut Provinciam cum Proconsulari Imperio haberet, voluit: itaque illi Campania, Romæ proxima, decreta est, & quùm Annibal ejus excursionibus excitus ad tuendos socios Nolam urbem corona cingeret. Marcellus eruptione facta Pœnos repulit, & eductis ex urbe copiis in aciem ante mœnia justo prælio cum Annibale conflixit, hostemque iterùm profligavit, & Campaniam omninò pacavit; comitiaque in fine anni habita sunt, & designatus est consul in annum proximum.

Tertium consulatum cum Q. Fabio Maximo, superiorem computando, quem si per aliquod tempus non gessisset Marcellus, haud computarent Historici, iniisse scribunt, anno 539. 40 & ambobus coss. decretum est bellum cum Annibale, utpote duobus eximiis ducibus, eum uterque in Italia præliis lacessivit, sed quùm bellum in Sicilia, occiso Rege Hieronymo, oriretur, Marcellus in eam proficisci jussus est; ubi Syracusas triennio obsessas tandem expugnavit, quare triumphum petiit, & ipsi negatus est, ovatio tamen concessa: ille verò triumphum in monte Albano, ut moris tunc erat, quibus triumphus Romæ decernebatur, & ad

ad notandam ejus in Sicilia victoriam in denariis tunc cum ejus nomine cusis coronam ex lauro, in anteriore eorum parte ante caput Romæ expresserunt.

Marcellus IIII. consulatum cum M. Valerio Lævino iter. suscepit, anno $\frac{543.}{4}$ Marcello Sicilia cum classe decreta est, sed eam ob Siculorum licet improbatam permutavit. Denique consul v. cum T. Quinctio Crispino creatus est, anno $\frac{545.}{6}$ sed consules contra Annibalem certantes periëre, Marcellus in prælio, & Quinctius paulò pòst ex vulnere.

XXIX.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, M. MARCEL. Victoria in quadrigis, d. habenas, s. flagrum.

Tanto parenti succedit ejusdem cognominis filius M. Claudius Marcellus paternæ virtutis hæres. Is erat Tribunus militum in prælio, quo pater Annibalis insidiis interceptus periit. Quæsturam provincialem suscepit, anno $\frac{544.}{5}$ Tribunus plebis fuit, anno $\frac{549.}{50}$ Prætor Siciliam sortitus est, anno $\frac{555.}{6}$ Siculis admodum ob patris memoriam gratus, cui statuam ut parenti dedicarunt æneam apud *Ciceronem*, *Act.* 4. *in Verrem.*

Marcellus consulatum gessit cum L. Furio Purpureone, anno $\frac{557.}{8}$ Italia ambobus provincia data est & Marcello ob res præclarè in Gallia Comata gestas triumphus à Senatu decretus est de Comensibus & Insubribus, ut *Livius & Marmora Capitolina* testantur.

M. CLAVDIVS M. F. M. N. A. DLVII. DLVIII. *Varr.*
COS. DE COMENSIB. ET INSVBRIB. IV. NON MART.

In ejus triumphi memoriam cusus est nummus Marcelli, cum Victoria in quadrigis coronam gerens, ut quidam volunt. Marcellus deinde censuram gessit cum T. Quinctio Flaminino, anno $\frac{564.}{5}$ ut testantur *Columnæ Triumphales.*

CENS. T. QVINCTIVS T. F. L. N. FLAMININVS
M. CLAVDIVS L. F. M. N. MARCELLVS
L. F. XXXXVIII.

XXX.

XXX.

Caput Nemeſeos tutulo divinitatis ornatum cum monili, FLACCVS: in averſa parte, M. CLAVDI. M. F MARCEL. Q. FVLVI. M. F. Caduceus alatus.

Locum hîc habere debuit iſte M. Claudii Marcelli denarius cum Q. Fulvio M. filio Flacco ſociatus; Marcellus quidem ut conſul iterùm anno $^{538.}_{9}$ & Fulvius ut Prætor urbanus extra ordinem factus, ob bellum Punicum ſecundum. Conſul ineunte magiſtratu Nemeſi, facinorum impiorum Ultrici, ſacra feciſſe videtur, ut Annibalem contra patris fœdera Romanos laceſſentem & victoria inſolentem puniret, illi verò juſta ſemper bella movebant: ideò Conſules ſemper profecturi ad bellum huic deæ ſacrificabant, ut teſtatur *Amm. Marcellinus*, *lib.* 2 ſed, reclamat *Amicus.* Marcellus conſulatum abdicavit, quia tonuerat illo eum ineunte, quod tamen non eo die factum eſt: nam lis fuit inter Augures & illum, qui tandem vitio creatum pronuntiarunt. Marcellus porrò provinciam extra ordinem obtinuit, nec alius M. Marcellus M. filius, cum Q Fulvio M. filio occurrit in tota *Hiſtoria Romana* ſociatus, qui magiſtratus eodem anno geſſerint, & hic M. Marcellus ſacra Nemeſi feciſſe potuit: ſi quidem Q. Fulvius denarios illos nobis ſuperſtites percuſſit, nomen Marcelli etiamſi junioris, ſed dignitate Fulvium præeuntis, licet jam bis conſularis, prius ſignatum eſt ut Conſulis, & Fulvius Prætor ſequitur, ut is qui denarium cudit. Secundum *Hiſtoriæ Scriptores* hunc conſulatum M. Marcelli numerant; ut in ſequentibus ejus denariis videbimus, ut ipſi etiam quintum ejus conſulatum hunc computando denotant.

XXXI.

Caput Romæ galeatum, pone quod modius: in averſa parte, Victoria in bigis, d. coronam cum duabus ſpicis in imo. MARC. ROMA.

Magni illius Marcelli quinquies Conſulis ecce dignus nepos ſuperioris filius, Quæſturam Provincialem accepit, anno $^{571.}_{2}$ Tribunatum plebis, anno $^{576.}_{7}$ Ædilis Plebis fuit cum C. Servilio Caſca, anno $^{580.}_{1}$ primique Floræ ſacra, & ludos Florales fecerunt. Præturam Provincialem obtinuit, anno $^{584.}_{5}$

Marcellus factus Ædilis curulis cum Cn. Domitio Ahenobarbo, anno $^{585.}_{6}$ quùm in hoc magiſtratu annonæ utilitatem & copiam procuraſſent, ad impenſas Ædilitatis demonſtrandas denarios cudi curarunt, ideò in anteriore parte modius frumenti menſura, & in averſa ſpicæ. Vide alterius Ædilis nummos in Domitia gente cum ſpicis pariter. Marcellus conſulatum iniit cum C. Sulpitio Gallo, anno $^{587.}_{8}$ Illi Gallia, Sulpitio Ligures obvenerunt, & de Gallia Marcellus triumphavit ex Colonis antiquis.

M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS COS. A. DXXCVII. DXXCVI. *Varr.*
DE GALLEIS, CONTRVDIEIS ET LIGVRIBVS.
TIBVSQVE INTERK.

In ejus triumphi memoriam volunt denarium ſequentem eſſe ſignatum; quem Marcello avo tribuimus ob parem cum aliis epigraphen, & ſimilem hujus ævi formam.

XXXII.

Caput Romæ galeatum, MARCEL. in averſa parte Neptunus in quadrigis, ſ. tridentem. M. CLAVD. M. F. In vertice, ROMA.

M. Marcellus ſecundum conſulatum iniit cum Scipione Naſica II. anno $^{593.}_{9}$ Gallia Comata & Ligures Marcello obvenere. Marcellus de Eleatibus & Ingauneis Liguribus triumphavit. Ligures illi fuere maritimi in ora Liguſtica, quorum urbs erat præcipua Altingaunum, ut Neptunus cum tridente in quadrigis invectus teſtatur, in denario expreſſus, & *Columnæ Capitolinæ*.

M. CLAVDIVS M F. M. N. MARCELLVS COS. II. A. DXCI:X. DXCIX. *Varr.*
DE ELEATIEVS ET INGAVNEIS....

XXXIII.

ROMA. Caput Romæ galeatum: in poſtica parte, M. MARCEL. M. F. M. N. Senator in quadrigis elephantorum, cum ſeſſoribus. ſ. ſcipionem eburneum, in vertice corona.

Quin ad eumdem Marcellum pertineat hic denarius, epigraphe quæ eum Marci filium & Marci nepotem appellat, & *Columnæ triumphales*, quæ eum de Celtiberis & Hiſpania citerio-

re

re triumphaſſe nos edocent, & typus qui illum triumphalem exhibet, dubitare non ſinunt. Marcellus tertium conſulatum cum L. Valerio Flacco geſſit, anno $^{621.}_{2}$ Marcello Hiſpania citerior obtigit, quam pacatam armis reddidit, ad pacem petendam compulit, pecunias & obſides imperavit. Quibus acceptis libertatem populis iis indulſit, ut refert *Appianus in Tiber.* Romamque reverſus obtinuit, & elephantis, quos ſecum duxit, in triumpho vectus eſt, dignus omni laude, ſed miſerè naufragio in Africa, paulò ante tertium bellum Punicum ſubmerſus periit.

XXXIV.

Caput Veneris myrtea corona inſignitum, M. CLAVDI. M. F. MARCELLVS Q. GEMINVS. in averſa parte, C. N. SERVILI. P. F. Navis Prætoria cum remis, in imo, ROMA.

Patrem M. Claudium Marcellum Otaciliani F. ſequitur M. Claudius Marcellus filius, cui comes additur Cn. Servilius P. filius Geminus Q. id eſt, *Quæſtores*: Geminus autem cognomen eſt Serviliorum uno partu genitorum: hi ambo fuere Quæſtores urbani, anno $^{604.}_{5}$ quo tertium bellum Punicum ſuſceptum eſt L. Marcio & M. Manilio Conſulibus, & quùm neceſſaria eſſet claſſis in Africam traducenda, Quæſtores ſumptus ad eam extruendam ſuppeditarunt, in cujus memoriam denarii cum trireme Prætoria remis inſtructa ſignati fuerunt; in cujus anteriore parte Venus, ut maris dea & Romanorum tutelare numen, & Carthaginienſibus adverſum qui Junonem colebant.

Poſt Quæſturam urbanam M. Marcellus Tribunatum plebis iniit, anno $^{609.}_{10}$ Ædilitatem verò plebis, anno $^{612.}_{3}$ Præturam urbanam, anno $^{615.}_{6}$ Provinciam ſortitus eſt Africam, anno $^{616.}_{7}$ ſed in navi Terracinæ propinquus fulmine conflagravit.

XXXV.

MARCELLINVS. Caput M. Marcelli cos. pone quod Triquetra Siciliæ ſymbolum: in averſa parte, MARCELLVS COS. QVINQ. Templum Jovis tetraſtylum, in quo togatus trophæum ſupra aram tenet.

XXXVI.

Alter à Trajano restitutus, cum eodem capite & in aversa parte, typo.

Caput M. Claudii Marcelli quinquies Consulis post tot annos tandem nobis exhibet Marcellinus in familiam Corneliam adoptatus, ut se ex gente Marcella oriundum esse testaretur, ut nomen Marcelli in Marcellinum productus: de hoc sic loquens *Ursinus*, „ ait: Denarius autem sine dubio à Cn. Lentulo Marcellino cu„ sus est, qui quùm esset de Claudia gente ex familia Marcellorum „ ortus, in Corneliam postea adoptatus, CN. CORNELIVS LEN„ TVLVS MARCELLINVS nominatus est, sed ad patrem ejus Publium M. Marcelli, qui Æserniæ anno secundo belli socialis, quùm urbs in Samnitum potestatem venit, filium pertinere arbitramur. Ille P. Lentulo Suræ patri in adoptionem datus, habuit adoptivum P. Lentulum Suram atque Germanum C. Marcellum Æserninum, sicut ex *Ciceronis Bruto* colligere est.

Adoptivi autem etiamsi in aliam gentem transirent, familiæ tamen nomen non amittebant, & gesta majorum in denariis renovare solebant, ut videre est in Æmilia, ubi Paulus illustria familiæ gesta exhibet. Sic P. Cornelius Lentulus Marcellinus in Quæstura, anno 675/6 proavi sui effigiem ad æternam ejus memoriam nobis repræsentat, & illum opima spolia de Viridomaro rege in templo Jovis Feretrii collocantem nobis iterùm depingit. Triquetra pone caput ejus Siciliæ symbolum est in memoriam honorum quos Siculi proavo & successoribus ejus in provinciam euntibus deferunt: eos provinciæ patronos appellantes, & festa quotannis Marcellea, teste *Plutarcho*, celebrare soliti.

XXXVII.

Caput Dianæ cum Luna bicorni supra frontem, pone dorsum arcus & pharetra, EX S. C. in aversa parte, M. MARCEL. M. LEPIDVS. ÆDIL. CVR. Templum rotundum, in quo ipsa Diana cippo insidet, d. arcum.

Jam prodiit hic denarius in gente Æmilia, num 21. nunc de illo nobis in Claudia superest dicendum. Is filius fuit M. Marcelli Ædilitii, anno 662. M. Marcelli ter consulis, de quo antè, pronepos,

nepos, Tribunatum plebis accepit, anno $\frac{699}{700}$ Ædilitatem curulem gessit, cum M. Lepido Triumviro, anno 701. in quo magistratu ut Ædilium munus erat curare templa, illud Dianæ in denario percussum videntur restaurasse, in cujus memoriam illius iconem posteris commendarunt. M. Marcellus deinde consulatum iniit cum Ser. Sulpitio Rufo anno sequente $\frac{702}{3}$ Ejus patruelis ut videtur, Caius Marcellus cum L. Æmilio Paulo, anno $\frac{703}{4}$ & tandem C. Marcellus prioris frater consulatum etiam gessit, anno $\frac{704}{5}$ ita ut tres Marcelli tribus annis subsequentibus fuere consules. De ultimo in sequentibus denariis dicturi sumus.

XXXVIII.

NERI. Q. VRB. Caput Ditis, pone quod uncus seu bidens: in aversa parte, C. MARC. L. LENT. Aquila legionaria, inter duo signa, in quorum priore littera H. & posteriore littera P.

Ad tres familias pertinet hic denarius, & quùm inter eas C. Marcellus nominetur, de illo nobis priùs erit sermo. Caius hic Marcellus cum Cornelio Lentulo sociatur, ut qui consulatum simul gesserunt, anno U. C. $\frac{704}{5}$ frater fuit M. Marcelli consulis, anno $\frac{702}{3}$ ad quos scripsit *Cicero*, *Fam. lib.* 4. & licet Octaviam Cæsaris sororem duxerit uxorem, Julio Cæsari suo avunculo adversabatur, & quùm bellum civile jam instaret nutante Republica, Cn. Nerius, tunc Quæstor urbanus denarios sub nominibus Marcelli & Lentuli consulum, ut denotaret quas sequeretur partes, percussit. In iis ex anteriore parte Ditem à Græcis Plutonem appellatum, quem præcipuè colebat, exhibuit. Ejus ædes in decima urbis regione *P. Victor* collocat. In aversa legionum signa quod Consules in hoc civilis belli exordio per totam Italiam delectum militum imperassent ad legiones augendas. At quùm illæ, ut notum est, componerentur ex Hastatis, Principibus, & Triariis, hi sua signa divisim habebant Hastati, nempe in quibus littera H, Principes verò in quibus nota erat P. at Triariorum erat Aquila signum totius legionis, quam ob certam convenientiam in medio collocant artifices.

XXXIX.

L. LENT. MAR. COS. *Lentulus Marcellus Consules.* Jupiter nudus & imberbis stans, d. extensa fulmen, s. aquilam; in imo falx messoria: in aversa parte caput muliebre cum tribus cruribus & tribus spicis.

Quùm de pace inter Jul. Cæsarem & Senatum conveniri non posset, Cæsar Rubiconem transiit, & plurimis Italiæ urbibus occupatis, Roma Consules fugere coegit. Hos in Siciliam profectos nos docent eorum denarii, aut in ea insula sub eorum nomine primùm illos fuisse percussos; nam Triquetra seu tria crura pro Siciliæ typo habentur, quæ tria significant promontoria, Lilybæum, Pachynum & Pelorum; unde Sicilia dicta est Trinacria; inter ea tres spicæ, ad frumenti in insula abundantiam denotandam, ut & falx messoria in aversa parte ad fruges secandas exhibetur. Sed ille Jupiter imberbis, est Ζεὺς, quem Syracusani præcipuo honore colentes, ΕΛΛΑΝΙΟΝ Dorica voce pro ΕΛΛΗΝΙΟΝ, Græcanicum vocabant, ut videre est in nummis Syracusarum urbis, tab. 3. apud *Goltzium in lib. de nummis Siciliæ & Magnæ Græciæ.*

XL.

L. LENT. C. MARC. COS. Caput Jovis imberbis, Q. id est, Quæstor. Jupiter sine barba stans ad aram, d. extensa fulmen, s. aquilam: pone eum astrum.

Syracusis etiam percussum à Quæstore Provinciali denarium cum Marcelli & Lentuli Consulum nominibus satis denotar Jupiter, ut suprà depictus, quem ἑλλάνιον vocabant in suis nummis, uti docuimus, & hi Græcanicum Jovem dicebant, quod ex Græcia allatum venerarentur, unde astrum quasi ex Oriente veniret, ad distinctionem Jovis Olympii barbati quem etiam reverebantur, colerent, cujus templum extra muros erat ab Hierone juniore extructum: in quo erat simulacrum Jovis illius Græcanici ab iis appellati, quem Græci ipsi οὔριον, id est, Imperatorem, vocabant, hoc autem simulacrum unum erat è tribus in orbe terrarum signis uno in genere pulcherrimè factis, de quo *Cicero in 6. Verrina,* ut ex urbe Syracusana ablatum narrat. Quid inquit, ex

æde

æde Jovis, religiosissimum simulacrum Imperatoris, quem Græci ἱέριον nominant, pulcherrimè factum? nonne abstulisti?

Ara in denario expressa juxta Jovem, illa est Deorum ara juxta Jovis Olympii fanum, unde scyphum fictilem melle, thure, aromatibus, floribusque repletum asportabant navigaturi, quem quùm primùm urbem ampliùs oculis assequi non poterant, in mare effundebant peracto voto, in Neptuni Minervæque honorem, ad prosperam navigationem quæ Consulibus optabatur.

XLI.

Caput Jovis Olympii: in aversa parte, L. LENTVLVS C. MARC. COS. Diana Polymammia cum adminiculis.

En tertium Syracusis percussum, cum nominibus Lentuli & Marcelli Consulum, insignem denarium. Obscurum fatetur *Ursinus* sibi esse, cur Dianæ Ephesiæ effigiem aversam partem occupat in tabellæ quartæ Corneliæ gentis nummo. Priùs de Jove Olympio dicamus, illique templum amplissimum ab Hierone rege fuisse extructum, quem Syracusani summo honore prosequuti sunt: unde nil mirùm si in denario Romani illius effigiem exhibuerint. Sed de Diana Polymammia Ætoli ex Ortygia seu Delo insula profecti, mortalium primi urbem Syracusas incoluerunt, vocaruntque eam Ortygiam à nomine insulæ. Nemo nescit Latonam uno partu in ea Apollinem & Dianam enixam fuisse, unde hujus cultum attulerunt, & deæ peninsulam consecrarunt. Siculi Ætolis expulsis urbem auxerunt & adornarunt, cultu Dianæ semper servato, hanc verò sub forma Polymammiæ deæ, ut imitata est Ephesus: nam, inquit *Tacitus*, *Ann.* 3. in jure Asylorum inter Asiæ urbes conservando. Primi omnium Ephesii adiere, memorantes, non ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos, esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina. Nil mirùm si duæ insignes illæ urbes Syracusæ & Ephesus eamdem Dianam Ortygiam eodem modo ornatam coluerint.

XLII.

Caput Apollinis radiatum: in aversa parte, M. MARCEL. M. F. M. N. AISERNIN. Crescens Luna inter septem triones.

Marcellorum agmen claudet M. Marcellus Æserninus pronepos C. Marcelli Æserni, qui primus illud cognomen tulit, quod secundo anno belli socialis, quando Æsernia urbs in Samnitum potestatem venit, in ea captus sit. Noster autem Marcellus videtur fuisse Marcelli Æsernini in Hispania Quæstoris, à Cæsare post Pharsalicam pugnam relegati, posteà ab eo revocati, & ab eodem honoribus tandem affecti filius, cujus meminit *Dio*, *lib.* 42. Typus denarii Apollinem & symbolum Dianæ exhibens, Æserninum Prætorem urbanum fuisse, & in illo magistratu Ludos Apollinares celebrasse nos edocet. *Fasti* verò *Capitolini* ipsum cum L. Arruntio consulatum gessisse denotant, anno 731. Ludos verò Apollinares diximus Apollini & Dianæ dicatos, ideò caput Apollinis ut Solis radiati & Luna ut Diana in denario exhibentur.

XLIII.

C. CAESAR IMP. P. Caput Julii Cæsaris laureatum: in aversa parte: P. CLODIVS M. F. Mars nudus stans, galeatus, d. sceptrum vel parazonium, s. hastæ innixus.

An Clodia gens diversa sit à Claudia? Quidam nomen Claudiæ ab Appio Claudio primùm dictum, Clausum deinde Clausium, & tandem Claudium, sed Clodiam à verbo Clodus quod est curvus, apud *Isidorum*, existimant. Ut ut sit non ad Claudii Neronis stirpem, cujus in denariis Neronis cognomen inest, nec ad Claudii Pulchri, cujus vox pariter semper inest ad distinctionem denarius, hic pertinere videtur; nec minùs ad plebeios Claudios, Marcelli enim cognomen semper inserebant, adde quod inter illos omnes nullus Publius & Marci filius reperiatur.

Suspicamur illum fuisse Clodium Bithynicum, de quo loquitur *Appianus*, *lib.* 5. sic enim scribitur Clodius. Hic primò Julii partes sequutus, ut demonstrant denarii sequentes, caput illius expressit ex una parte, & Martem tranquillum ex altera. Vide quæ de illo in gente Antonia, num. 15. diximus: nam duo Martes erant, alter Gradivus cum hasta submissa

missa ad hostes proficiscens, hic verò quiescit ad urbem in pace debellatis hostibus administrandam, ut sic Julius Cæsar, occiso tandem in Hispania Cn. Pompeio juniore, eam regere videretur, an. U. C. 7^{08}_{9}

XLIV.

Caput Apollinis radiatum: in aversa parte, P. CLODIVS M. F. Luna bicornis inter quinque Triones.

Tot denariorum typi cum Apollinis radiati capite, & Luna inter stellas in aversa parte, illos ad Ludos Apollinares spectare indicarunt, ut id in dubium revocare nemo ampliùs videatur. Hoc vero anno nempe U. C. 7^{08}_{9} quo Clodius superiorem denarium cudit, Apollinares Ludi sunt facti ex *Dione*, *lib.* 43. & quùm ipse narrat, ærarii procurationem à duobus Ædilibus factam esse, quia nullus Quæstor creatus fuerat per absentiam Cæsaris. Ille inquit, eo anno duo Ædiles thesauris publicis præfuerunt: alter- ,, que horum Cæsaris sumptibus Ludos Apollinares fecit: ex iis ,, autem verbis & ipsis denariis P. Clodius Ædilis ille curulis fuisse videtur qui hos Ludos celebravit, tum ob Cæsaris caput in superiore denario, cùm Apollinis & Dianæ symbola in hoc ultimo exhibita.

XLV.

Caput Apollinis laureatum, sub muliebri effigie, pone quod lyra: in aversa parte, P. CLODIVS M. F. Ceres tunicata stans utraque manu faces accensas tenet.

Quanta lux ex nummis Historiæ affulget! P. Clodium superior denarius Ædilem curulem Ludos Apollinares, quorum meminit *Dio*, celebrasse Julii nomine nos edocuit: sed hic Cereales adhuc edidisse demonstrat, quod Ceres accensis facibus denotat *Cicero*, *lib.* 5. *Act.* 2. *Verr.* inquit. Nunc sum designatus Ædilis, habeo ,, rationem quid à populo Romano acceperim, mihi Ludos san- ,, ctissimos maxima cum cerimonia Cereri &c. Hæc dea gerit fa- ,, ces ex Enna vel ex Ætna accensas, quibus quùm Proserpinam filiam à Plutone raptam quæreret, orbem circuisse dicitur. Ludi autem Cereales à pridie Idus Aprilis per dies octo in Circo, proximo post Circenses die celebrantur. In his repræsentabatur à matronis luctus Cereris ob raptam Proserpinam, & ejus peregrinatio cum face quæritantis filiam. Caput Apollinis ad indicandum etiam ab eo-

dem Clodio fuisse celebratos expressum est: non capite quidem radiato, ut dei Solis; quùm Dianæ symbola non adessent; sed juvenis & muliebri facie; ut cui & Baccho perpetua esset juventus, teste *Ovidio*.

Solis perpetua est Phœbo, Bacchoque juventus.

Lyra Apolinis symbolum est, ideò eum citharœdum existimabant.

XLVI.

CAESAR III VIR. R. P. C. Caput Cæsaris nudum: in aversa parte, P. CLODIVS M. F. Mars nudus & galeatus, d. hastæ innixa, s. sceptrum vel parazonium.

Reclamat *Amicus*, quo modo P. Clodius ut Ædilis curulis superiores signavit sub Julio Cæsare denarios, quùm ille magistratus sit annuus, & nummus Cæsaris ejus nepotis caput exhibet, postquam Triumviratum cum Lepido & Antonio inivit? Posset quidem Clodius ut Prætor, sed, ut opinor, tamquam Quatuorvir monetalis sub iis factus, illos signavit. Nec eum moveat quod inscriptio IIII VIR in eo expressa non sit. Vide denarios Æmilii Bucæ, Meltii, Hivinei, Maridiani & aliorum Quartumvirorum sine hac epigraphe. Ille Martem tranquillum, ut in Julii Cæsaris denariis, ad quietum rerum Romanarum statum indicandum expressisse videtur.

P. Clodius, ut in gente Antonia vidimus, similes quàm Cæsari denarios percussit, & *Appianus*, *l.* 5. eum Antonii partes magis fovisse quàm Cæsaris nos edocet, & in bello Perusino acriter contra Cæsarem L. Antonio ejus fratri adhæsisse, dum tandem pace inter eos „ facta, anno 712. inquit, sequenti die Cæsar fœdus iniit cum om- „ nibus exercitibus: tamen tumultuari contra quosdam non de- „ siit, donec interfecti sunt, qui erant inimicissimi Cæsaris, Ca- „ nutius, C. Flavius, Clodius Bithynicus, & ceteri.

CLO-




CLOVIA.

CLOVIA seu CLUVIA gens, utroque enim modo in antiquis monumentis scripta reperitur, quemadmodum VOLTEIVS pro VVLTEIVS, plebeia fuit, si quidem C. Cluvius Saxula, Tribunus plebis, anno $^{572}_{3}$ & Sp. Cluvius Saxula ejus frater $^{576}_{7}$ reperiuntur. An nomen habeat à Cluvia, Samnitium oppido, dubium est *Glandorpio*.

Caput Victoriæ alatum medio corpore : CAESAR DIC. TER. in aversa, C. CLOVI. PRAEF. Minerva galeata gradiens, d. humero trophæum, s. clypeum serpente ante eam ineunte.

C. Clovius, quem Puteolanum appellat *Cicero*, *lib.* 13. *ep.* 56. *ad Thermum*, in Gallia Cæsari operam navavisse testatur, *altera lib.* 13. *ep.* 7. quam ad eum scribit. Quare non mirum videbitur, si eum ex sex Præfectis quos Romæ cum Lepido suo equitum magistro reliquit, dum Dictator tertium renuntiatus anno $^{707}_{8}$ in Hispaniam contra Pompeii filios profectus est. De quo loquitur *Dio*, *lib.* 43. Sed postquam Pompeii vires augeri, „ suos ad bellum ei faciendum non sufficere animadvertit, ipse, „ Romæ custodia Lepido octoque, ut nonnullis videtur, (vel „ quod magis creditum est sex) urbis præfectis injuncta, in His- „ paniam expeditionem suscepit.

Horum omnium nomina in caligine veteris Historiæ adhuc laterent, si eorum nonnulli nobis non suppeditarent nummi superstites, inter quos Livineium, Plancum & Clovium illi cum titulo præfecti exhibent. Hic victoriam alatam in Hispaniæ subactæ, occiso Cn. Pompeio majore, memoriam repræsentat, in aversa parte Minervam galeatam, ut belli deam & præsidem, trophæo insignem post Hispaniam devictam. Adest serpens tamquam Victoriæ symbolum.



CLOVLIA.

CLOVLIA ſive CLOELIA, nam eadem eſt gens patricia, ſi quidem Q. Clœlius Siculus conſul fuit cum P. Pinario, an. U. C. 254. antequam Canuleius Tribunus plebis legem promulgaſſet, ut Conſul alter ex plebe crearetur, Claudius propoſuit, ut pro Conſulibus tres Tribuni militum ex patriciis totidem ex plebe, iique conſulari poteſtate Remp. regerent. Et ex patriciis creati ſunt, anno 360/1 A. Sempronius Atratinus, T. Clœlius Siculus. L. Attilius Longus. Nomen à Clœlio illam traxiſſe auctor eſt *Dionyſius & Feſtus*, Albaque diruta ab Hoſtilio rege in urbem & Senatum allecta eſt. Siculi nomen à patria antequam Albam commigraſſet, nam Romani ante ann. 489. in Siciliam bellum non geſſerant.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum, pone quod corona: in averſa parte, T. CLOVLI. Victoria in bigis; in imo duæ ſpicæ ex eodem tubulo.

T. Clœlius, qui denarium cudit, patrem habuit T. Clœlium Siculum Ædilem curulem cum Ap. Claudio Craſſo, anno 480. & avum Q. Clœlium Quæſtorem militarem, anno 434/5 qui nepos erat Q. Clœlii Cenſoris, anno 472/3 Ipſe verò Quæſturam accepit urbanam, anno 506/7 quo L. Cæcilio Metello iter & N. Fabio Buteoni cos. Sicilia provincia decreta, alter ad Lilybæum tenuit exercitum, alter Amilcari oppoſitus ad Panormum. Victoriam adeptus, Drepanum obſedit, & Columbariam cepit, ut narrat *Zonaras*. Qua de re T. Clovius ſub bigatis denariis quos Romæ, ut fert epigraphe, ROMA. Spicas, Siciliæ ſymbolum, de argento manubiali quod Conſules attulere, ſignavit.

II.

Caput Jovis barbatum & laureatum cum littera F. in averſa parte, T. CLOVLI. Victoria coronam impoſitura trophæo, ad cujus

cujus imum ſedet humi captivus manibus poſt terga revinctis.

Hic quinarius ab eodem T. Cloulio Quæſtore percuſſus, quid à Fabio conſule in Sicilia actum eſt, ex *Zonara*, nempe quod Amilcari ad Panormum oppoſitus, victoriam ſit adeptus, & deinde Drepanum obſedit, quare Quæſtor percuſſit in denario trophæum, dictum ἀπὸ τῆς τροπῆς, id eſt, *converſione* hoſtis & fuga. Nam ab eo quod hoſtem quis fugaſſet, merebatur trophæum, quòd occidiſſet, triumphum. Plenæ enim victoriæ triumphus debetur, ſemiplenæ trophæum, quia nondum plenam eſt conſequutus victoriam. Captivus ad imum trophæi, captivos denotat in ea pugna factos, quorum permutationem hoc anno cum Pœnis factam ex *Liviano Compendio* colligimus. Victoria coronam imponit, quia ex ea numerus Pœnorum captivorum major fuit, quos illi pecunia redemerunt.

In anteriore parte laurea redimitum exhibetur caput Jovis, quem littera F. Feretrium eſſe denotat, ille diverſus eſt à Capitolino, nam habet capillos non ita amplos, & barbam non adeò prolixam, templumque habebat, etſi proximum, tamen ab altero diverſum in 8. regione, in quod Fabius conſul trophæum illud in victoriæ ſuæ memoriam tulit, & ipſi conſecraverit.

COC-



COCCEIA.

COCCEIA gens non satis constat patricia ne fuerit, an plebeia, sed consularis, ex Narnia oppido propagata traditur; an nomen habuerit à verbo Coccus, hoc est granum tinctorum, quod primus ex ea familia tinctor fuerit, cognomen ei Nerva.

I.

M. ANT. IMP. AVG. III VIR. A. P. C. M. NERVA PROQ. P. id est Proquæstore Provinciali. Caput M. Antonii Triumviri: in aversa, L. ANTONIVS COS. Caput L. Antonii.

M. Cocceius Nerva Marci filius Quæstor fuit M. Antonii Triumviri, & deinde ejus legatus Proquæstore, ut indicat denarius. Quare quùm denarios in sua provincia cuderet, ut Triumviri familiæ novum decus additum demonstraret, ejus fratris consulis facti cum P. Servilio Vatio Isaurico iterùm anno 712/3. caput in aversa parte Triumviri exhibuit, quo anno ille Præturam urbanam gessit.

At quùm sub consulatu illius L. Antonii bellum cum Cæsare Perusinum fuerit ortum instinctu Fulviæ Triumviri uxoris, unde graves inter M. Antonium & Cæsarem ortæ sunt simultares, eorum pacis Cocceius Nerva, utrique pariter amicus autor fuit, ut videre est apud *Appianum*, *lib.* 5. & *Porphyrionem, Horatii interpretem.*

II.

IMP. CAESAR DIVI F. PONT. III VIR. ITER. R. P. C. Caput Cæsaris nudum, pone quod lituus: in aversa parte, M. COCCEIVS NERVA IIII VIR. Tripus ex qua exiliunt duo rami astro intermedio.

Hic denarius nos edocet, M. Cocceium Nervam factum esse Quartumvirum monetalem, quem magistratum auxisse ex Trium numero à Julio Cæsare, ut sparsim diximus, ut minores magistratus remunerandi causa eos qui pro illo militaverant, ampliaverat, & ut Proquæstore Antonii ejus caput exhibuerat, ut æqualem

lem cum utroque Triumviro amicitiam ſe habere demonſtraret, Cæſaris caput ſignavit; pone quod lituus, ad denotandum quòd ille eſſet Pontifex, ut M. Antonius erat Augur: & ſic lituum eſſe utriuſque ſacerdotii ſymbolum cognoſcimus.

Tripus ad Apollinem ſpectare videtur, cujus filius exiſtimari volebat, ut narrat *Suetonius, in ejus vita, num.* 70. & ipſum pro Apolline ornatum, & *num.* 94. Auguſtum natum menſe „ decimo, & ob hoc Apollinis filium exiſtimatum: unde tot „ nummi argentei cum ſimulacro Apollinis ſedentis & citharam „ tenentis cum epigraphe CAESAR DIVI F. in cujus anteriore parte ejus caput viſitur, & inſcriptio DIVI F. apponitur, ut ambiguum ſit, Divine Julii, cujus aſtrum inter lauros Apollini ſacras exhibetur medium, an Apollinis filius eſſe videatur.

Inſcriptio tituli Triumviri iterùm circa caput Cæſaris expreſſa eſt, poſtquam in pace Cæſaris & Antonii cum Sexto Pompeio, anno 715. apud *Appianum*, Triumviratum in alterum quinquennium illi ſuſcepiſſent: & ſic denotat initio anni $\frac{716}{7}$. Cocceium Nervam fuiſſe factum Quartumvirum monetalem, verſus cujus finem deſignatus eſt conſul, nam illum magiſtratum geſſit cum Gellio Poblicola, anno $\frac{717}{8}$.

III.

AVGVSTO DIVI F. COS. IX. TR. POT. II. IMP. VII. Caput Auguſti nudum, M. COCCEIVS M. F. NERVA III VIR. circa ambitum, ASI. EVR. AFR. ſupra tres globos, S. P. Q. R. in imo.

Ad M. Cocceium Nervam ſuperioris Cocceii Nervæ conſulis filium, ſpectat hic denarius, olim in *Muſeo Ducis Arſchotani* ſervatus; quem ſignavit, poſtquam Auguſtus eum creaſſet Triumvirum monetalem ſuum; cujus numerum ad quatuor à Julio Cæſare auctum, ad tres reduxit, anno U. C. 726. Quùm eodem anno ille, ut narrat *Dio, lib.* 53. ſe velle imperium deponere „ ſimulaſſet, effecit, ut ei à Senatu populoque confirmaretur. „ Is ut popularis opinionem ſibi nihilominùs aliquam pararet, re- „ cepta in ſe omni Reipub. cura, negavit ſe omnes velle pro- „ vincias obtinere. Hac de cauſa illas inter Senatum Populumque Romanum diviſit, ut narrat *idem Autor.* In cujus rei memoriam

Cocceius Nerva Imperium Romanum per Europam, Asiam & Africam dispersum ab Augusto cum Senatu Populoque Romano, ut indicant illæ litteræ, S. P. Q. R. constitutum fuisse demonstraret.

Conveniunt omnes Cæsari dati tituli, nam Augusti nomen receperat jam ab anno U. C. 726. Imperator Octavius appellatus fuerat in bello Cantabrico, anno 728. Dictator perpetuus appellatus, Dictaturam abdicaverat, & Trib. potestatem sumpserat ante diem V. Cal. Julii, anno 729. Consulatum verò undecimum cum A. Terentio Varrone gessit, anno 730. unde Trib. pot. II. inierat, quùm hic denarius est percussus.



COELIA.

COELIA seu COILIA (nam antiquitùs diphthongus OE per OI scribebatur) plebeia fuit, sed consularis. Nominis principem fuisse volunt Cœlium Vibulenum Etruscum, qui Romulo contra Sabinos cum suis auxilio venit, & in urbe monti Cœlio nomen dedit. *Varro, Festus, & alii.* Alii nomen deducunt à Cœlo, unde Sol in quorumdam nummis, & cui cognomen Caldus alludit; porrò *Cicero* consulem appellat hominem novum.

I.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, L. COIL. in imo, ROMA Castor & Pollux in equis decurrentes.

Eodem ferè tempore C. Cœlius & L. Cœlius in *Historia Romana* reperiuntur. Caius Lucii filius Lucii nepos appellatur, Lucius verò Caii filius, Cai nepos dicitur. Prior Tribunus plebis, anno $^{630.}_{1}$ & Prætor urbanus, anno $^{636.}_{7}$ Posterior Quæsturam Provincialem accepit, anno $^{633.}_{4}$ ad quem pertinet denarius, & eum in Quæstura percussisse videtur cum solito denariorum symbolo, nempe capitis Romæ & Dioscurorum typo. Ipsi prorogata fuit Quæstura anno sequente, & altero, tandemque Tribunatum plebis iniit, anno $^{638.}_{9}$

II.

C. COEL. CALDVS COS. Caput Caii Cœlii Caldi consulis, pone quod tabella in qua litteræ L D. in aversa caput Solis radiatum, pone quod clypeus oblongus, & alter rotundus antè, ut parma, CALDVS III VIR.

Ampla quidem Cœlia stirps, etiamsi C. Cœlium Caldum; C. F. L. N. hominem novum appellet *Cicero*; quem inimicitiis nobilium haud parvis contendisse ad summos honores testatur, *Act.* 7. *Verr.* Hic autem post repulsam obtinuit Quæsturam provincialem, anno 641. factusque Tribunus plebis, anno 646. C. Popilium legatum majestatis ad populum accusavit, quod turpi fœ-

dere in Gallia cum hoſtibus conveniſſet, & ut Popilium ad condemnationem duceret, legem tabellariam, quam de Perduellione exceperat Caſſius, qui alteram fecerat, ille tulit.

Uti. in. perduellione. ac. in. aliis. judiciis. legibus. feriundis. mandandiſve. magiſtratibus. populô. tabellæ. ſuffragium. eſſet.

Ideò factæ ſunt tabellæ, & ut in Caſſia erant litteræ A. & C. in Cœlia alteræ factæ ſunt, nempe L. id eſt, *Libero*, & D. id eſt *Damno*; in cujus memoriam C. Cœlius Caldus ejus nepos Triumvir monetalis creatus, caput avi ſui in denariis expreſſit cum hac tabella, in qua viſuntur hæ litteræ, L. D. & in parte averſa caput Solis radiatum, adludens Cœlio nomini & cognomini Caldo, quod Sol in cœlo videatur, & caldus ſit. Clypeus & Parma ſpectant ad victorias, quas conſul de Hiſpanis retulit, ut mox ſumus dicturi.

III.

C. COEL. CALDVS COS. Caput Caldi conſulis, pone quod ſignum militare, in quo HIS. & ante caput aper: in averſa à lateribus, C. CALDVS IMP. AV. X. *Imperator Augur Decemvir.* L. CALDVS VII VIR. EPVL. Supra lectiſternium, in quo recumbit Jupiter, ad cujus latera hinc & inde trophæum, CALDVS III VIR, in imo.

Tria ſunt in hoc denario Cœliorum Caldorum nomina cum variis eorum dignitatibus. Avus C. Caldus ut conſul, Lucius ut Septemvir Epulonum, & ultimus tamquam Triumvir monetalis. Avus ex Tribunatu plebis ad Ædilitatem venit, an. $\frac{649.}{50}$ & Præturam urbanam, an. $\frac{652.}{3}$ provincialemque $\frac{653.}{4}$ & conſulatum tandem adeptus eſt cum L. Domitio Ahenobarbo, an. $\frac{659}{60}$ Quæ verò geſſerit ſilent quidem *Autores*, ſed denarius egregia ejus facinora denotat. Vexillum in quo HIS. Signa militaria de Hiſpanis relata denotat. Aper ſi mihi conjicere licet, eſt ſignum quod iis apponebatur ob cultum Herculis, quo Hiſpani eum proſequebantur, ut olim Romani Draconem, Lupum, Minotaurum, Equum, imò & Aprum ſignabant, antequam Marius juſſiſſet, ut ſola Aquila in acie portaretur. Noſtram auget conjecturam, quod in aliis denariis in apri loco, aliquando ſecuris vel lancea, Hiſpanorum tela, hæc omnia ad victoriam conſulis ſpectantia.

In averſa parte duo illa trophæa duas victorias, etſi non integras

gras, tamen insignes, denotant, unde titulus Imperatoris ab exercitu consuli datus; ut fert ejus inscriptio, IMP. Docemurque Cœlii titulis illum Augurem fuisse, & Decemvirum agris dandis à Senatu electum. Ad alterum Caldum transeamus.

L. Cœlius Caldus Caldi consularis consanguineus reperitur, quippe ille Caii F. & Caii N. hic verò Caii F. & Lucii N. Tribunus plebis, anno 646/7 Ille biennio antè Prætor urbanus, anno 644/5 ad quem denarium pertinere non arbitror, sed alterum fuisse Lucium suspicor, nempe consularis filium, & Triumviri, qui denarium cudit, patrem: ille autem in eo avi & patris dignitates renovare voluisse videtur. Conjecturam auget *Cicero*, Triumvirum Siciliæ, Quæstorem suum C. Cœlium Lucii F. appellans, *Ep. lib.* 2. Dignitates sacerdotales tamquam illustriores in nummis & inscriptionibus apponere solebant. Hic verò VII vir Epulonum renunciatur, & sacerdotii munus expressit filius, nempe lectum in Jovis epulo ipsi pro more à patre stratum. Et hæc sunt quæ Triumvir in gratiam avi consularis renovavit, & ob ejus effigiem priùs exhibere putavimus. Nunc ad denarios eo vivente cusos revertamur.

IV.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte bigæ victoriæ, decurrente, C. COIL. CALD. in vertice littera H.

Quin ad C. Cœlium Caldum & quidem consularem pertineat denarius non sinit dubitare vetus illa orthographia OI pro OE in eo usurpata, nepotis verò tempore amissa, ut vidimus. Et littera H, in vertice posita, pecuniam, ex qua illa moneta erat facta, nempe *Hispaniensem*, ex vectigalibus Hispaniæ, in qua bellum gerebat Cœlius Caldus consul, significans; nihil enim in denariis sine causa apponitur. Littera autem H, ad solam monetam spectare videtur, quod confirmat altera littera M. in sequente denario exarata. Uterque denarius in Hispania cusus; quare in iis vox Roma non expressa est.

V.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte bigæ, aurigante Victoria, CALD. in imo M.

Nemo in re antiquaria ita tyro est, ut eamdem denarii for-

mam, eumdem typum, & idem Caldi cognomen ad C. Cœlium Caldum conſularem pertinere non judicet. At ut littera H. id eſt *Hiſpanienſis*, nempe pecunia, unde conflata denarium moneta fuit, à nobis explicata eſt, ſi quis refragabitur, quando pro eodem uſu altera M. id eſt *Manubialis*, ad pecuniam hanc ex belli Hiſpanici manubiis conflatam eſſe ſignificandam, à nobis pariter exponatur, audiat *Suetonium in Auguſto.* Quo autem facilius ,, undique urbs adiretur, deſumpta ſibi Flaminia via Arimino ,, tenus munienda, reliquas triumphalibus viris, ex manubiali pe- ,, cunia ſternendas, diſtribuit.

VI.

Caput Romæ galeatum: in averſa triumphus in bigis, cui Victoria per aëra volitans porrigit coronam, P.CALDVS. in imo, ROMA.

P. Cœlius indigitatus in denario fuit Publii filius, & Caii nepos. Quæſturam provincialem ſumpſit, an. 669/70 Et, ſi mihi conjicere liceat ſub Sylla, cui prorogatum eſt hoc anno bellum cum Mithridate, & pacem iniit: ideò illum in bigis tamquam triumphantem expreſſit, cui Victoria per aëra volitans coronam porrigit. Publius poſt Quæſturam Tribunus plebis fuit, an. 674/5 Ædilis plebis, anno 677/8 & tandem Prætor urbanus cum Verre, 679/80

CON-



CONSIDIA.

CONSIDIA gens plebeia & antiqua; ſi quidem Q. Conſidius Tribunus plebis, an. 277/8 legem Agrariam promulgavit, & alter C. Conſidius etiam Trib. plebis 286. & tertius prænomine Marcus plebis Tribunus, 288/9 Cognomen Pætus datum eſt, cui oculi leviter declinati ſunt, vel cujus oculi huc & illuc celeriter moventur.

I.

Caput Libertatis, pone quod littera A. in averſa parte, C. CONSIDI. PAETI. Sella curulis.

Caius ille Conſidius Pætus, qui denarium cudit, is eſt qui *Librariorum* errore Longus videtur appellatus. Quæſturam accepit provincialem, anno 692/3 Ædilis plebis factus eſt, anno 697. Præturam urbanam geſſit, anno 699/700 Proprætore Africam ex S. C. & lege Pompeia ſortitus eſt, anno 703/4 decedens verò ex provincia Q. Ligarium, ut ex *Oratione Ciceronis* colligitur, legatum non diu ante bellum civile permanere coëgit; Pompeianas ſequutus partes, anno 734/5 Adrumetinam provinciam in Africa legionis unius præſidio obtinuit, *Hirt. de bell. Afr.* in eaque civitate denarios percuſſit cum ſigno libertatis & littera A. id eſt, *Adrumetina*, ſubauditur pecunia, & quùm eſſet Proprætore, ſellam curulem magiſtratus inſigne, cudit.

II.

Caput idem Libertatis laureatum, PAETI. In averſa parte Victoria in quadrigis, d. coronam, ſ. palmam. C. CONSIDI.

Cæſar debellato in Pharſalicis Pompeio, an. 705/6 eum ſequutus eſt in Ægyptum, rebuſque in eo regno in Syria & Aſia conſtitutis Romam rediit, anno 706/7 contra Scipionem, M. Catonem & alios Pompeianæ partis duces in Africam tranſiit, anno 707/8 Poſtquam, inquit *Hirtius*, Adrumetum acceſſit, ubi præſidium erat adverſariorum, cui præerat C. Conſidius, & à Clupea ſecundùm oram maritimam cum equitatu Adrumeti Cn. Piſo. Ideò Conſidius pro ſtipendio militum & uſu denarios cudi curavit cum libertatis capite,

ut:

ut demonſtraret ſe arma ſumpſiſſe pro ea tuenda, & quaſi victoria jam potitus eſſet, eam in quadrigis, monetæ ſymbolis, cum corona & palma exhibuit.

III.

Caput Adrymeti, cum galea & chlamyde ornatum: in averſa parte, C. CONSIDI. Victoria in quadrigis, d. coronam, ſ. palmam & habenas, ut ſuprà.

Hic denarius Adrumeti cuſus eſt, velut ſuperiores. ſed ut populos ſibi gratiores redderet C. Conſidius Adrumetum urbis fundatorem expreſſit, de quo *Stephanus*, Ἀδρύμης, Ἀδρύμητος, Λιβύες πόλις κέκληται ἀπό τινος Ἀδρύμητος. *Adrymes, Adrumetus, urbs Libyæ, ſic fuit vocata à quodam Adrymeto.* Ille galea ut Heros ornatus eſt; chlamydem præfert ut regionis Principem. Quadrigæ monetæ Romanæ ſymbola, cum Victoria coronam & lauream gerente, quaſi jam ea parta ſignantur. De Conſidio ita loquitur
„ *Hirtius*. Interim Conſidius, qui Acillam & octo cohortes ſtipen-
„ diarias Numidis Getuliſque obſidebat, ubi C. Meſſius cohortibus
„ præerat, diu multumque expertus, magniſque operibus ſæpe ad-
„ motis, & iis ab oppidanis inceſſis, quùm proficeret nihil, Acil-
„ lam, quam obſidebat, deſeruit, atque itinere per Jubæ regnum
„ facto, copias cum Scipione partitus, Adrumetum ſe recepit.

IV.

Caput Libertatis laureatum, PAETI. in averſa Victoria gradiens, d. palmam, ſ. coronam, C. CONSIDI.

Conſidius ut quodlibet monetæ genus pro militum ſtipendio & exercitus uſu denarios etiam ſignari juſſit, cum eodem Libertatis capite, quam ut deam venerabantur Romani, & cujus acerrimus erat defenſor, nulloque modo in ejus pretium potuit corrumpi; nam Plancus, quùm petiiſſet à Cæſare Africam ingrediente, ut ſibi daret facultatem cum Conſidio agendi, ſi poſſet aliqua ratione perduci ad ſanitatem, litteras captivo dat perferendas Adrumetum, quas occiſo latore nondum perlectos ad Scipionem miſit. Sed à Cæſare præcipuis Pompeianæ partis ducibus debellatis, Conſidius pecunia onuſtus ſe Thyſdra obduxit cum Getulis quibus præerat; ſed hi prædæ cupidi, in itinere eum conciderunt.

V.

V.

C. CONSIDI, NONIANI. S. C. Caput Veneris, myrto insignitum: in aversa templum quatuor columnarum, in vertice montis: in cujus medio legitur, ERVC. ante montem muri cum porta.

C. Considius Nonianus videtur fuisse aliquis ex gente Nonia, cui erat cognomen Suffenas, in gentem Considiam à Q. Considio Tr. plebis adoptatus qui ex more adoptionis nomen Nonii produxit Nonianus, ut in Considiam transiisse ex Nonia familia demonstraret. C. Considius anno superiore Quæsturam cum N. Nonio Suffenate accepit, U. C. $^{692.}_{3}$

Triumvir ædibus sacris reficiendus videtur Nonianus, ex S.C. ut fert ejus denarii inscriptio, ad Veneris Erycinæ restaurandum, nominatur. *Ursinus* illud fuisse, quod prope Portam Latinam extructum erat refert. *Spanhemius* verò quod istud in monte situm appareat in eodem nummo, haud incommodè, ut meo judicio referri posset ad ipsum Siculum Veneris Erycinæ templum, reverà in colle & arce positum; sed duæ erant Romæ Veneris Ærycinæ ædes, prima in Capitolio, quam Q. Fabius Maximus Dictator vovit, ideò prospectus ejus in monte, & muri adsunt cum porta, qua ad Capitolium ascendebatur: altera quidem juxta portam Collinam, à L. Porcio Licino Duumviro dedicata, & à Consule L. Portio Ligustino vota. Erycis nomen huic Veneri datum est in memoriam Erycis filii sui.

Nonianus post Quæsturam Tribunus plebis factus est, anno $^{699.}_{700}$ Prætor urbanus, anno $^{701.}_{700}$ apud quem M. Saufeius Milonis familiaris fuit accusatus, & à Cicerone defensus. Prætore, anno 704. ex S. C. & lege Pompeia Galliam Cisalpinam sortitus obtinuit, in quam non ivit, quia Cæsar eam vi occupaverat.



COPONIA.

COPONIA gens plebeia ex Tibure oppido oriunda, cujus nomen videtur desumptum à copona pro caupona : *Festo copona* taberna dicta.

I.

Q. SICINIVS III VIR. Caput Tiburti conditoris, fascia redimitum, in imo astrum: in aversa spolia leonis clavæ imposita, ad latera arcus C. COPONIVS PR. S. C.

T. Coponius, ex *Ursino*, fuit filius M. Coponii ejus, quem Q. Scævola apud Centumviros defendit, contradicente L. Crasso pro M. Curio, anno 661. apud *Ciceronem, lib.* 1. *&* 2. *de Orat. & in Oratione pro Cæcina*, cujus gens Tiburte orta, ex *Cicerone in Orat. pro Corn. Balb.* Is Tribunus plebis fuit, anno 698. legatus postea M. Crassi in Syria, Carrhis præsidio relictus, apud *Plut. in Crasso*. Præturam gessit, anno 703/4. *Cæsar lib.* 3. *Bell. Civ.* ejus facit mentionem, & Dyrrhachii classi Rhodiæ præfuisse narrat, & *Cicero de Divin. lib.* 1. scribit ad se venisse Dyrrhachio, quùm Prætorio imperio classi Rhodiæ præesset. Ideò cudendæ monetæ potestas ei ex S. C. ut præfert denarius, concessa videtur, quùm Q. Sicinius tunc Triumvir signavit.

Igitur Coponius ad denotandam ex Tibure originem suam, Caput Tiburti, urbis Fundatoris, ex una parte signavit, de quo *Virgil. Æneid.* 7.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Corus, Argiva juventus.

Tres erant fratres Tiburtus, Catillus, & Corus, Amphiarai filii. Hi post prodigiosum patris ad Thebas interitum, Tiburem condiderunt, & à Tiburti nomine natu maximi, Tibur urbs est appellata. In aversa parte clava, arcus & spolia leonis. Her-

Herculis cultum Tibure denotant, ubi templum habebat. *Strab.* *l.* 5. Τίβουρος ἡ Ἡράκλειον. Heracleum vocat *Propert.* 2. 32.

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?

Ejus templi pulchritudinem ostendit *Juvenalis*, 14. *Sat.* quùm ait,

Vincens Fortunæ atque Herculis ædem.

Quo modo Coponius ab Antonio proscriptus, fuerit ab uxore servatus, docet *Appianus Bell. Civ.* 4.



CORDIA.

CORDIA gens, videtur plebeia, ut parùm nota, ejus nomen deductum à Cordo, ut ait *Sigonius*. Cordii à Cordo, unde M.
,, Cordius in nummis argenteis. Cordus autem dicitur de homi-
,, nibus, ultra tempus legitimum in utero geſtatis.

I.

RVFVS III VIR. Capita Caſtoris & Pollucis cum pileis & aſtris: in averſa parte mulier ſtolata ſtans, d. bilancem, ſ. haſtam tranſverſam, M. CORDIVS.

Cordiæ gentis, inquit *Urſinus*, præter unum *Ciceronem*, haud
,, ſcio, an alius veterum Scriptorum faciat mentionem, is enim
,, *lib.* 4. *in Verrem*, L. Cordium nominat honeſtum virorum, qui teſtimonium in Verrem dixit, cujus M. Cordius temporum ratione filius videtur fuiſſe, qui Triumvir monetalis hunc denarium cudit, cùm Penatium capitibus ut ſuam ex Lavinio urbe originem denotaret, & ex altera parte deam Monetam cum bilance, ut pecuniam juſto pondere deſignatam eſſe demonſtret: unde Juſtitia vel Æquitas eodem modo depingitur; læva tranſverſam divinitatis haſtam tenet, ut pro dea eam eſſe cultam demonſtret.

II.

RVFVS S. C. Caput Veneris: in averſa parte, M. CORDIVS. Cupido inſidens delphino, quem habenis regit.

Hic denarius videtur à M. Cordio Rufo Triumviro cuſus ex Senatuſconſulto, anno 707/8. quùm ille vellet Cæſari adulari, quod poſt Pharſalicam pugnam, & res in Ægypto, Syria, & Aſia conſtitutas, Romam victor rediiſſet, & teſte *Dione, lib.* 43. Forum &
,, templum Veneris (quam ſui generis autorem ferebat, à ſe con-
,, dita Cæſar, ſtatim conſecravit, multaque ibidem & varia ſpectacula edidit. Ideò ex una parte Veneris caput ſignatum, & ad indicandam ejus è mari originem Cupido ejus filius Delphino gaudet, ut illius imperium in eo elemento denotet. Similis typus in gente Lucretia, *num.* 4 apud *Urſinum*, exhibetur cum Neptuni capite.

III.

RVFVS. Galea cui insistit noctua: in aversa parte, M. CORDIVS. Clypeus, in cujus medio ægis.

Ut Senatus in Julii Cæsaris gratiam denarios cudi curaverat, in quibus Venus esset expressa, ad indicandam illius ex ea originem, & ex altera parte Cupidinem Delphino insidentem ad Veneris ipsius ex mari ortum indicandum. Cordius verò Triumvir Cæsaris studiosus Minervæ in utraque denariorum suorum parte insignia expressit, ut utriusque deæ in eum dona significaret. Hanc tamquam belli præsidem exhibet, ut in tot Cæsaris contra hostes præliis fuisse illius custodem demonstret, & inde Scientiarum deam, cujus gratia in omni genere eloquentiæ excellebat: nam in Pharsalicis campis victor recesserat, Ægyptum coercuerat, Pharnacem profligaverat, ut ter Romæ triumphum egisset. De ejus eloquentia audiendus est *Suetonius*, qui ait *Ciceronem*, eum inter Oratores referentem, profert negantem se vidisse, cui Cæsar debeat cedere, & *Corn. Nepotem* alterum testem adducit.



CORNELIA.

CORNELIA in varias ſtirpes diviſa, omnium ampliſſima & nobiliſſima fuit Patricia, & licet antiquiſſimorum Coſſorum & Maluginenſium denarii nobis non ſuperſint, in eorum tamen memoriam inchoamus ab illis, qui illud nomen poſtremis Reip. temporibus renovarunt; deinde ad Scipiones, in quibus Africani, Aſiatici, Aſinæ, Calvi, Hiſpali, Naſicæ, & Serapiones. Deinde ad Lentulos pluribus etiam cognominibus diſtinctos, ut Caudinus, Ecthicus, Clodianus, Crus, Marcellinus, Sura, & Spinther; & tandem ad minus nobiles, nempe in qubus minus fuere conſules, quos ordine Alphabetico, ut in hiſce familiis aliquem ſervemus, proſequemur, nempe Blaſiones Cumes, Dolabellas, Merulas & Syllas, addita iis Balborum plebeia ex Hiſpania gente. De Corneliorum nomine ait *Ant. Auguſtinus*, in gente Furia, ut à Fuſa Furios, poſteà Fourios ſive Furios, Clauſo Claudios, à Voleſo Valerios, à Coſſo Cornelios, an per gradus Corſi, Cornii, & ab iis Cornelii. De eorum cognominibus & agnominibus in unoquoque dicemus ſuo loco.

MALVGINENSIS.

I.

Capita Bacchi & Cereris jugata, ad latus lævum cornucopiæ; in averſa parte ancilia. SER. LENTVL. CN. F. MALVGINENSIS.

Non antiquos hîc Cornelios Maluginenſes, ſed nominis gratia conſularem virum ex hac familia poſt tot ſæcula illud reducentem exhibemus. Ille eſt Servius Lentulus Cn. filius Maluginenſis, quem nobis *Faſti Capitolini* fragmentum ex Kal. Juliis anno 702. 3 ſuffectum conſulem ſuggerit cum dignitate Flaminis Dialis.

EX K. IVL. SER. CORNELIVS CN. F. CN. N.
LENTVL. MALVGIN. FLAM. DIAL.

Denarius quædam ad ejus ſacerdotium ſpectantia exhibet; nempe Bacchi caput cum Cerere ſociatum, ad denotandum Flaminem Dialem ea numina ita venerari, ut eorum muneribus, vino nempe & farina, abuti non deberet: nam inter cerimonias quas obſer-

ſervare cogebatur, *Gellius* refert, hederam & farinam fermento imbutam non tangere moris eſſe; eorum cauſas inquirit *Plutarchus in Quæſt. Rom.* quòd non farinam fermento imbutam tangere horum Diali liceat, quia videlicet farina alimentum ſit imperfectum & crudum, & neque manſerit triticum, id quod fuerat, neque factum ſit, quod fieri debebat, nimirum panis: ſed ſimul ſeminis vim amiſerit, & uſum cibi non ſit aſſecutum. Non tangere hederam, quod ebrietatem à nullo ortam vino inducat. Debere autem Jovis ſacerdotem Orgia Bacchi vitare. Quam etiam ob cauſam ſcribit eidem vetitum eſſe tranſire per viam, ubi vitium propagines in ſublimi prætentæ ſint; voluerunt videlicet ſignificare, neque eum inebriari, ſed vino moderari, nec ab eo vinci; quùm, qui ebrii ſunt, eorum ſuperius capitibus ſit vinum, eaque degravet & premat.

Ancilia in averſa parte, quùm illa eſſent in templo Jovis ſervata, an S. C. Dialis Flaminis cuſtodiæ data ſint. Ancilia apud *Varr. lib. 6.* dicta ab inciſu, quòd ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, inciſa.

Caput Bacchi pampinis redimitum eſt, quod ille vites colere; Cereris ſpicis, quod ea fruges ſerere docuerit: ante eam cornucopiæ, quod Terra mater crederetur, unde Δημήτης appellata eſt, quaſi Γημήτης..

Cornelius Maluginenſis poſt conſulatum, anno 774. Aſiam Procos. ſortitus erat; ſed quia Flamen Dialis, more majorum (nam poſt Syllam nullus Flamen Dialis inauguratus fuerat, & centum ferè anni uſque ad Cornelium effluxerant, quùm ab Auguſto id ſacerdotium illi conceſſum eſt) urbe & ſacris abeſſe non poterat: Provinciam tamen plurimis rationibus, refert *Tacitus*, *Ann* 3. ſed fruſtrà poſtulavit, Tiberio contra cenſente. Maluginenſis verò anno ſequente mortuus eſt, & filius in ejus ſuffectus eſt. *Tacit. Ann.* 4. Maluginenſes *Glandorpius* ab origine prioris patriæ dictos arbitratur, quo modo plurimi alii.

COSSI.

II.

AVGVSTVS COS. XI. Caput Auguſti laureatum: in averſa parte, M. AGRIPPA COS. TER. contrario ordine, COSSVS LENTVLVS. Caput Agrippæ, corona roſtrata & murali, inſignitum.

Vete-

Veterum Cossorum gentis Corneliæ cognomen sub Augusto renovatur, & quidem sub prænominis titulo. Unus ex antiqua Cossorum stirpe in Lentulorum ejusdem Corneliæ familiam adoptatus, Cossi prænomen pro cognomine accepisse videtur; ut alter ex eadem Æmilia gente Paullus cognomine à Lepido adoptatus, dictus est Paullus Lepidus, ut suprà à nobis dictum est, ita ipse, Cossus Lentulus est appellatus. Hic verò ut Triumvir monetalis denarium hunc percussit, ut nos docet epigraphe Augusti cos. XI. cum M. Agrippa cos. tertio conjuncta; nam hic tertium consulatum gessit cum Augusto VII. anno $^{727.}_{8}$ & Augustus consulatum XI. iniit cum Terentio Varrone, anno $^{731.}_{2}$ sed coss. Lentulus eos conjunxit, quando Agrippa urbi Romæ præfectus est ab Augusto, anno $^{732.}_{3}$ & in ea motus compressit, quare corona murali, tamquam illam conservasset, donatus. Vide in Vipsania gente.

III.

AVGVSTVS COS. XI. Caput Augusti laureatum: ex altera parte caput Agrippæ, rostrata corona & murali ornatum, cum gemino litterarum circulo, IMP. CAESAR TRAIANVS AVG. GER. DAC. P. P. REST. in secundo, M. AGRIPPA COS. TER. COSSVS LENTVLVS.

Augustus corona ex lauro contexta ornatur ei à Senatu concessa, ut perpetuo hostium Victori, ex *Dione*; corona verò ex navium rostris composita Agrippæ ob navalem victoriam contra Sex. Pompeium in Siculo mari relatam, anno $^{718.}_{9}$ ut refert *idem Dio*, his verbis: Agrippam aurea corona rostrata donavit, quod neque antè, neque pòst contigit ulli, & murali, quod Romam motibus agitatam conservasset. Trajanus, Imperator optimus, hunc denarium jam rarum ad monetæ usum quidem restituit, sed eximiæ raritatis ab hoc principe restitutus.

IV.

AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum: in postica, COSSVS CN. F. LENTVLVS. Figura paludata, insignis galea, in equo supra basim, navium rostris ornatam, d. humero trophæum gestat.

Cossus

Coſſus Lentulus à *Paterculo lib. 2.* vir diverſis virtutibus celebris appellatur; nam conſulatum cum Piſone geſſerat, anno $^{752}_{3}$ Paſſieno in Africa nova ſive Numidia ex lege Auguſti Proc. ſucceſſit, anno $^{758}_{9}$ ubi Getulos Jubæ juniori regi rebellantes, provinciamque finitimam vaſtantes ſubegit, unde Getuli cognomen & triumphalia ornamenta meruit, ex *Dione*, *Paterculo*, *Tacito* & *Oroſio*. Sed redux non hunc denarium cudit, ut putat *Urſinus*, nec potuit, quùm non eſſet ampliùs Triumvir monetalis. Equeſtrem ſtatuam, in altera ejus parte impreſſam, ad Auguſtum pertinere etiam putat. Sed ejus filius denarium cudit Triumvir monetalis factus, qui, ut à patre Coſſo Lentulo diſtingueretur, Coſſus Cn. F. Lentulus eſt appellatus, & ſi nobis conjecturæ locus ſtatuam equeſtrem patri ſuo erectam, cum Auguſti effigie ex altera parte expreſſit.

De hoc Coſſo Cn.F. Lentulo ita loquitur *Paterculus*: Sed Coſſus victoriæ teſtimonium etiam diu cognomen filii contulit, ado- „ leſcentis in omnium virtutum exempla geniti: quare memor pa- „ ternæ gloriæ hunc denarium ſignavit. Stylobates ſtatuæ navium roſtris ornata eſt, ad demonſtrandum in ſinu Numidico Getulos etiam per mare devictos fuiſſe. Coſſus filius conſulatum etiam geſſit cum Aſinio Agrippa, anno $^{777}_{8}$ & ejus frater, $^{778}_{9}$ & tandem ejus filius cùm Claudio Imp. anno $^{812}_{3}$

V.

M. MESSALA M. F. III VIR. Capita Honoris & Virtutis jugata: in poſtica parte, COSSVS CN. F. LENTVLVS. Pons, cum duobus fornicibus & duabus ſupra eum portis, ſupra cujus loricam legitur, INSVBRIA. in aqua cymba.

Ecce alterum Coſſi Cn. filii Lentuli denarium, in quo M. Valerius Meſſala, & ille Triumviri monetales ſunt appellati; ſed potiùs quaſi curatores viarum, ut olim, videntur fuiſſe. Hi apud *Livium*, *lib.* 25. Duumviri muris turribuſque reficiendis potiùs quam Triumviri monetales Auguſti. Illud innuere videtur Pons. Ab una parte Virtutis & Honoris capita ſociata exhibuerunt, ut denotarent ambo, ſe per virtutem ad honores aſcendere velle: nam uterque patrem habuit conſularem; imò etiam ambo conſulatum adepti ſunt: in averſa parte pontem per Ad-

duam fluvium ad Inſubriam ingrediendam, ab Auguſto tunc ſtructum, ut facilius Mediolanum Inſubriæ caput intraret; nam ille, teſte *Suetonio*, ob bella, ut ab exercitibus non longè ab-„ eſſet, Ravennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam uſ-„ que ab urbe progrediens. Italiam autem operibus ac vectiga-„ libus publicis plurifariam inſtruxit. Coſſi dicuntur apud *Feſtum*, qui rugoſi ſunt & aſpera facie, à ſimilitudine vermium, qui in ligno nutriuntur. Unde apparet eum, qui primus id cognomen tulit, inſigniter fuiſſe rugoſum.

Scipiones Asinæ.

VI.

Caput Romæ galeatum, ASINA· in averſa parte, CN· SCIPIO. Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. equorum habenas, ſ. ſceptrum.

Ad tertiam Corneliæ gentis, nempe Scipionum ſtirpem pervenimus: qui verò Scipionis cognomen primus tulit, adoleſcens patrem luminibus carentem, pro baculo regebat; ex *Macrobio Saturn. lib.* 1. Sed hæc familia in plures ramos diviſa, ad diſtinctionem cognomina accepit; & qui Aſina appellatus, inde dictus, ex *eodem Macrobio*, quod nimirum, empto fundo, ſeu, ut alii volunt, filia elocata, qùm ſponſores ab eo ſolemniter poſcerentur, aſinam pecunia onuſtam produxerit in forum ad tribunal, quaſi pro ſponſoribus præſens pignus: eamque ob cauſam illi agnomen ab Aſina vulgò fuit inditum.

Cn. Scipio Aſina L. filius, Cn. nepos Quæſturam militarem accepit, anno 483/4. Ædilis curulis fuit, anno 488/9. Prætor urbanus, anno 491/1. conſul cum C. Duillio, anno 493/4. iis decretæ Siciliæ & claſſis, cùm ſortiti inter ſe eſſent Duillio Sicilia, claſſis Scipioni, & ad Liparas contendens, ubi ab Annibale circumventus & à claſſe Punica obſeſſus, ſub ſpeciem colloquii per fraudem captus eſt; ex *Livio*. Conſul iterùm cum A. Attilio Calatino iter creatur, anno 499/500. His nova claſſis & Siciliæ provincia eſt decreta, Scipio prorogato imperio rem feliciter geſſit, & triumphum obtinuit, ut demonſtrant *C. Verrius in Faſtis & Marmora Capitolina.*

VII.

CN. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO ASINA. AN. D. DI. *Varr.* PRO. COS. DE POENIS X. K. APRIL.

Idem confirmat hic denarius, etiam Romæ obſervatus à *Pighio*, in quo Jupiter in quadrigis triumphalibus ſceptrum tenet. Scipio cenſor fuit cum eodem Duillio, anno $^{495.}_{6}$ luſtrum fecerunt XXXVI.

VII.

Caput Romæ galeatum: in altero latere, P. SCIPIO ASINA. in imo, ROMA. in vertice, CXIII. Quadrigæ decurrentes aurigante Victoria, d. palmam, ſ. habenas equorum.

Patrem ſequitur filius P. Cornelius Scipio Aſina. Is verò Quæſturam provincialem ſuſcepit, anno $^{521.}_{2}$ Ædilis curulis fuit, anno $^{526.}_{7}$ Prætor urbanus, anno $^{529.}_{30}$ Conſul cum M. Minucio Rufo, anno $^{532.}_{3}$ Iſtricum bellum ſecundum ambobus decernitur, & ab iis illud confectum eſt. An verò triumpharint conſules, *Auctorum* nemo prodidit, quùm *T. Livius* non ſit integer, & *Faſtorum Capitolinorum* triumphi hîc ſint interrupti. *Livius* verò, *lib.* 38. refert Senatum negaſſe triumphum Imperatori, qui perduelles domuerit; at quùm Iſtri rebellarent, planè dubitabatur inter recentiores; at *Pighius*, quùm denarium à *Goltzio* expreſſum ipſe viderit, cum hac epigraphe P. SCIPIO ASINA. & quadrigas decurrentes pro triumpho arbitratur; ſed ſæpiùs diximus, illas tantùm lento paſſu gradientes triumphos denotare, & illos denarios ſolùm quadrigatos eſſe appellatos.

CALVI.

VIII.

Caput Monetæ. CN. SCIPIO CALVVS COS. in poſtica parte, L. VETVRI. L. F. PHILO. AED. CVR. Templum octo columnarum.

Cn. Cornelius L. filius, L. nepos, Scipio Calvus, ſuperioris Aſinæ patruelis ut creditur, fuit. Ille Quæſturam provincialem accepit, an. $^{522.}_{3}$ Ædilitatem curulem, an. $^{525.}_{6}$ Præturam urbanam, an. $^{528}_{9}$ conſulatum cum M. Claudio Marcello, anno ^{531} Utrique conſuli provincia Gallia eſt decreta. Marcellus, uti diximus in gente Claudia, Viridomarum ad Claſtidium urbem

occidit, & ejus triumphi denarios retulimus, ſed illi qui nobis ex Scipione Calvo ſuperſunt, ab Ædili Curuli L Veturio cuſi videntur, ob Monetæ ædes, ex multatia pecunia damnatorum argentatiorum in monetaria fraude deprehenſorum, reſtauratas, in cujus rei memoriam templi iconem nobis exhibuit: uti ex argenteo *Goltzii* num mo *Pighius* exiſtimat.

HISPALI.

IX.

CN. SCIPIO L. F. Capita Jovis & Ditis jugata: in averſa parte, HISPALVS. Cybele capite turrito ſedens, d. tympano ſupra genu impoſito innixa, ſ. brachio ſupra ſellam, pro pedibus ibis.

Ab avo Cornelio Scipione Calvo ad ejus nepotem Cn. Scipionem Hiſpalum deſcendimus. Hic patrem habuit L. Scipionem Calvum, cujus denarii ad nos haud peruenerunt. Quæſturam provincialem accepit, anno 567/8 Ædilitatem ejus non reperimus; ſed Idææ matris ſedentis typus illum Megalenſes ludos, ipſi dicatos, edidiſſe in ejus honorem declarat. Hi apud *Livium, lib. 9. Decad 3.* Prid. Id. April celebrabantur, ſed corruptus eſt locus, & Prid. Non. ſubſtituendum eſt, uti in *Feſtorum* tabulis habetur, quibus adſtipulatur *Ovidius, Faſt.* 4. poſt tertium Aprilis Berecinthiæ matris feſta incipit canere.

Ter ſine perpetuo cælum verſetur in axe,
Ter jungat Titan, terque reſolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ feſta parentis erunt.

Ludi Megalenſes erant ſcenici: nova res, inquit *Livius*, pro bellico populo, ſed primi inter alia cæleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur.

Ibis ad pedes Matris Magnæ appoſita; quòd illa ſit Terra ſeu Iſis, cui ſacra hæc avis perhibebatur, & ut Saturni uxor credebatur deorum mater, ob id forſan duos ejus filios Jovem & Ditem, ut omnia illam poſſe in cælo & in terrà, expreſſit Cornelius Hiſpalus. Alii duo hæc capita Janum capite jugato pro averſo eſſe exiſtimant. Vide in Julia gente. Sed ad ceteros ejus magiſtratus progrediamur, peregrinam geſſit Præturam, anno 574/3 conſulatum

ſulatum veeò iniit cum Q. Petilio, anno $^{577}_{8}$ & in magiſtratu morbo deceſſit.

Africani.

X.

Caput Jani bifrontis barbatum : in averſa parte, P. SCIPIO L. F. in imo ROMA. Navis.

Expoſitis Scipionis familiæ, quibus agnomina Aſinæ, Calvi, & Hiſpali inſunt, ſuperſtitibus nobis denariis; ad alteram ejus gentis ſtirpem, ex qua Africani, & Aſiatici fratrem illuſtria & Naſicæ, & ejus nepotis Serapionis jocularia promanarunt, tranſeamus. Primus eorum agmen aperiet P. Scipio Africani, & Aſiatici pater, qui fratrem habuit Cneum Scipionem, exquo Naſica & Serapio ejus nepotis progeniti ſunt.

Ille Quæſtura provinciali functus eſt, anno $^{524}_{7}$ in ea autem nummum hunc ſextantarium ex duabus unciis conſtantem, ad quas libralis as ob bellum, quod tunc flagrabatPunicum, reductus eſt, uti ſæpius ex *Plinio* retulimus, percuſſit cum Jani bifrontis capite & navi, ſolito illius ævi nummorum ſymbolo. Scipio Ædilis curulis fuit, anno $^{528}_{9}$ Prætor peregrinus, anno $^{534}_{5}$ conſul primo belli ſecundi Punici cum T.Sempronio Longo creatus eſt, anno $^{535}_{6}$ Cornelio Scipioni Hiſpania obvenit, ſed quùm Maſſiliæ accepiſſet, Hannibalem Alpes jam tranſiiſſe Cn. fratrem conſularem legatum ſuum in Hiſpaniam miſit, ipſe Genuam reverſus, Annibali occurſurus, cum eo congreditur; ubi vulneratus, niſi filii poſteà Africani auxilio è pugna ereptus periiſſet.

Anno $_{53}^{6}$ prorogatum eſt ei in Hiſpania imperium dum in Italia Annibal eſſet, in qua cum fratre inſigni virtute per quinque annos res feliciter geſſerunt, ut videre eſt apud *Livium*; ſed tandem ab hoſtibus circumventus, anno 541. P. lancea dextro latere trajectus cecidit, & Cn. frater in altera pugna occiſus eſt.

XI.

Caput Neptuni laureatum, pone quod tridens, EX S. C. in averſa parte, P. SCIPIO P. F. PROCOS. Navis, in cujus puppi ſtat paludatus & galeatus Scipio, pone quem Aquila

legionaria, dextram porrigit feminæ turritæ; ſ. ſpicas duas ſublimes, & temonem ſubmiſſum tenet.

Patri P. Scipioni in Hiſpania fortiter pugnanti occiſo ſuccedit alter P. Scipio qui ſibi immortalem per Africani agnomen illuſtre patriæ virtutis gloriam conciliavit. Hic per non communem aliorum viam ad munera & dignitates aſcendit; nam hic ante Quæſturam & ætatem quùm peteret, obſiſtentibus Tribunis, dixit; Si me Quirites ædilem facere volunt, ſatis annorum habeo, & obtinuit. Fratri Cneo majori etiam poſtulanti prælatus, anno $^{50.}_{1}$; undè illum præmiſimus in denariis exponendis.

Ædilitius etiam Præturam prætermiſit, quùm Capua capta Romani Hiſpaniam tutari vellent, & nullus eam provinciam ſatis periculoſam, peteret, ſolus Scipio anno 24. poſtulare auſus eſt, & Imperator appellatus prudenti oratione ætatis ſollicitudinem diſcuſſit, anno $^{542.}_{3}$ res quam in Hiſpania proſperè & fortiter egit: videre eſt apud *Polybium*, *Livium*, *Paterculum & alios*, nec Hiſtoriam deſcribere, quorum nummos exhibemus, ſed tantùm eorum interpretationem ad *Antiquarios* ſublevandos aggreſſi ſumus. Scipio igitur Hiſpania in poteſtatem redacta, anno 5. poſt provinciam acceptam rediit Romam, triumpho ob magiſtratus quos non inierat, privatus, anno tamen ſequente conſul longè ante ætatem adeptus eſt, anno $^{548}_{9.}$ cum Licinio Craſſo Divite.

Siciliam conſul obtinuit, prorogatumque ei anno $^{549.}_{50}$ imperium, & in Africam trajiciendi poteſtas, ubi Annibalem vicit, ad pacem compulit Carthaginem; anno $^{552.}_{3}$ cujus teſtis nobis inſignis eſt hic denarius, Senatuſconſulto impreſſus, in quo paludatus Scipio dextram porrigit ſupra navim urbi Carthagini. Ille galea inſignis ut victor & in puppi; pone cum aquila legionaria Romanorum inſigne. Ipſa turrito capite eſt, ut ſolent exhiberi celebres, & quaſi aliarum patronæ urbes, ſ. ſpicas, ad denotandam ſoli ſui fertilitatem, & temonem, ad indicandum ad mare ſitum. Caput Neptuni impreſſum eſt, ad arguendum maris imperium penes eſſe Romanos per hanc pacem, quùm ſolum decem triremes habere deberet.

XII.

ROMA. Caput Romæ galeatum, P. SCIPIO P. F. L. N. PRO-COS. Togatus, in quadrigis triumphalibus vectus, d. habenas, f. ramum olivæ.

De Pœnis & eorum duce Annibale & Numidarum rege Syphace eorum collega triumphum egiſſe honoratiſſimum P. Scipionem, teſtis eſt hic denarius. Togatus invehitur curru triumphali, & lento paſſu graditur, ut moris erat, ramum olivæ pacis, quam inierat, inſigne: ut autem denarius illi Africani agnomen non præbet; & *Livius*, an militaris favor, an aura populi ei poſteà detulerit, incompertum relinquit; exiſtimare poteſt familiari aſſentatione cœptum fuiſſe, exemplo Syllæ, qui nec Fœlix; nec Pompeius, qui nec Magnus, in nummis ſuis appellatus eſt. At ut Scipio plurimos, quos illi Senatus honores obtulit, ordinarios accepit, nam Cenſor cum P. Cornelio Pæto factus eſt, anno 554/5 & conſul iter. cum T. Sempronio Longo, anno 559/60 ſed obſcurus fuit illi vitæ exitus; nam exul voluntarius Linterni obiit.

XIII.

P. SCIPIO. Caput Romæ galeatum, ROMA. in averſa parte, AIMILIAN. AFRICAN. Victoria, trophæo porrigens coronam, f. palmam gerit.

Scipioni Africano majori adoptione avo ſubjungimus Scipionem Africanum minorem, ejus nepotem. Ille enim reliquit P. Scipionem Prætorium, qui Æmilii Pauli de Macedonia & rege Perſeo triumphatoris filium, ut in ejus gente diximus, adoptavit, & ſic P. Cornelius Scipio Æmilianus Africanus appellatus eſt. Is Quæſturam militarem accepiſſe videtur, anno 601/2 & ante legitimam ætatem, quùm nec Ædilis nec Prætor fuiſſet, Populi totius conſenſu, & ſuffragio conſulatum tertium cum C. Livio Manuliano Druſo creatus eſt, anno 606/7 quod bellum tertium Punicum longius traheretur; tanta de illius geſtis in Hiſpania & Africa rebus expectatio. Itaque extra ſortem accepit, in Africam profectus, Carthaginem obſedit, & anno ſequente 607/8 cepit & diruit, atque poſtquam ignis decem & ſeptem diebus eam conſumpſiſſet, in ejus loco trophæum erigi juſſit: in æternam cujus memo-

moriam hic denarius, cum Victoria eum coronante, percussus est; & sic tertium bellum Punicum quarto quo inchoatum fuerat anno, finem habuit, & Romæ Scipio triumphavit.

P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANVS AEMILIAN. AN. $\frac{DCVII.}{CDVIII}$ *Varr.*
PROCOS. EX AFRICA DE POENIS ET ASDRVBALE...

Censor cum L. Mummio, anno $\frac{561.}{2}$ lustrum fecerunt LVII. Iterùm consul creatus est cum C. Fulvio Flacco, anno 619. Scipioni Hispania citerior bellumque Hispanicum extra sortem decretum est, Numantiam oppugnavit, anno 620. quam excidit & delevit, anno 621. & de Numantinis triumphum egit, anno 14. postquam primùm de Carthagine triumphasset.

P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO AFRICANVS AN. $\frac{DLXXI.}{DLXXII}$ *Varr.*
AEMILIANVS PROCOS. DE NVMANTINEIS EX
HISPANIA CITERIORE IIII. KAL. IANVAR.

Post tot victorias bello partas, & post tot honores à Romanis acceptos, Æmilianus ereptus ex seditione Triumvirorum agrariorum, postridie mortuus sine vulnere in cubiculo inventus, annum agens 56.

ASIATICVS.

XIV.

Caput Jovis Capitolini laureatum, pone quod litteræ, O. M. id est, optimus maximus: in averso latere, L. SCIPIO ASIAG. Jupiter in quadrigis currentibus, d. fulmen, s. sceptrum.

L. Cornelius, qui Asiageta in denario inscribitur, P. Scipionis Africani majoris frater fuit natu major; sed quùm serius Quæsturam peregrinam, nempe anno $\frac{553.}{4}$ ut diximus, accepisset: ipsi postposuimus. Ædilis curulis factus est, anno. $\frac{558.}{9}$ Præturam provincialem, nempe Siciliam obtinuit anno $\frac{560.}{1}$ consulatum verò cum Q. Lælio nepote, anno $\frac{563.}{4}$ L. Scipioni Græciam & bellum cum Antiocho Magno Syriæ rege extra sortem, quùm Scipio Africanus ejus frater pro legato eum accepisset, Senatus decrevit; in Græciam transgressus, deinde Hellespontum trajecit, Antiochum in Magnesiis campis profligavit: inde pax, tributo regi

gi impoſito, inita eſt: Scipio Romam reverſus, triumphum egit, ut habent *Columnæ triumphales.*

L. CORNELIVS P. F. L. N. SCIPIO ASIATICVS AN. DLXIV. DLXV. *Varr.*
PROCOS. EX ASIA DE REGE|ANTIOCHO PRIDIE K. MART.

Ex victoria Aſiatica L Scipio cognominatus eſt Aſiaticus, ut frater ejus Africanus erat dictus. Id confirmat hæc *Inſcriptio*: ſed denarius præfert conſtanter ASIAG. ſed perperàm *Pighius* legit ASIAC. & interpretatur *Aſiacus. Urſinus Ant. Auguſtini* ſententiam profert ſuam reticendo; exiſtimat, inquit, pro Aſiatico Aſiagetem Græca voce primùm in Græcia L. Scipionem dictum fuiſſe, ejuſque cognominis extare affirmat veſtigia in veteribus libris *Livii*, & in carmine quodam, *Sidonii Apollinaris.* Et hæc vera ſunt, quia hic denarius in Aſia ad militum ſtipendium à Quæſtore poſt victoriam Scipionis tamquam quadrigatus nec deſignat ejus triumphum, ut ſæpe diximus de his denariis cum quadrigis decurrentibus, in quibus Victoria vel Jupiter agit equos. Jupiter in anteriore parte expreſſus eſt, ad indicandum illum eſſe deum Romæ tutelarem, & litteræ O. & M. id eſt, *Optimus Maximus*, additæ ſunt ad nomen ejus arguendum. Sic autem Jupiter eſt appellatus, quod velit & poſſit omnibus prodeſſe; & Optimus quidem antequam Maximus, quia majus eſt certè, gratiuſque prodeſſe quàm magnas opes habere, teſte *Cicerone.* Templum Jovis Optimi Maximi Tarquinius Priſcus vovit, quod extruere cœpit Superbus, ſed perfecerunt Conſules.

NASICA.

XV.

Caput Romæ galeatum, NASICA. & palmæ ramus: in averſo latere, P. SCIPIO CN. F. Victoria in bigis, d. coronam, ſ. habenas equorum.

A junioris P. Scipionis familia ad ſtirpem majoris Cn. fratris revertamur. Hæc cognomine Naſicæ ab aliis diſtinguitur. Cn. frater fuit major Publii, qui pater fuit Africani majoris, ſed ejus non occurrunt denarii: nobis tantùm ejus filii ſuperſunt. Hic P. Cor-

nelius Scipio Naſica, ab acuto & magno naſo, quem habuit, Cneus pater dictus, & à Senatu civium optimus judicatus, qui Idæam matrem hoſpitio reciperet, donec ei templum eſſet extructum. Filius verò Publius Quæſturam, ut creditur, militarem accepit, anno 590/1 quo bigatum hunc denarium percuſſit; Ædilis deinde curulis fuit anno 556/7 Prætor militaris, anno 559/60 Hiſpaniam ulteriorem ſortitus in ea res feliciter geſſit. Conſul cum M. Glabrione, anno 562/3 Scipioni Italia ſorte obvenit, & cum Boiis bellum gerere juſſus, de iis illuſtrem triumphum egit.

P. CORNELIVS CN. F. L. N. SCIPIO NASIC AN. DLXII. DLXIII. *Varr.*
COS. DE GALLEIS BOIEIS......

SERAPIO.

XVI.

FIDES. Caput Fidei: in altero latere, P. SCIPIO NASICA SERAPIO. Templum quatuor columnarum, in quo ſella curulis.

P. Cornelius Scipio Naſica Serapio filius fuit P. Cornelii Scipionis Naſicæ Corculi, Pontificis Maximi; cujus nobis non ſuperſunt denarii, & P. Scipionis, de quo nos ſuprà, nepos Avorum certè virtutis non degener, licet faciei ſimilitudinem victimario cuidam comparatus, nomine Serapioni à Tribuno plebis, & inde illi nomen inditum, ut *Valerius Maximus* narrat, *lib. 9. cap.* 14. imò illud, tamquam ob reip. injurias glorioſum, etiam ſibi arrogaſſe, nos edocet ejus denarius.

Is Quæſturam militarem accepit, anno 604/5 & in Africam iviſſe ſcribit *Appianus in Liburn.* cum Pœnorum legatis ad arma capienda à Conſulibus miſſum. Ædilis curulis poſt repulſam ob jocum eſt factus, anno 608/9 quo Sella curulis Ædilitatis inſigne in templo Fidei, illud aut igne conſumptum, aut vetuſtate collapſum reſtauraſſe Serapionem in magiſtratu nos edocet. Duo erant Fidei templa in urbe, unum in regione ſexta, vulgò alta Semita dicta, alterum in Capitolio. *Agathocles Siculus*, *Cyzicenarum rerum autor*, refert Romam Aſcanii filiam, Æneæ neptem, omnium primam conſecraſſe in Palatio Fidei templum, in quo monte poſteà condita urbs Roma, ab ea quæ Fidei templum ibidem dedicaſſet, appellata eſt.

Cor-

Cornelius Serapio Præturam deinde urbanam obtinuit, anno $^{610.}_{1}$ peregrinam verò, anno $^{611.}_{2}$ & tandem conſulatum cum D. Junio Bruto, anno 615. Ille verò in Italia manſit, dum collega bellorum reliquias in Hiſpania tollere juſſus eſt.

LENTVLVS CAVDINVS.

XVII.

CAVDINVS. Caput Romæ galeatum: in poſtica parte, L.LENTVL. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. habenas equorum.

Ad quartam Corneliæ gentis patriciæ Lentulorum ſtirpem tandem pervenimus: ſed hic denarius ad L. Lentulum, qui primus Caudini agnomen, à Caudio Samnitum oppido, ab eo expugnato, anno 478. pertinere nequit; quùm Romani tantum argentum ſignarint, anno 484. ſed ad L. Lentulum, ejus filium, conſularem & Cenſorium; hic verò Quæſturam militarem accepit, anno $^{506.}_{7}$ quo denarium hunc bigatum, ut ſolitum monetæ Romanæ ſymbolum, in magiſtratu percuſſit.

XVIII.

CAVDINVS. Caput Junonis Soſpitæ Lanuvinæ, caprina pelle amictum: in altero latere, L. LENT. L. F. C. PAPIRI C. F. MASO AED. CVR. Sella curulis, ſupra quam corona.

L. Lentulus Caudinus ex Quæſtura ad Ædilitatem aſcendit, anno $^{551.}_{2}$ in qua ſacra publica P. Romani ſolemnia, in honorem Junonis Soſpitæ, cum collega Papirio feciſſe videntur: nam illa, ex *Livio*, cum Lanuvinis erant communia. Lanuvinis, inquit, civitas data, ſacraque ſua reddita, cum iis ut ædes, lu- „ cuſque Soſpitæ Junonis communis municipibus cum P. Ro- „ mano eſſet templum. Romæ quidem illud erat in decima re- „ gione extructum, apud *P. Victorem*, & ejus feſta menſe Februario celebrabantur; erantque Lupercalia nominata, quod hac die mulieres à Lupercis, amiculo Junonis, id eſt, pelle caprina tectis, februabantur, ſeu purgabantur: qua de re Juno Soſpita in denariis ita hac pelle amicta, in anteriore ejus parte exhibetur, & in altera curulis ſella, ad denotanda ab Ædilibus

feſta hæc fuiſſe celebrata, depingitur. Supra autem ſellam curulem corona eſt, quæ illa die Junoni Soſpitæ ab iis offerebatur.

XIX.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in altero latere, P. LENTVLVS L. F. CAVDINVS. Ovis in laurea.

P. Cornelius Lentulus Caudinus fuit filius minor L. Lentuli, qui primus Caudini agnomen tulit, & frater L. Lentuli, de quo in ſuperiore denario diximus. Is Quæſturam militarem accepit, anno $^{507}_{8}$ & nummus ejus argenteus, cum Jove ab una parte, & ove ex altera, Quæſtores in exercitu Sacra & Feſta, ut Prætores in urbe curare indicabat; nam ovis cum Jove conjungitur, quod victima ſit, quæ huic deo immolabatur. *Ovidius* id demonſtrat.

Idibus alba Jovis grandior agna cadit.

Omnes enim Idus Jovi ſacræ erant; & hæc dies, qua aries mactabatur pro feſto à militibus in caſtris habebatur: qua de re P. Lentulus Caudinus Jovem & arietem, ad denotandum munus ſuum, & celebratum à ſe feſtum ſignavit; niſi mavis in Prætura. Vide Treboniæ gentis nummum.

P. Caudinus poſt Quæſturam factus eſt Ædilis curulis, anno $^{512}_{3}$. Prætor, ut videtur, anno $^{515}_{6}$ conſul cum Licinio Varo, anno 517. & cum eodem Cenſor, anno 517. ſed Lentulus ob collegæ mortem abdicavit.

CETHEGVS.

XX.

Caput Jani bifrontis barbatum: in parte poſtica, C. CETHEG. L. F in imo ROMA. Navis.

Lentulis Caudinis ſuccedunt hic Lentuli Cethegi, quos diverſus amictus à ceteris diſtinguebat; ideò *Horatius* eos appellat cinctutos, quod habitus ſeu toga ad cinctum reducta fuerat. Exerto ſanè brachio conſtat procedere ſolitos: unde & illud *Lucani.*

Exertique manus veſana Cethegi.

C. Ce-

C.Cethegus in denario nominatus Lucii filius, Quæſturam militarem ſuſcepit, anno 548/9. in qua per multos annos cum imperio manſit, donec in ea deſignatus Ædilis curulis Romam venit, anno 554/5. & Conſul factus eſt, cum Q. Minucio Rufo, anno 556/7.

Conſules diverſis itineribus in Galliam profecti, Cethegus Inſubres & Cenomanos ad Mincii fluminis ripas primo impetu proſtravit; unde ei triumphus ob illam inſignem victoriam decretus eſt, uti legitur in *Marmoribus Capitolinis*.

C. CORNELIVS L· F. M. N. CETHEGVS AN. DLVI. DLVII. *Varr.*
COS. DE INSVBRIBVS CENOMANNEISQ....

At inter ea quæ ex hoſtium manubiis Cethegus in triumpho retulit, ducenta triginta ſeptem millia quingenta æris ad ærarium delata ſunt; ex quibus nummi ſextantarii, cum Jano & Navi ſolitis eorum ſymbolis, à Quæſtoribus cum nomine Cethegi ſunt percuſſi.

XXI.

Caput Jovis Capitolini barbatum in laurea: in averſo latere Victoria, trophæo coronam porrigit, ſ. palmam gerit.

C. Cornelius Cethegus, quùm, ut apud *Livium* legitur, etiam argenti bigati ſeptuaginta novem millia in triumpho tuliſſet, poſteà ad ærarium pariter delata, Quæſtores urbani in Cethegi honorem, ex eo denarios cum Jovis capite cuderunt, ut Cethegum huic lauream ex auro, quando triumphans ingreſſus eſt Capitolium, obtuliſſe denotarent; & ex altera denarii parte Victoriam trophæo coronantem addiderunt, in memoriam illius quod in loco pugnæ erexerat. Cethegus poſt conſulatum creatus eſt Cenſor, cum Sex. Ælio Pæto, anno 549/50. & luſtrum fecerunt XLVII.

XXII.

Roma, cum galea in pilei Phrygii formam facta, EX S. C. In averſa parte, CETHEGVS. in imo, ROMA. Genius P. Romani nudus cum galea Phrygia, capræ decurrenti inſidet, d. palmam in corona hederacea.

 Pau-

Paulisper in hoc Historiæ Romanæ ænigmate, denario Cethegi inserto, hæsimus; sed omnibus in eo contentis attentè observatis, exercitum P. Romani primum per Ægæum mare, sub Scipione consule, transitum denotare opinor. Roma in anteriore parte, non solita galea, sed in pilei Phrygii formam, est ornata, quasi jam, post Antiochum regem ad Thermopylas in Europa debellatum, Asiæ domina. Genius P. Romani, in altera parte, insidet capræ nudus, & eadem galea insignis. Per capram Ægæum mare, unde nomen à voce Αἴξ, Αἰγὸς, interpretor. Ei insidet Genius P. Romani, ut tunc ejus maris tempestuosi rector, nudus ut sessor, qui flumen equo trajicit, palmam gerit, galea Phrygia ornatus, tamquam Asiæ possessor; quæ omnia confirmat corona hederacea, Baccho tutelari ejus regionis deo sacra, ut ipsa in cistophoris, & Antonii Triumviri nummis expressa conspicitur.

Quùm vellet Senatus hanc expeditionem navalem, per mare ita tempestuosum, & contra potentissimum regem, & jam ex Europa profugum susceptam, posteris commendare; decrevit, ut ea, quæ in denariis publicis per Quæstorem urbanum ejus memoria aliquot symbolis consignaretur. Ille Cethegus, qui denarium cudit, satis erat notus, sed quùm ejus prænomen desit, & duo Publii Cethegi Quæstores occurrant patrueles, anno 563/4 quo L. Scipio in Asiam trajecit, unde Asiatici nomen retulit; an ad Publium Lucii filium Cethegum deinde consularem, an ad Publium Publii filium Cethegum postea Prætorium pertineat denarius, incertum est.

Amicus noster nihil aliud hunc typum quàm ludorum Liberalium memoriam ab Ædili curuli Cethego denotare contendit; per Genium P. Romani insidentem capræ quæ Baccho, ex *Virgilio*, immolabatur. *Non aliam ob causam Baccho aper omnibus aris*
Cæditur.

Et corona ex hedera huic deo peculiaris: quæ sententia omninò non displicet.

XXIII.

Caput Romæ galeatum CETHEGVS: in aversa parte, P. CORNELIVS. in imo, ROMA. Neptunus in quadrigis decurrentibus, d. tridentem.

Præ-

Prænomen Publii, in ſuperiore denario prætermiſſum, unum ad Publium Cethegum Quæſtorem, an. $^{573.}_{4}$ illum referremus, anticipes nos reddidit. Sed quùm hic nummus Publii cognomen exhibuit, ut ad conſularem Cethegum revocemus, impellit Neptunus in quadrigis. Ille autem poſt Quæſturam Ædilis curulis, anno $^{566.}_{7}$ Prætor peregrinus, anno $^{568.}_{9}$ & conſul cum M Bæbio Tampilo, $^{572.}_{3}$ ambobus exercitus in Ligures decretus eſt. Prorogatum eſt iis imperium, donec coss. adveniſſent, & Romam redeuntibus decretus eſt triumphus. Hi omnium primi nullo bello geſto triumpharunt, inquit *Livius*: tantùm hoſtes ante currum ducti, quia nec quod ferretur, duceretur ve captum, neque quod militibus daretur, quidquam in triumphis eorum erat: porrò in denariis eorum, nempe in Bæbianis, ut retulimus, Jupiter in quadrigis, quaſi alter mediterraneos Ligures, & Neptunus in Cornelianis, tamquam littorales alter profligaſſet, depingitur.

XXIV.

Caput Deæ Nemeſeos, M. CORN. C. F. C. N. CETHEGVS. In averſa parte, EX S. C. Aquila legionaria, inter duo ſigna militaria, in laurea.

Tam ampla Cethegorum ſtirps extitit, ut alios ab aliis non diſtingueremus, niſi ſe ipſi nominibus ſuis diſcernerent. Hic igitur Marcus appellatur, filius Caii & alterius Caii nepos. Quæſturam militarem accepit, anno $^{581}_{2}$ quo exortum eſt bellum Perſicum, ſeu Macedonicum ſecundum; nempe contra Perſeum regem, orbis terrarum ingente tot regum & ſociorum motu. Igitur in tanti belli apparatum quatuor novæ legiones ex S. C. decretæ ſunt conſulibus. M. Cethegus ideò in denariis legionum ſigna in laurea, quaſi jam eſſent illæ victrices, expreſſit, & anteriore denarii parte Nemeſim, ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, id eſt, *à diſtributione quæ unicuique fit*, dicta: nam hæc dea honorum promotrix non erat, ſed facinorum impiorum ultrix. Romani, quùm juſta ſe ſemper movere bella profitebantur, profecturi ad bellum, inquit *Pomponius Lætus*, Nemeſi ſacrificabant.

M. Cethegus ex Quæſtura ad Ædilitatem curulem pervenit, an. $^{582.}_{3}$ deinde ad Præturam peregrinam, an. $^{590.}_{1}$ & tandem conſulatum iniit cum L. Anicio Gallo, anno $^{593.}_{4}$ Pontinæ paludes à M. Cornelio

Ce-

Cethego, cui ea provincia obvenit, ſiccatæ ſunt, agerque ex iis factus; quùm bellum non aliò conſulem avocaret.

XXV.

Caput Apollinis laureatum: ex averſa parte ſella curulis, ſupra quam corona, M. CETHEGVS EX S. C.

Alter prodit M. Cethegus, ſed M. filius, & C. nepos. Is Quæſturam peregrinam ſuſcepit, anno 620/1. Ædilis curulis factus eſt, anno 630/1. Prætorque urbanus, anno 633/4 in quo magiſtratu ejus denarius illum Ludos Apollinares celebraſſe indicat: nempe Apollinis caput, cui, bove aurato & capris duabus albis auratis, & Latonæ, bove femina aurata, in circo ſacrificabatur. Ex altera ſella curulis, nempe Prætoris inſigne; corona verò ſupra ſellam, illa eſt quæ Deo quotannis offerebatur. Nota EX S. C. impenſas ex publico ad ludos faciendos fuiſſe ſumptas demonſtrat.

XXVI.

AVGVSTVS C. V. I. CELSA. *Colonia Victrix Julia Celſa.* Caput Auguſti in laurea, SEX. CETHEGO. Q. POP. SECVNDINO II VIR. Bos.

Quùm ampla admodum, ut ſuprà diximus, Cethegorum fuerit familia in colonias; etiam ſub Julio Cæſare, à qua fuit Celſa Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Bætim fluvium urbs, deducta, tranſmiſſos Roma eorum poſteros, nos edocet hic nummus Auguſti, quem etiam produximus ex cim. Cardinalis Maximi, in *noſtro Coloniarum libro, p.* 42. ſed ex qua ſtirpe Cethegorum fuerit ille Sextus, non facile eſt pronunciare; quùm ex iis qui celebres Reipublicæ tempore, nullos cum hoc prænomine obſervaverimus. Ipſi autem Cethegi, ut habilius valentiuſque telum vibrarent, ſubſtrictiores erant: unde *Horatius.*

Cinctutis non exaudita Cethegis.

LENTVLI.

XXVII.

Caput barbatum, Q. S. C. *Quæſtor Senatuſconſulto*: in averſa parte Numen ſeminudum, ſedens in curuli, d. cornucopiæ, ſ. ſceptrum

ſceptrum vel haſtam tranſverſam, Victoria per aërem volitans, ei coronam imponit. P. LENT. P. F. L. N.

Ad Lentulos Corneliæ gentis pervenimus, quos ita nominatos *Sigonius* exiſtimat, quod optimè lentem ſereret. Is qui primus illud cognomen tulit: denarium autem cudit P. Lentulus, ſed plurimi cum hoc prænomine in Hiſtoria Romana occurrunt, nullus tamen alter patrem habuit Publium & avum Lucium, præter illum, qui denarium in Quæſtura percuſſit, ut littera Q. id eſt, Quæſtor, indicat. Sed quùm varia eſſet Quæſtura, nempe urbana & provincialis, nota S. C. nummum Romæ percuſſum ex Senatuſconſulto denotat.

Caput illud barbatum variè depingitur: inter *Goltzianos*, *pag.* 174. faſcia caput ejus cingit, quem ſequutus eſt *Urſinus*, *pag.* 76. *tab.* 5. *den.* 4. Prior pro gemina epigraphe, addendo A. ſcripſit OSCA. Poſterior verò Q. C. S. ſed rectè *Patinus*, *fol.* 85. *tab.* 2. *den.* 6. veram ejus inſcriptionem legit, Q. S. C. & ad vivum ſine faſcia delineavit, uti denarius in *Theſauro Regio* aſſervatur. Quis tamen ille Deus, qui etiam ſedens conſpicitur in Curuli, nam eadem in utroque latere effigies, ut nemo pronuntiat, diu hæſimus, cui illum adjudicarem. Non Jupiter Capitolinus eſt, quem faſcia, vel laurea, aut fulmen denotaret, nec ipſi cornucopiæ daretur; nec eſt Hercules, quem clava aut leonis ſpolium comitaretur; & tamen denarius Romæ cuſus, deum à Romanis cultum arguit.

Tandem ſuſpicati ſumus, eſſe Genium Sangum vel Sancum, Sabinorum deum, quem P. Cornelius Lentulus ad indicandum Corneliam gentem è Sabinis ortam fuiſſe, ut Cn. Lentulus poſteà Genium Populi Romani pro deo tutelari ſignavit. *Lactantius* eumdem eſſe tradit Sangum, qui Hercules; unde vultus illi admodum ſimilis in anteriore denarii parte; & in averſa ſignum ejuſdem videtur, ſed ſub forma Genii ſedentis, nempe ſeminudus & pallio divinitatis ad inferiora tectus, ſuperiora enim conſpicua & aperta debent habere Numina, & partes inferiores velatas & obtectas, quia minus apparere, nec planè videri putabant à mundanis.

Genius depingitur cornucopiæ gerens, quia, teſte *Varrone*, deus erat qui vim habere omnium rerum gignendarum credebatur, ideò cornucopiæ rerum omnium abundantiæ ſymbolo ſem-

per insignis est; sceptrum seu hastam gerit ut deus; sedet ut stabilis, & quidem in sella curuli, ut supra nobiliorem magistratuum sedem; Victoria ei coronam porrigit, quia Sabinis fuerat semper propitius; unde apud eos Sanctus dicebatur, qui idem est: unde *Varro* ait, à Sabina lingua Sanctum nominari, & Herculem à Græca. Sangi Genii sacellum in urbis regione septima statuit *P. Victor*, in quo hoc dei simulacrum fuisse positum videtur. Huic Herculi Sancto aptè videtur à L. Cornelio posita *vetus Inscriptio.*

HERCVLI PACIFERO INVICTO SANCTO SACR.
VOTO SVSCEPTO L. CORNELIVS L. F. PAL.
TERENTIANVS ET LEMNIVS LIBERTVS FECERVNT.

Sed ad Magistratus quos gessit P. Cornelius Lentulus redeamus. Ex quæstura, anno 531/2 ad Ædilitatem curulem venit, anno 536/7 Prætor peregrinus factus est, anno 539/40 Siciliamque sortitus obtinuit cum duabus legionibus, ex *Livio*, & prorogata illi provincia; cum Syphace Numidarum Rege contra Pœnos ivit, anno 540/1 prorogato iterùm Siciliæ imperio illam tenuit, an. 541/2

XXVIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. in aversa parte Senator in quadrigis triumphalibus, d. regit equos, s. lauri ramum, Victoria per aëra volitans, ei coronam porrigit, L. LENTVLVS L F. L. N.

Is quantum à superiore patris & avi prænominibus distinctus sit, indicant sequentia ab eo diversa, licet ejusdem sint familiæ. Is Lucii F. & Lucii nepos in denario indigitatur. Et Quæsturam peregrinam accepit, an. 535/6 Ædilis curulis factus est, an. 548/9 Proconsul in Hispaniam citeriorem missus, anno 549/50 in qua per plures annos imperium ei prorogatum est. At quùm Romam esset reversus, anno 553/4 res à se fortiter gestas in senatu exposuit, & triumphum postulavit. Res quidem triumpho dignas esse censebat Senatus, sed non se accepisse à majoribus, ut, qui neque Dictator, neque Consul, neque Prætor res gessisset, decurreret tamen eò, ut ovans urbe intraret, ita *Livius.* Sed, ut major denario fides, triumphum egit: nam differt ovatio à triumpho, quod qui ovans ingreditur quadrigis non vectus est, ut fert dena-

denarius, sed pedibus & calceis; alii equo existimarunt. Lentulus anno sequente 554. Consulatum iniit, cum P. Villio Tappulo, & Gallia Provincia ei obtigit.

XXIX.
XXX.

Caput Jani bifrontis barbatum: in aversa parte, CN. LENTVL. Navis. In altero simili, in imo Navis, ROMA.

Cn. Lentulus, qui nummum cudit, videtur fuisse frater L. Lentuli, de quo suprà dictum: nam Lucii F. Lucii N. in *Fastis Capitolinis* perhibetur. Quæsturam militarem accepit, anno 642. sub Tiberio Sempronio Graccho proconsule; cujus caput, ab Annibale amputatum, quùm ejus insidiis ad Calorem fluvium in agris Beneventanis exceptus fuisset, recepit, & in castris funeravit. In Quæstura hos nummos unciales; alterum in castris pro exercitus usu, alterum Romæ, ut erat proxima, percussit. De unciali asse pro librali sæpè dictum est.

XXXI.

Caput Jovis barbatum & laureatum: pone littera S. in altero latere, CN. LENT. Navis.

Ad eumdem Cn. Lentulum spectat semiuncialis ille nummus cum littera S. antiqua assium libralium nota, libram semi indicante: nam, ut sæpiùs à nobis indicatum est, in hoc secundo bello Punico ab anno 635. renovato, urgente tunc Annibale, pro sextantario ex unciis duabus constante, as factus est uncialis, & semi, id est, ex unciæ dimidia parte, signata tamen littera S. ad designandum idem esse monetæ pretium, etiamsi materia esset imminuta. Jupiter Capitolinus pro Jano bifronte modò percussus est, servato tamen Navis typo; ad indicandam à Saturno monetam pro æreo rudi esse repertam.

XXXII.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in aversa parte, CN. LENT. Victoria, d. coronam porrigens trophæo, s. palmam.

Cn. Lentulus è Quæstura militari ad Ædilitatem curulem, quam obtinuit cum fratre L. Lentulo anno, & eam pro absente, quùm esset in Hispania, gessit. Prætor provincialis rexit Sardiniam, an-

no $^{550.}_{1}$ cui prorogatum eſt imperium cum claſſe. Conſul cum P. Ælio Pæto creatus eſt, anno $^{552.}_{3}$ Cornelius obtinuit claſſem, & in Africam tranſeundi poteſtatem, ſi pax cum Pœnis non fieret, quæ hoc anno ſancita eſt. Poſteà Procos. Hiſpaniam citeriorem extra ordinem obtinuit. Anno $^{554.}_{5}$ prorogatum eſt illi imperium, anno 555. quùm autem rediiſſet Romam, anno $^{557.}_{8}$ *Livius* inquit, iiſdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hiſpaniam obtinuerat cum s. c. urbem eſſet ingreſſus, tulit præ ſe auri & argenti copiam maximam: ſed nihil de ejus geſtis, quæ indicat quinarius cum Victoria trophæum coronante; nempe eum hoſtes debellaſſe, ubi illud erexit, qua de re illam ovationem obtinuit, uti referunt *Marmora Capitolina.*

CN. CORNELIVS L. F. L. N. LENTVLVS PROCOS. AN. $^{DLVII.}_{DLVIII.}$ *Varr.*
OVANS EX HISPANIA CITERIORE.....

XXXIII.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in averſa parte, Aquila inſiſtens fulmini, CN. LENTVL.

Forma rudis ejus denarii aurei nobis planè ſuadet, ut illum in Hiſpania citeriore à Cn. Cornelio Proc. ſignatum fuiſſe ex auro, quod Romam in ærarium retuliſſe refert *Livius*, exiſtimemus: præſertim, quùm in eo vox Roma non obſervetur, manifeſtè eum foris, & in provinciis percuſſum eſſe denotans: ſed audiamus *Livium.* Cn. Lentulus, inquit, præ ſe tulit Ro-„ mam ingreſſus, auri mille & quingenta pondo quindecim. Ex „ ea autem tanta auri copia veriſimile eſt aureos denarios conflaſſe Cn. Lentulum, in quo Jupiter tamquam Romani imperii Numen, affabre quidem, ut apparet, expreſſum. Nemo neſcit aquilam Jovis eſſe volucrem, ideò inſiſtit fulmini.

XXXIV.

Caput Martis galeatum: in averſa parte, Victoria in bigis, d. regit equos, ſ. lauream, CN. LENTVL.

Ut ab eodem Cn. Cornelio Lentulo denarium hunc argenteum cuſum opiner, tum Martis imago, pro ſolito Romæ capite, cum bigis in averſa parte denariorum Romanorum ſymbolo, tum ma-

magna argenti copia ex Hiſpania ab eo Romam allata impulit: nam *Livius* inquit; Lentulus tulit argenti viginti millia pon- „ do, ſignati denarios triginta quatuor millia, & quingentos „ quinquaginta. Mars autem credebatur Romuli pater, & ſic urbis conditor & imperii parens, quem magna religione, vario ritu & pompa colebant Romani: nihil mirum igitur ſi Cn. Lentulus in denariis bigatis eum expreſſerit.

XXXV.

Caput Genii Populi ROMANI. pone quod ſceptrum, G. P. R. in averſa parte, CN. LENT. Q. id eſt Quæſtor, ex S. C. ſceptrum, cui corona ex lauro juncta eſt, globus & temo.

Cn. Lentulus in denario nominatus, Quæſtor eſt appellatus, & quod illum ex S. C. percuſſerit, videtur fuiſſe haud dubiè urbanus, ut confirmat ſequens argenteus nummus cum eodem ex utraque parte typo. Inter autem Lentulos prænomine Cneï nullum alium reperimus, quàm eum qui miſſus anno 703/4 cum Q. Cretico & L. Flacco ad Galliæ civitates, ex *Cicerone*, nullis adhuc populi magiſtratibus functus erat. Quæſturam urbanam ſuſcepit, anno 704/5 in qua ex una parte has litteras G. P. R. quæ explanantur *Genius Populi Romani*, cum ejus capite faſcia cincto.

Genius dicebatur Naturæ deus apud Veteres, & qui omnium rerum gignendarum vim habebat; unde cujuſque rei dicebatur ſuus Genius: itaque P. Romanus ſuum veneratus eſt, & pro deo coluit, & ipſi templum extruxit, cujus meminit *Dio*, *lib.* 47. & 50.. Sed in qua fuerit regione, non benè liquet. Apud *Virgilium* loci Genius, ponitur pro deo topico, & per Genium ſolebant jurare: unde *Horatius Ep.* 7. *lib.* 1.

> *Quod te per Genium, dextramque, pioſque Penates*
> *Obſecro, & obteſtor.*

Genio tribuunt ſceptrum, quod illum præſidere faciant Veteres. De averſo illius typo in ſequente denario.

XXXVI.

Caput ejuſdem Genii, LENT. CVR. X. FL. *Lentulus curator denariorum Flandorum.* Idem typus, EX S. C.

Cn Lentulus qui in ſuperiore denario Quæſtor dicitur, in hoc appellatur Curator denariorum flandorum; ad denotandum Quæſtorem urbanum (qui ærarii publici, ubi aſſervabatur pecunia, præfectus erat) cudendæ etiam monetæ curam habere: ita & pecuniæ in provinciis adminiſtratio, ut ejus ſignandæ poteſtas vulgò penes Quæſtores provinciales erat; imò & apud Quæſtores militares, ſed jam ad typi explicationem accedamus.

Per ſceptrum Potentia Romana intelligitur: nam ſceptrum baculus eſt regni inſigne, quo Reges majeſtatis gratia utebantur. Propriè autem Jovis ſceptrum, ab eo ad reges, & principes, & magiſtratus. Globus adeſt, deſignans terram; ut temo mare, ſupra quæ imperium Romanum propagatur. Sed ſceptrum cum corona laurea junctum eſt, ut potentiam ſuam per victorias eſſe ſtabilitam denotarent.

XXXVII.

Caput Concordiæ velatum, AVGVR. in averſa parte, CN. LENTVLVS. Trophæum, ad cujus imum hinc captivus lugens, & illinc alter manibus poſt terga revinctis.

Ut hunc denarium ad eumdem Cn. Lentulum revocemus, ratio temporis ſuadet, & quod nullus ejus prænominis Lentulus trophæum ex tot victoriis erexerit; ſed quùm Cn. Lentulus, de quo in ſuperioribus denariis egimus, fuerit Quæſtor, anno 703/4 & bellum civile exortum ſit, anno 704/5 potuit eſſe Cæſaris legatus, & ejus victorias, ut in ſimilibus Juliæ gentis denariis cum eodem typo viſuntur, exhibere. Cæſarem verò cum Veneris, à qua originem ſe trahere gloriabatur, effigie ſignavit, Cn. Lentulus cum Concordiæ capite; quam ſemper optabat Cæſar, aut ſaltem fingebat. Cn. Lentulus in denario Augur appellatur.

Augur fuit Cn. Cornelius, teſte *Suetonio in Caligula*, conſulatumque geſſit cum M. Licinio Craſſo, anno 740/1 de quo *Tacitus*, *Ann.* 4. „ Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getulis: „ ideò quidam illi tribuunt hunc denarium, ſed filius illius potiùs videtur eſſe, nec hoc tempore nummi argentei, niſi cum effigie Auguſti, ſignabantur, & poſt patrem Auguratum etiam obtinere potuit.

XXXVIII.

XXXVIII.

AVGVSTVS. Caput Augusti, L. LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS. Jupiter stans nudus medio corpore, cum strophio, supra ejus caput astrum. Coronatur à Flamine Martiali, s. innixa clypeo, in quo C. VOT.

L. Cornelius Lentulus in hoc denario Flamen Martialis appellatus, fuit filius L. Lentuli Flaminis Martialis Prætoris, an. 692. cujus meminit *Cicero*, *lib.* 12. *ep.* 8. *ad Atticum*: sed videnda est luxuria cœnæ & diei apud *Macrobium*, *lib.* 2. *Saturn. cap.* 9. qua Flamen Martialis ille pater à C. Julio Cæsare Augure renunciatus est. Ante diem Nonum Kal. Sept. quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit, &c. Filius patri in sacerdotio successit: nam illud erat & patricium, & ex majoribus à Numa institutum, ut *Dionysius* & *Livius* tradunt, sed à Romulo, ut *Plutarchus*, quod Romuli urbis conditoris Mars pater creditus sit: ideò hic Flamen post Dialem secundus.

Typi verò nunc aggredienda venit explanatio. Narrat *Dio*, *lib.* 53. Phraatem Parthorum regem, anno 734. Augusto signa militaria sub Crasso & M. Antonio capta remisisse: quæ ille, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit: quare sacrificia ejus rei causa & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, qua signa militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit. Templo autem Martis posteà confecto, in ejus rei memoriam cusus videtur à L. Lentulo nummus. Ut erat ille Flamen Martialis. Clypeum tenet votivum, quod Augustus templum vovisset, in eo cum signis militaribus appendendum, ut moris erat; quæ omnia nobis argentei nummi Augusti frequentes, in quibus clypeus votivus inter signa militaria visuntur, confirmant. Flamen autem Lentulus Jovem Victorem, signum ob id victoriæ tenentem, coronat, quasi Augustus, teste *Dione*, bello aliquo Parthum vicisset. Astrum, Jovis est supra ejus caput expressum. L. Lentulus Consulatum obtinuit cum M. Valerio Messalino.

XXXIX.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quercea inter duos lauri ramos:

ex

ex averſo latere CN. CORNELIVS LENTVLVS III VIR. AAA. F.F. in area S. C.

Lentulorum ſtirps etiamſi labente ſub Auguſto Republica, ad multos pervenit honores. Sed quùm denarii argentei & aurei eſſent à Cæſare percuſſi, & nummi æroi, licet Senatus decreto cuderentur, tamen Imperatoris effigiem præferebant, ita ut familiarum Romanarum illuſtrium in nummis inter Monetarios non niſi reperiantur. Hic verò exhibet Cn. Cornelium Lentulum, quem nos docet *Dio*, *lib.* 54. Lucii filium fuiſſe, & Conſulatum geſſiſſe cum P. Lentulo Marcellino P. filio, anno 735/6. De corona civica Auguſto, quod cives ſervaſſet, à Senatu decreta, & de lauris ejus domui appenſis, quod eſſet perpetuus hoſtium Victor, ſparſim diximus.

XL.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quercea inter duos lauri ramos: ex averſa parte, P. LENTVLVS CN. F. SCIPIO. cica ambitum, S. C. in area.

Patri ſuccedit filius; Publius autem hic dicitur Cn. filius, & eadem quæ patris cognomina Lentulus & Scipio præfert. Triumvir monetalis Senatus nummum ex ære Senatui conceſſum, ut parens percuſſit, & poſt alios magiſtratus Conſul tandem ſuffectus eſt, ut nos edocet *Onuphrius*, anno 759/60. hac *Inſcriptione* ab illo prolata.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XXX.
IMP. XV. COS. XIII. PATER PATR.
P. LENTVLVS CN. SCIPIO.
T. QVIN CAIVS CRISPINVS VALERIANVS
EX S. C. FACIVNDVM DECREVERVNT,
EIDEMQVE PROBARVNT.

XLI.

OB CIVIS SERVATOS. Corona ex quercu inter duos lauros: ex altera parte, P. CORNELIVS P.F.F. SCIPIO. circa ambitum, S. C. in area.

Hic nummus, tertiæ formæ, P. Cornelium, qui illum cudit, ſuperioris

ſuperioris filium fuiſſe, & pariter Senatus Triumvirum Monetalem, qui videtur fuiſſe ejus temporis primus ad Conſulatum gradus; an ad illum P. Cornelius Lentulus Scipio pervenerit, deſunt *Hiſtoriæ*.

XLII.

Victoria medio corpore cum alis: ex alterâ parte, CN. LENTVL. CLODIAN. Bellerophon in Pegaſo haſtam vibraturus.

Lentulorum ſtirpi adjicitur alter Cn. Lentulus; ſed ex Claudia gente in Corneliam adoptatus, & à quo, non inter ſe conſentiunt recentiores. *Sigonius*, quem ſequitur *Pighius*, à Cn. Lentulo, qui Conſul fuit, anno $^{656}_{7}$ exiſtimat. *Glandorpius* autem à Cn. Lentulo, qui prius conſulatum geſſit cum L. Mummio, anno $^{607}_{8}$. Huic favere videntur denarii ſuperſtites: nam Cn. Lentulus Clodianus adoptionis memor, ut primùm Quæſturam accepit, quidquid illuſtrius in Conſulatu patris geſtum, in denariis renovare voluit. Itaque Achaiæ in provinciam redactæ monumentum per Corinthi urbis exciſionem exhibuit, cujus Bellerophon, Pegaſo inſidens haſtam vibraturus, inſigne erat.

Ille Glauci Corinthi Regis filius, poſtquam illum bibentem ad Pirenem fontem cepiſſet, Chimæra deinde occiſa pro Heroe à Corinthiis ſuis habitus eſt, & inde Pegaſum ejus urbis monetam vocare Pullum notat *Jul. Pollux.* Sed, inquit *Amicus*, Cn. Lentulus non Corinthum, imò ejus collega Mummius excidit. Dum verò ille in Italia ad ſuppetias pro exercitu Romano miniſtrandas diſtineretur, ut M. Aurelius Romæ, quùm Verus in Syria bellum inferret, ejuſdem gloriæ particeps recenſetur.

Intereà ſi litem componere velimus inter illos, qui Cn. Lentulum Conſulem cum L. Gellio Poblicola, anno $^{681}_{2}$ adoptatum ex *Gellio*, de ipſo Gellio conſule loquente, contendunt, his verbis. At Cn. Lentulus Patriciæ gentis collega ejus, cui & co- ,, gnomentum Clodiano fuit, incertum ſtolidior an vanior legem ,, de pecunia, quam Sylla emptoribus bonorum remiſerat, exi- ,, gunda promulgavit. Dicemus hunc & Cn. Clodianum fuiſſe, ſed ſuperioris, & de quo agimus, filium, uti temporis ratio indicare videtur.

XLIII.

Caput Ditis, pone quod uncus ſeu bidens, NERI. Q. VRB. in poſtica parte, L. LENT. C MARC. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, in quorum dexteriore littera H. & in ſiniſteriore, littera P.

Ex adoptatis in Lentulorum ſtirpem, ad alios Lentulos, qui ad Lentulorum diſtinctionem cognomini aliud adjecerunt, tranſimus; inter quos Lucius ille Lentulus, ad quem ſpectant hi denarii & ſequentes, primus extat; nam licet cognomen in illis non ſit expreſſum, tamen apud *Hiſtoriæ Scriptores* appellatur Lentulus Crus ſeu Cruſullus, quod crura haberet parva, & eo tantùm cognomine ab aliis diſtinguitur. Illius denarii jam in Claudia gente prodierunt, cùm utrumque nomen in iis expreſſum ſit, imò & in Neria gente rurſus proferentur, quùm unicus ſit ex ea denarius.

L. Lentulus Publii filius fuit, & Ædilis Curulis factus eſt, anno $^{692.}_{3}$ cum L. Domitio Ahenobarbo, qui magnificentiſſimos ludos, ex *Plinio*, edidit; an communibus impenſis, non ille refert. Deinde Præturam urbanam cum eodem Domitio geſſit, anno $^{695.}_{6}$ Peregrinam verò ſortitus eſt, anno $^{696.}_{7}$ & tandem Conſulatum obtinuit cum Claudio Marcello, anno $^{704.}_{5}$ Nerius tunc Quæſtor urbanus, ut indicat denarii epigraphe in eo duorum Conſulum nomina expreſſit, ut ſe eorum partes, quùm eſſet exortum civile bellum contra Julium Cæſarem, amplecti denotaret. Et ut ideò pro iis delectus militum per totam Italiam fieret, & arma undique imperarentur, in averſa parte legionum ſigna expreſſit. At quùm legio ex Haſtatis, Principibus, & legionariis conſtaret, in priore ſigno littera H. id eſt, *Haſtati*, in altero P. id eſt, *Principes*, & Aquila legionariorum inſigne, in medio ſatis nota, eſt appoſita.

In anteriore parte Ditis, quem Græci Plutonem appellant, caput exhibuiſſe videtur, tamquam divitiarum dominum: nam πλοῦτος, Græcè divitiæ dicuntur, ut Dis, idem ſonat, ut impenſas ad bellum planè neceſſarias penes Senatum Romani orbis arbitrum eſſe demonſtraret.

XLIV.

XLIV.

Caput muliebre, in medio trium femorum, cum tribus ſpicis inter illa adjectis: in altero latere, LENT. MARC. COS. Jupiter barbatus, ſtans, nudus, d. extenſa fulmen, ſ. aquilam gerit: in area falx meſſoria.

Superior denarius L. Lentuli & C. Marcelli conſulum nomina exhibens, Romæ ſaltem ab Urbano Quæſtore percuſſus: ſed hunc cum iiſdem nominibus Conſulum in Sicilia ſignatum denotat Triquetra ejus inſulæ ſymbolum. Nam exortum quùm eſſet hoc anno civile bellum à Julio Cæſare, & ipſe plurimas in Italia urbes occupaſſet, dum Romam contendit, Conſules ex ea aufugere coëgit, quos Brunduſium uſque proſequutus eſt, & poſtquam ex Italia profecti eſſent, Cæſar Brunduſio capto in urbem reverſus eſt.

Conſules in Sicilia denarios ad uſum exercitus ſignari curaviſſe, nos edocent tot nummi in ea cum illorum nominibus percuſſi. Imprimis hic denarius, in quo expreſſum eſt, ut quidam putant, Cereris caput, inſulæ tutelaris deæ, cum tribus ſpicis; ad denotandam illius fertilitatem, ad quam reſpicit falx meſſoria ad eas ſecandas, in altera denarii parte expreſſa. Tria verò femora tria inſulæ promontoria, Pelorum, Pachynum, atque Lilybæum notantia, ejus ſitum & proſpectumd emonſtrant: unde Trinacria eſt appellata, & hoc inſigni uſa eſt.

Jupiter ille barbatus videtur eſſe, qui Olympius Syracuſis, ubi cuſus eſt denarius, eſt appellatus, & cui templum ab Hierone II. Siciliæ Rege, extructum eſt magnificum. Fulmen Jovi contra Gigantes ſuos hoſtes, in Conſulum gratiam exhibetur, quaſi eo eſſet contra Cæſarem auxiliaturus; & aquila additur, quæ illi deo miniſtraret.

XLV.

L. LENT. C. MARC. COS. Caput Jovis Hellanii: in averſa parte Jupiter, ut ſuprà, & pro falce adeſt ara, pone Jovem aſtrum, & in area littera Q. id eſt, Quæſtor.

Idem Jupiter nudus ſtans cum iiſdem Lentuli & Marcelli

Conſulum nominibus non dubitare ſinit, hunc denarium Syracuſis eſſe percuſſum; quod confirmat caput Jovis juvenis, quem Syracuſani ſub nomine Jovis Græcanici: ut ferunt eorum nummi ærei frequentes cum eodem capite, circa quod legitur, ΔΙΟΣ ΕΛΛΑΝΙΟΣ, cujus cultum ex Græcia Ætoli attulere, quùm ex Delo inſula in hanc tranſmigravere; cujus ſimulacrum erat in templo Jovis Capitolini, unum ex tribus in orbe terrarum in hoc genere pulcherrimè factum, quod *Cicero in 6. Verr.* refert à Prætore abſtractum. Hunc Jovem *Cicero* vocat Οὔριον, qui idem forſan eſt ac Οὐράνιος, quem deſignare videtur aſtrum. Ara verò ante Jovem ea videtur eſſe deorum nuncupata, quæ juxta Jovis illius templum extructa fuit: unde è Syracuſis navigaturi aſportabant ſcyphum fictilem, ex quo mel, thus, & aromata in mare projiciebant pro ſecunda navigatione.

XLVI.

Caput Jovis Olympii barbatum: in averſa, L. LENTVLVS C. MARC. COS. Diana polymammia, verubus inſiſtens.

En duo præcipua Syracuſarum numina, Jovis Olympii caput, & Diana polymammia cum L. Lentuli, & C. Marcelli conſulum nominibus, ad arguendum denarium in ſua civitate eſſe percuſſum. De Jove ſuprà dictum eſt, jam de Diana. Ætoli, quùm ex inſula Delo Syracuſas eſſent profecti, à Dianæ, nomine Ortygiæ, ſic ob inſulam Delum vocatæ, Syracuſas primùm Ortygiam appellarunt: ſed eos ſub polymammiæ habitu illam coluiſſe, uti Epheſii venerabantur, nos docet denarius; nam illi ex *Tacito, Ann.* 3. Latonam peperiſſe, apud lucum Ortygiam, urbi ſuæ proximum, Apollinem & Dianam contendebant, & ſic ſine Syracuſanorum & Epheſiorum nummis, illos Dianam ſub polymammiæ figura eſſe veneratos neſciremus.

L. Cornelio & M. Marcello extra ordinem ex Senatuſconſulto decretæ ſunt provinciæ, ſed ob bellum non in eas profecti ſunt: nam Lentulus adfuit pugnæ Pharſalicæ, anno 705. & cum Pompeio ex ea aufugit.

SYRÆ.

SVRÆ.

XLVII.

Caput Jovis Capitolini, P. LENT. SVRA. in averſa parte, Aquila inſiſtens fulmini, Q. HORTENSIVS AED. CVR.

P. Lentulus Sura in denario ſcriptus, P. Lentuli Suræ, ſub conſulatu Ciceronis, anno $^{690.}_{1}$ in carcere cum aliis conjuratis necati, filius fuiſſe videtur. Ædilis curulis perhibetur cum Q. Hortenſio, quem magiſtratum ſimul inierunt, anno $^{708.}_{9}$ Caput Jovis Capitolini, & aquila fulmini inſiſtens huic deo ſacra, illos Ædiles hoc anno ludos Capitolinos celebraſſe denotant. Hi autem in honorem Jovis Capitolini pro ſervato Capitolio ab hoſtibus Gallis Senonibus, ex Camilli Dictatoris ad Senatum relatione inſtituti ſunt, apud *Livium*. ſed ſæpe interrupti, hoc anno forſan à Julio Cæſare reſtituti. P Lentulus Sura, poſt Ædilitatem Prætor factus, Siciliam ſortitus eſt, anno $^{709.}_{10}$

Plutarchus Suræ cognomen ejus patri inditum narrat, quùm ſub Sylla Dictatore Quæſtor urbanus publicam pecuniam dilapidaſſet gnaviter, cujus rationem Syllæ juſſu reddere cogeretur: ita eum ait reſpondiſſe ridiculè: rationes non reddere, ſed Suram præbere poſſum, ut pueri ſolent, qui in ludo ſphæræ peccaſſent. Sed antiquius id Lentulorum cognomen apud *Livium*, *lib.* 22. reperitur ab anno $^{536.}_{7}$ quod ex *Cicerone* & ex *Aſconio* confirmatur.

XLVIII.

LEIBERTAS C. CASSI. IMP. Caput Libertatis: in averſa parte, LENTVLVS SPINT. Præfericulum & lituus.

In gente Caſſia hi duo denarii prodierunt, & nunc in Cornelia redeunt; ſi quidem Lentulus eſt Corneliæ familiæ cognomen, ut & Spinther pro Lentulis inter ſe dignoſcendis inditum; nempe ab hiſtrione, cui erat ſimillimus is, qui primus illud tulit, ut *Valerius Maximus* & *Plinius* referunt. Hujus autem cognominis duo Lentuli apud *Hiſtoriæ Scriptores* reperiuntur pater & filius; ſed ad patrem prænomine Publium pertinent denarii, qui Publii filius in *Faſtis* perhibetur. *Urſinus* verò ex nummis Lucii filium fuiſſe profert, ſed hos non vidimus. Ædilis curulis fuit, an-

no $^{690}_{1}$ Prætor urbanus, anno $^{693}_{4}$ in utroque munere ludos magnificentissimos edidit, & *Plinius* illum amphoras ex onyche, Chiorum magnitudine cadorum, primum ostendisse narrat. Prætor provincialis Hispaniam citeriorem sortitus est, anno $^{694}_{5}$ & tandem Consulatum obtinuit cum Q. Cæcilio Metello nepote, anno $^{696}_{7}$ Procos. Ciliciam & Cyprum, anno $^{698}_{9}$ ubi res prosperè gessit, & in provincia remansit per tres annos, triumphumque egit de Cilicia, anno $^{702}_{3}$ uti nos docent *Marmora Capitolina*.

P. CORNELIVS P. F. IIII. N. LENTVLVS SPINTHER. AN. DCCII. PROCOS. EX CILICIA.

Spinther in bello civili, inter Cæsarem & Pompeium exorto, Puteolos in villam suam abiit, & ab eo abstinuit: sed quùm Julius Cæsar à conjuratis fuisset occisus, quamvis facinoris conscius non esset, tamen cupiens videri gloriæ particeps, se cum aliis immiscuit, & extra ordinem Proquæstore & Proprætore missus à Senatu in Asiam, ad vectigalia in potestatem redigenda, cogendas pecunias, & provinciam præsidiis firmandam, & omnia quæ potuit, Reipublicæ & Cassio tradidit, ejusque nomine, quùm Imperator est appellatus, denarios signavit.

XLIX.

Eadem epigraphe, & Libertatis caput idem, sed velatum: Præfericulum & lituus etiam in aversa parte.

Conjurati in plerisque, quos signabant, denariis Libertatis caput exhibebant, ut se ad tyrannidem, à Julio Cæsare occupatam, delendam arma tantùm sumpsisse denotarent, quam pro tessera in vexillis posuerunt. Lentulus verò Spinther, ut sacerdotalem suam dignitatem ostenderet, præfericulum & lituum ejus insignia denariis suis expressit. Quod verò sacerdotium per Julium Cæsarem obtinuisse fatetur *Dio, lib.* 1. *de Bello Civili.* dum Cæsaris „ in se beneficia exponit, quæ erant maxima: quod per eum in „ Collegium Pontificum venerat, nam Cæsar erat Pontifex Maximus, & provinciam Hispaniam ex Prætura habuerat, quod in petitione Consulatus ab eo erat sublevatus. Cæsar autem se etiam P. Romanum in libertatem vindicare prætexerat: imò *Dio* refert, *l.* 44. post pugnam Pharsalicam Romanos in illius gratiam publico de-

creto

creto Libertatis templum construxisse: itaque omnes pro libertate se decertare profitebantur.

L.

BRVTVS. Secespita, capeduncula, & culter: in aversa parte, simpulum & lituus, LENTVLVS SPINT.

Nomen Bruti in hoc denario expressum, denotat Lentulum Spintherem non fuisse Cassii Quæstorem, nec legatum, ut *Plurimi* existimant, sed Proquæstore & Proprætore Senatus in Asia; & sic pro Reipublicæ exercitus usu, modò pro Bruto, modò pro Cassio illius ducibus, quùm ei Senatus decreto provincia fuerat prorogata, & ipsis Proconsulatus etiam prorogatus, denarios percussit. In utroque latere sacerdotii insignia sunt expressa. Alii Bruti sacerdotium in priore, & in altero Lentuli Pontificatum denotare existimant. Secespita, quam alii securim æneam dicunt, est culter ferreus oblongus, manubrio eburneo, rotundo, vincto ad capulum, quo Pontifices ad sacrificia utebantur, secespita autem à secando dicta. Capeduncula est urnula fictilis poculi genus, à capiendo appellata; quas Numa ad sacrificia invenit, de quibus *Cicero in Paradoxis.* Minusne gratas diis immortalibus, jure pontificio & more majorum, capedines, capedunculis quas Numa nobis reliquit. Culter erat ferreus, quo Sacerdos viscera hostiæ rimabatur, & ministri eam jugulabant. Simpulum à sumendo dictum, vas erat parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur. Lituus erat baculus sine nodo à summo inflexus in parte, & recurvus, quo cæli regiones describebant & designabant Augures.

LI.

AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti: in aversa parte, LENTVLVS SPINT. Præfericulum & lituus.

Caput, & potius Augusti nomen, hunc denarium ad Lentulum Spintherem Publii Consularis & Triumphalis filium pertinere nos edocet. Cæsar enim Divi filius id nomen anno $\frac{726}{7}$ tantum recepit, de quo *Dio, lib.* 53. Quùm statuissent peculiari eum quo- „ dam cognomento insignire, ac alii alia referrent ac probarent; „

Cæsar

„ Cæſar, quamvis Romuli nomen vehementer appetebat, tamen „ quùm ſentiret hinc ſe ſuſpectum affectati regni fieri, eo omiſſo, „ Auguſtus, quaſi hominis natura amplior ipſe, cognominatus eſt. Lentulus Spinther videtur ab Auguſto Triumvir Monetalis factus, licet dignitatem non ſcripſerit, & denarios cum illius facie, uti moris tunc erat, ſignavit.

In altera parte præfericulum & lituum, ut pater, in iis exhibuit, ad denotandum ſe Publii ſui parentis inſtar ſacerdotium eſſe conſequutum, de quo audiendus eſt *Dio*, *lib.* 39. Lex quædam „ apertè prohibebat, ne duo quidam ex una gente idem ſacer- „ dotium haberent. Spinther autem conſul filium ſuum Corne- „ lium Spintherem inter Pontifices referre cupiens, quùm in „ eum ordinem, jam antè Fauſtum Syllæ filium, qui ex gente „ itidem Cornelia erat, adſcriptum videret, ſuum filium in Man- „ lii Torquati genus adoptandum dedit: eoque modo ſuis in ver- „ bis ſervata lex, re tamen ipſa violata fuit. Sed nullum adoptionis ſignum in ejus denario apparet. Præfericulum, ut lituus, ſacerdotii inſignia ſunt; & licet Auguris præcipuum ſit ſymbolum, tamen in Pontificum nummis promiſcuè exhibetur.

BLASIONES.

LII.

Caput Martis galeatum & imberbe, pone quod tripus parvus, CN. BLASIO CN. F. in averſa parte Bacchus nudus cum ſtrophio ſupra brachium lævum, d. thyrſum inverſum, ſ. ramum cinnamomi, à dextris mulier thyrſum & ſtolam ſuſtinet, à ſiniſtris Roma galeata, inter palmæ ramum & cornucopiæ, Baccho coronam ex hedera & corymbis porrigit, s. palmam, in imo ROMA.

Poſt Cornelios illuſtres Patricios ad minus claros, qui propter paucos conſulares viros, non ita nobiles ſunt, licet patricii, divertamur, & à Blaſionibus inchoemus; quorum cognomen primus tulit, à lingua blæſa, ut auguratur *Sigonius de Nom. Rom.* Qui verò denarium cudit, ille fuit Cneius Blaſio, filius Cn. Blaſionis Conſularis & Triumphalis. *Urſinus* illum ſignaſſe in patris ſui memoriam, qui anno 483/4 de Saſſinatibus Umbriæ populis triumphavit; & cujus victoriæ monumentum in altera denarii expreſ-
ſum

ſum eſt, refert : ſed hæc parum certa eſſe videntur.

Primùm quod figura in medio aliarum poſita quæ coronatur à Roma, non ad Romanum virum, qui nec toga, vel militari habitu ornatus eſt, pertinere nequit; ſed nuda eſt, & ad deum quemdam ſpectat. Quidam Jovem eſſe exiſtimarunt, & ei haſtam in dextra, & fulmen in ſiniſtra collocant, ob tres velut cuſpides quas ei ſculptor expreſſit, pro quinque ramulis in unum deſinentibus : nam ſi fulmen eſſet, pars inferior deſideraretur, ſed in denariis rectè conſervatis ramus facilè obſervatur, & quidem cinnamomi, cujus frutex, inquit *Dioſcorides*, *lib.* 1. arido ſimilis eſt, uti conſpicitur; ſecundò quod Jupiter, quando nudus depingitur, non ei ſtrophium ſupra brachium adjicitur : ſed Bacchus eſt, hac fere ſemper zonula inſignis, & totus denarius ad Liberalia ſpectat, de quibus ita *Cicero* inquit *ad Cornific. lib.* 12. Liberalibus litteras accepi tuas. „

Liberalia erant Liberi feſta eadem, quæ Agonia putant. *Varro* autem in *Saliorum libro*, quorum cognomen Agonenſium, hunc diem Agonia nominari refert; quia fiebant ſacrificia in monte, qui Agon dicebatur; unde mons Quirinalis dictus Agonalis eſt, & Salii in hoc monte ſacrarium tenebant; & quùm hic mons tres haberet colles, Salutarem, Martialem & Latiarem. Martialis verò dictus videtur, quod Salii eſſent Martis ſacerdotes. Id confirmat *Mazurius*, *lib.* 2. *Faſtor.* qui hunc diem à Pontificibus Agonium Martiale appellari ſcribit. Sed *Macrobius*, *Saturn.* 1. *cap.* 19. Martem ac Liberum unum eumdemque „ eſſe deum narrat : unde Romani utrumque patris appellatione „ venerantur, alterum Liberum patrem, alterum Marſpitrem, id „ eſt, Martem patrem cognominantes. Qua de re Blaſio hinc „ Martis caput, cum tripode ob ſacrificium illi factum, & inde Bacchum cum Liberaliorum feſtorum attributis, in hoc denario expreſſit.

Bacchus igitur in medio eſt, d. inverſum tenet thyrſum, cujus mucro latior in imo facile conſpicitur, ſ. cinnamomi aridi fruticem gerit, de quo *Ovidius*,

Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti.

Baccho Roma galeata porrigit coronam hederaceam, cujus corymbi per totum ejus circuitum erumpentes perſpicuè conſpi-

ciuntur, quæ corona huic deo peculiaris eſt, qua illi gratulatur in memoriam ejus, quam magiſtratus hac die feſta ejus capiti imponebat. Stat illa inter palmæ ramum, ſeu ob Martem, qui illi victorias impertitur; & inter cornucopiæ, ſeu ob Bacchum, qui illi abundantiam ſuppeditat. Adeſt à dextris Bacchi mulier ſtolata, quæ forſan Anum illam repræſentat, de qua ſic narrat *Varro, lib.* 5. „ Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo „ die ſedent ſacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libæis & foculo pro emptore ſacrificantes; ideò mulier illa etiam thyrſum gerit.

Feſta illa Romana, feriæ erant publicæ, quas Prætores indicabant; eas autem ſingulis menſibus proclamabat unus ex iis, & hoc die à forenſibus negotiis vacatio erat. Quæ Liberi feſta indicaſſe Cn. Blaſionem ut Prætorem urbanum demonſtrant ejus denarii, in quorum memoriam plurima ad illa ſpectantia, ut expoſuimus, in iis exprimere voluit.

LIII.

Caput Jani bifrontis barbatum, ROMA. in averſa parte, CN. BLASIO CN. F. Victoria, ſ. palmam, d. coronam imponit trophæo.

Cn. Blaſio Cn. filius, ubi primùm Quæſturam adeptus eſt urbanam, anno 510./1 ſextantarios ex duabus unciis cudi curavit, in quibus ad memoriam victoriæ patris de Saſſinatibus Umbriæ populis revocandam, victoriam trophæo coronam, ubi eam de iis retulit, imponentem expreſſit. *Columnæ Capitolinæ* ejus triumphum memorant.

CN. CORNELIVS L. F. CN. N. BLASIO. AN. CCCCXCIII. / CCCCXCIIII. *Varr.*
COS. DE SASSINATIBVS....

Ex Urbana Quæſtura, Peregrinam ſortitus eſt Blaſio, anno 511./2 & ita Siciliam Proquæſtore rexit per tres annos. Ædiliſque factus eſt Curulis, anno 516./7 Præturam Urbanam obtinuiſſe videtur, anno 519./20

LIV.

LIV.

Caput Jani bifrontis barbatum : in averſo latere, C. BLASIO. Navis cum nota I.

C. Blaſio Cn. filius, aut ſuperioris filius, vel nepos fuit; & Quæſturam provincialem accepit, anno $^{556.}_{7}$ in qua hunc aſſem, ad unciam bello Punico ſecundo redactum, ut ſparſim diximus, cum ſolito Jani bifrontis ex anteriore, & navis in poſteriore parte ſymbolo percuſſit. In Quæſtura autem provinciali triennio remanſit, poſtquam Præturam accepit, anno $^{559.}_{60}$ & Siciliam cum vetere exercitu ſortitus obtinuit, ex *Livio*.

LV.

Caput Jani bifrontis barbatum: in averſa parte, P. BLAS. Navis cum nota I.

Publius ille Cornelius Blaſio ex altera Blaſionum ſtirpe fuit; nam Lucii filius & Lucii nepos indigitatur; & Quæſturam provincialem ſuſcepit, anno $^{578.}_{9}$ in qua hunc uncialem aſſem, cum ſolito Jani ex una parte, & navis ex altera, ſymbolo, ſignavit.

LVI.

Caput Herculis, pelle leonina amictum : ex altera parte, P. BLAS. Navis, in imo ROMA.

Nummus iſte uncialis cum voce ROMA, ab eodem Publ. Blaſione Romæ cuſum fuiſſe arguit; eadem epigraphe Præturam urbanam, an. $^{578.}_{9}$ illum obtinuiſſe nos edocet. Hoc tempore evenit, ut non ſolùm cum Jani capite, aut cum Jovis Capitolini effigie, ſed etiam cum Herculis, Quæſtores modo aſſes ſignarent ex uncia. Sed monetæ æreæ non ut argenteæ poſt bellum Punicum ſecundum : nam hæ ad ſolitum pretium, nempe denarii ex ſedecim aſſibus ad decem reverſi ſunt, & as factus libralis, ad ſextantarium pondus non rediit.

Quùm Carni & Hiſtri Japidumque legati Romam veniſſent, an. $^{583.}_{4}$ de Caſſio Proconſule querentes, ex *Livio*, C. Lælius, P. Cornelius Blaſio, & T. Memmius hac de re inquirendi causâ ſunt à Se-

natu missi. Idem Quinquevir posteà anno 585/6. qui de finibus inter Pisanos & Lucenses cognosceret, & statueret, à Senatu iterùm missus est, *Livius, Dec. 5. lib. 5.*

CINÆ.

LVII.

Caput Jani bifrontis barbatum: in aversa parte, CINA. Navis.

Cornelios Blasiones sequuntur Cinnæ, à civitate Cinna, ut est apud *Plinium*, in Hispania, potiùs quàm ab altera ejus nominis in Thessalia urbe, ut auguratur *Glandorpius*, dicti videntur: nam primis temporibus bella in illa provincia fuere à Romanis frequentiora quàm in Macedonia gesta. CINA in hoc denario scriptum est, qua ratione SISENA & SVLA, in hac Corneliorum gente, ut infrà videbimus; quod *Ursinus* observavit ex *Quintiliano*, scilicet, quod semivocales non geminare usitatissimi moris fuerit.

Hic æreus nummus ex sextantario, nempe unciarum duarum pondere, ad L. Cinnam L. Cinnæ Consulis patrem pertinere auguramur, qui eum in Quæstura cum Jano bifronte, ex altera parte, navi, solito Romanorum assium symbolo percussit: quùm as libralis primo bello Punico quo signatus est ad sextantarium esset reductus.

LVIII.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum nota S. ex altera parte, CINA, & eadem S. cum navi.

Ut L. Cinna superiorem assem ex duabus unciis, ita semilibram percussit uncialem cum nota S. ad semi assem arguendum. Hisce autem primis temporibus Janus bifrons solitus erat monetæ æreæ symbolum, cum navi ex altera parte; quod Saturnus nave in Italiam advectus, signandæ pecuniæ modum docuerat, & qui in regni consortium ob id à Jano adscitus fuerat: ideò utriusque caput in moneta percussum est, & posteà geminatum caput soli Jano adscriptum; navis autem Saturno relicta est.

LIX.

Caput Romæ galeatum cum quatuor globulis : in averſa parte Navis, in vertice CINA. in imo ROMA, ad latera quatuor etiam globuli.

Pondus hujus nummi ærei, etſi non reſpondet unciis, pro quibus primis temporibus ſignatus erat, nummi tamen pretium denotat antiquum, quare ſuadet, ut ad Lucium Cinnæ ſuperioris filium illum adjudicemus. Imminuta illa moneta, nempe aſſe ex duabus unciis ad unam reducto, ſecundo bello Punico, Annibale urgente, quo percuſſus videtur ille, Triens dicitur, de quo ait *Juvenalis Satyr.* 7.

Non habet infelix quem porrigat ore trientem.

Temporum ſucceſſu multis modis variarunt nummorum ſuorum typos Romani, ex arbitrio nempe eorum qui pecuniam cudebant: nam pro Jano, Jovem ſubſtituerunt, & tandem, ut in denariis argenteis, Romæ caput ut plurimùm ſignabant, ſic in minutis æreis exhibere cœperunt.

L. Cinna L. filius Quæſturam provincialem accepit, an. $^{613.}_{4}$ Ædilitatem Curulem, an. $^{618.}_{9}$ Præturam urbanam, an. $^{621.}_{2}$ Peregrinam, an. $^{622.}_{3}$ & tandem Conſulatum cum L. Caſſio Longino, an. $^{626.}_{7}$

LX.

Caput Jovis Capitolini ſub quo fulmen, in area EX S. C. in averſa parte, CINNA COS ITER. Conſul togatus ſtans, inter duas faſces.

Denarius ad L. Cinnam ſuperioris filium & alterius, de quo antè, nepotem ſpectat. Is Quæſturam peregrinam aſſumpſit, an. $^{653.}_{4}$ Ædilis Curulis factus eſt, an. $^{657.}_{8}$ Præturam urbanam $^{659.}_{60}$ Peregrinam $^{660.}_{1}$ quæ prorogata illi eſt per biennium; licet Marianæ factionis dux, per Syllam populum placare cupientem factus eſt Conſul cum Cn. Octavio, an. $^{666.}_{7}$ ſed abdicare coactus : quare iratus Romam cepit, & innumeram civium ſtragem, & ſe cum Mario ſine Comitiis Conſulem fecit in annum ſequentem, anno $^{66[illegible].}$

ſed Mario Idibus Januar. defunćto, ei ſuffecit L. Valerium Flaccum. Et licèt Conſulatum repetere anno ſequente, quo conſul quis fuerat, illud auſus fuerat, ideò ſolus quaſi urbis dominus in denario cum epigraphe COS. ITER. depingitur, inter duas faſces, quùm illi duodecim haberent, & ſex tantùm Prætores, ut & Proconſules.

Cinna Conſulatum ſubſequentem, nempe tertium uſurpavit, an. 668/9. & Cn. Carbonem ſibi collegam aſſumpſit, imò & quartùm conſulatum cum eodem Carbone ſe nominavit: ſed quùm in Aſiam contra Syllam bellum gerere deſtinaret, Anconæ à ſuis eſt interfectus.

LXI.

CAESARI AVGVSTO. Caput Auguſti, ex altera parte, CN. CINNA MAGNVS III VIR. Cippus in quo, S. P. Q. R. IMP. CAES. QVOD V. M. S. EX EA. P. Q. IS AD. A. DE. id eſt. *Quod viæ munitæ ſint ex ea pecunia, quam* IS *ad ærarium detulit.*

Cn. Cornelius Lucii F. adhæſit Lepido, & poſt ejus mortem, quùm fugiſſet ad Q. Sertorium Julii Cæſaris potentia cui cognatione junćtus erat, nam hic ejus amitam duxerat uxorem Cinnæ ſuperioris filiam, per legem Plotiam eum patriæ reſtituit. Lucium ſuperiorem habuit avum, & ex matre Pompeia, habuit etiam Pompeium Magnum pro avo, ex quo Magni nomen ei inditum eſt, poſt Cnei & Sexti patruorum nempe mortem.

Ab Auguſto factus eſt Triumvir Monetalis, an. 727/8. & quùm ille vias vidiſſet extra urbem aliquamdiu neglectas, Flaminiam ipſe procuravit, inquit *Dio*, *lib.* 53. Hic autem denarius ex eà pecunia, quam is in ærarium detulerat, illas reſtauraſſe nos edocet: qua de re addit ipſe *Dio*, ſtatuæ Auguſto in fornicibus tam in ponte Tiberino, quàm Arimini poſitæ ſunt; & nummus eas impenſas in cippis forſan milliaribus inſcriptas, nobis denotat, & Cinna impreſſit, ut alter ejus anni Triumvir Monetalis L. Vinucius idem excudit, imò & triumphalem arcum ob vias munitas Auguſto erectum in illo demonſtrat.

Cinna tamen inſidiarum Auguſto poſteà paratarum præcipuus fuit autor, quas quùm Auguſtus detexiſſet, & Liviæ uxoris clementiam ſuadentis conſilium ſequutus, non modò omnes dimiſit indemnes, ſed Cinna Conſule deſignato ſibi amicum devinxit fidum,

&

& nullæ posteà insidiæ illi sunt compositæ. Cinna itaque Consulatum cùm L. Valerio Messala iniit, anno 757/8.

DOLABELLÆ.

LXII.

LEIBERTAS. Caput Libertatis deæ: ex altera parte, L. DOLABELLA PROCOS. Libertas ipsa, d. elata pileum Libertatis tenens, s. equorum habenas, in quadrigis triumphalibus.

Ad Cornelios cognomine Dolabellas pervenimus. Dolabella verò diminutivum est Dolabræ instrumenti ferrei, quo lignum lævigatur. Inter denarios ejus familiæ nobis superstites antiquior occurrit, qui L. Dolabellæ prænomen habet alterius Lucii filius, & Lucii Duumviri navalis, an. 573/4. nepos. Ille Quæsturam provincialem suscepit anno 645/6 Ædilitatem curulem, anno 651/2. Præturam urbanam, an. 653/4. Militarem in Hispan. Ulter. an. 654/5. ex qua triumphavit, ut colligere est ex *Jul. Obsequente*, qui in Lusitania prosperè à Romanis pugnatum, & in eadem provincia rebelles subactos fuisse, scribit. Ita verò reperitur in *Fragmentis Capitolinis*.

L. CORNELIVS L. F. L. N. DOLABELLA PROCOS. A. DCLV. DCLVI. *Varr.*
EX HISPANIA VLTERIOR. DE LVSITAN. V. KAL. FEBR.

Hic verò L. Cornelii Dolabellæ denarius cum triumphali curru equorum lento gressu gradientium, in ejus memoriam percussus est; sed quùm rebelles vicisset, & eos in servitutem non redegisset, Libertatis caput ex una parte, & ex altera in triumphali denario, ut aliquando Jovem, cujus auxilio se victoriam retulisse profitebantur, & modò Neptunum, dum res in mari acta erat, aut populi quos debellarant, littorales erant, sic Libertatem ipsam pileum demonstrantem exhibuit, ut se rebelles non in servitutem redegisse, sed iis libertatem concessisse, palàm demonstraret.

LXIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod corona ex lauro, & in imo, ROMA: in postica parte togatus in quadrigis triumphalibus, d. habenas equorum, s. scipionem eburneum, CN. DOLABEL. L. F. PR. COS.

Cn.

Cn. Dolabella in denario Lucii filius appellatus, patrem habuit illum quem suprà de Lusitanis triumphasse diximus; & ubi mox Quæstor urbanus factus est, anno 667/8 iterùm L. Lucii patris denarios triumphales percussit. At quia Libertatis caput, & ex altera Libertatem ipsam in quadrigis triumphalibus expresserat, ille Romæ imaginem ex una parte, & patrem Prætorium cum proconsulari imperio triumphantem in ipsis quadrigis cum scipionis eburneo Proconsulum insigni exhibuit.

Ex Quæstura urbana factus est Ædilis curulis anno 669/70. Præturam verò urbanam obtinuit, anno 672/3. qui jus Quinctio dixit, postulante Nævio ex *Cicer. Orat. pro Quinctio.* Provinciam sortitus Ciliciam obtinuit, anno 674/5. P. Servilio successor & Verrem habuit Quæstorem. Redux è provincia, anno 675/6. repetundarum ab adolescente M. Æmilio Scauro accusatus, quùm Achaiam, Asiam, Pamphyliam, omnesque quas attigerat provincias, plurimis oneribus impositis vexasset, condemnatus est, & in exilium missus.

LXIV.

P. DOLABELLA. Caput ipsius Dolabellæ: in aversa parte, C. TREBON. L. SEST. P. F. Tripus, supra quem laurea, in corona ex lauro composita.

Publius ille Cornelius Dolabella Publii filius, Ciceronis gener fuit. Tulliola ejus filia vidua in uxorem ducta, & Julii Cæsaris partium ex Dalmatia ab Octavio & Scribonio Libone pulsus est, anno 704. Quæstor provincialis factus fuerat, anno 701/2. Quùm esset magno ære alieno obrutus, à patriciis transivit ad plebem, ut Tribunus plebis fieret, quo facto anno 706. legem de ære scindendo alieno tulit. Unde seditio Romæ excitata, ei Cæsar ignovit, & Consulem eum in locum suum designavit, an. 709/10. quùm nec esset Prætorius, nec 25. annos attigisset, ut refert *Appianus*. Sed renitente M. Antonio, tunc Julii Cæsaris collega consulatum non obtinuit, nisi post hujus cædem. Et in fine anni Senatus Dolabellæ Syriam decrevit, C. Trebonio in hoc denario laudato, Asiam prorogavit.

Lentè in provinciam abiit, nam iter fecit per Macedoniam & Thraciam, dum res Romæ ob Cæsaris cædem turbabantur in dies, annoque fere circumacto in Asiam venit, in qua Trebonius

nius Præturam finiebat. Ibi commoratus, ut de Senatuſconſulto, teſte *Dione*, *lib.* 47. ei annuntiatum eſt. Trebonius Dolabellæ benevolentiam ita teſtatus (forſan quod Senatus & non Cæſaris partibus ſtudere fingeret) ut ejus militibus alimenta ultro daret, & cum eo citra omnem metum convictum haberet. Ad quam indicandam concordiam L. Seſtius Quæſtor Trebonii denarium cum effigie Dolabellæ ab una parte, & nomen C. Trebonii Proconſulis ab altera percuſſit. Et tripus videtur in eo cuſus, quod ſimul ſacra feciſſent ad victoriam de hoſtibus obtinendam, ut denotare videtur laurea. Sed *Dio* Dolabellæ perfidiam oſtendens, addit, Quam ad confidentiam, poſtquam Trebonius devenit, „ ac nulla ſui ipſius cuſtodia uſus eſt, Smyrnam, ibi enim „ degebant, repente noctu Dolabella occupavit, Trebonium in- „ terfecit, ejuſque caput ad Cæſaris ſtatuam projecit. Omni ipſe „ Aſia deinde potitus eſt.

Hæc quùm Romani in urbe audiviſſent, Dolabellam hoſtem judicaverunt, & Caſſius in Syria eum poſt Apameæ obſeſſum ad ſeipſum interficiendum coëgit.

LXV.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. In corona quercea: in parte poſtica, P. CORNELIVS DOLABELLA III VIR. AAA. FF. circa ambitum, S. C. in area.

Patrem ſequitur filius, ſi noſtra conjectura verà eſt, pater mortuus eſt anno $\frac{710}{1}$. ut ſuprà diximus, ille verò factus Triumvir Monetalis Senatus, ad conſulatum pervenit, anno $\frac{742}{3}$. cum Junio Silano. In *Dionis* Indice appellatur P. F. quod noſtram conjecturam auget, nam prioris filium id indicat certo fuiſſe. De corona quercea Auguſto à Senatu decreta quotannis loquitur idem *Dio*, quam ideò Senatus Monetales quotannis cudebant in nummis.

LXVI.

TI. CAE. DIVI AVG. F. AVGVST. COS. IIII. Caput Tiberii Imp. PERMISSV DOLABELLAE PROCOS.... Livia velata, ſedens, d. pateram.

Hic Dolabella, cujus permiſſu urbs quædam vel potiùs Colonia in Africa, ubi erat Proconſul, videtur fuiſſe ſuperioris filius,

lius, & ejus, qui ſe Apameæ occidit, nepos: ut temporis ratio id etiam confirmare videtur, ſed non per eoſdem gradus ſub Cæſaribus nempe per Quæſturam, Ædilitatem Curulem & Præturam, Romani ut ſtante Republica, ad conſulatum perveniebant, ſed illi ad eum, uti placebat, admovebant. *Vetus inſcriptio* Jaderæ reperta apud *Sponium* nos docet eum Tiberii legatum Proprætore fuiſſe in Dalmatia, anno 772.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F.
AVGVSTVS T. IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XX. COS. III.
DESIGNAT. IIII LEG. XI.
P. CORNELIO DOLABELLA.
LEG. PROPR.

Junio Blæſo deinde ſucceſſor in Africæ provinciæ adminiſtratione ab eodem Tiberio datus eſt, an. 675/7. ut ex his *Taciti* verbis colligimus. „ Quia Cæſar poſt res à Blæſo geſtas, quaſi jam „ nullis in Africa hoſtibus, reportari nonam legionem juſſerat, „ nec Proconſul ejus anni P. Dolabella retinere auſus eſt.

Nummus nos docet colonias & municipia monetam non cudere poſſe, niſi ipſis facultas à Cæſare aut ipſo Proconſule data ſit, unde P. Dolabellæ permiſſu in eo legitur, ut in hoc tractu ſuprà in gente Apronia jam obſervavimus. Figura ſedens videtur eſſe Livia Tiberii mater in ejus nummo expreſſa, forſan ut narrat *Dio*, *lib.* 57. Quin etiam epiſtolis Tiberii, nomen matris „ aliquamdiu adſcriptum fuit, litteræque ad Tiberium datæ, Li„ viæ etiam inſcribebantur.

MERVLÆ.

LXVII.

Caput Fidei, EX S. C. ex averſa parte in imo, L. MERVLA L F. circa ambitum, P. VILLIVS TI. F. TI. N. TAPPVLVS. Sella Curulis, ſupra quam corona erecta.

Cognomen Merulæ eſt gentis Corneliæ, quod ab aliqua Merulæ avis occaſione deſumptum videtur. Hic verò Lucius & Lucii filius in denario, ut in *Faſtis* perhibetur, & primus inter magiſtra-

giſtratus Romanos ex illa ſtirpe numeratus Quæſturam Provincialem accepit, an. $^{546.}_{7}$ & poſteà Præturam urbanam obtinuit, in qua de obſidibus Pœnorum liberandis, & pluribus occupandis urbibus conſilia per indices ſervos comperta, ad Senatum retulit. Mox ille ad conjurationem detegendam & opprimendam ex s. c. miſſus eſt; acceptiſque quinque legatis abiit, & feliciter re detecta, de improviſo reos caſtigavit, & obſides arctiori cuſtodia retinuit.

Senatus in timore ut & civitas, audita proſpera L. Merulæ expeditione, ſacra diis fecit, & in Prætoris honorem ex s. c. denarios cudi curavit; in quibus Sella curulis, Prætoris inſigne, ſub qua nomen Prætoris poſitum eſt, & in æternam rei memoriam circa ambitum Conſulis nomen eſt inſcriptum. Sed apud *Livium* Tappuli conſulatus aſſignatur, anno $^{554.}_{5}$ & Prætura illa Merulæ uno anno ſeriùs, $^{555.}_{6}$ quùm eodem geſtum id referant denarii. Corona ſupra Sellam Curulem videtur illa quam Prætor forſan voverat Fidei in anteriore parte depictæ. L. Merula Conſulatum iniit cum.....

SISENNÆ.

LXVIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod SISENA. & antè ROMA: in averſo latere Jupiter in quadrigis decurrentibus, d. fulmen, ſ. ſceptrum & habenas: in vertice caput Solis radiati & Lunæ bicornis cum ſtella pone Jovem: in imo ſub equorum pedibus, Triton d. navim, ſ. ſupra caput, cauda biſulca, CN. CORNEL. L. F.

Valdè erat utilis in Lentulis dignoſcendis tot cognominum varietas. Quis enim Cn. Lentulum L. filium ab aliis diſtinxiſſet, niſi illi Siſennæ cognomen eſſet additum? Illo autem ſcimus Cn. Cornelium Siſennam provincialem Quæſturam accepiſſe, an. $^{616.}_{7}$ Ædilitatem curulem, an. $^{620}_{1}$. Præturam urbanam, anno $^{623.}_{4}$ in qua denarium percuſſit cum ſymbolis ſolitis, nempe in anteriore parte caput Romæ galeatum, & ex averſa Jovem cum fulmine & ſceptro in quadrigis currentibus: unde illi denarii vocabantur vulgò quadrigati.

At quùm eſſet in uſu apud Romanos, præclaræ alicujus rei memoria magiſtratum quemque ſuum celebrare, atque eam in nummorum monumentis expreſſam, poſteritati relinquere. Cn. Si-

ſenna per caput Apollinis radiatum, & Lunam bicornem cum ſtella, ſe ludos Apollinares (qui erant, ut ſæpiùs diximus, iis numinibus dicati) in Prætura ſua celebraſſe denotare voluit. In parte verò inferiore expreſſit Tritonem biſulca cauda, in memoriam illius quem Romæ primus P. Romani oculis in ipſis ludis, niſi mavis in Ædilitate ſua, expoſuerat. *Pauſanias, lib 9.* de altero „ ſic loquitur. Vidi ego & alium Tritonem inter Romanorum „ ſpectacula cetera: ſed hoc, qui apud Tanagræos eſt, magnitudine certè inferiorem.

LXIX.

MARCELLINVS. Caput Marcelli Conſulis, pone quod Triquetra: in averſa parte, MARCELLVS COS. QVINQ. circa ambitum.

LXX.

Eadem epigraphe & IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Templum quatuor columnarum, ad cujus gradus togatus utraque manu trophæum.

Jam in Claudia gente prodiit hic denarius ob effigiem Marcelli quinquies Conſulis, à Marcellino reſtituta, cum è Claudia in Corneliam gentem adoptatus, Marcellinus dictus ſit. Sed quis ille fuerit, jam ibi declaravimus, nempe Claudii Æſernini, bello ſociali capti filium, in adoptionem P. Cornelio Suræ datum, & ita P. Suram Catilinæ conjurationis reum, adoptione fratrem, & C. Marcellum Æſerninum Germanum habuiſſe, ſicut ex *Cicerone in Bruto*, colligere eſt.

De illo pauca reperimus; ejus tantùm Quæſturam notavimus, an. 675/6 in quo proavi ſui effigiem nobis exhibuit cum Triquetra Siciliæ nota, in qua Inſula plurima egregia belli & pacis facinora edidit, & quæ ad hoc tempus Marcellos colebat patronos In averſa parte effigies ejuſdem Marcelli Conſulis quinquies, illum opima de Viridomaro Rege ab eo occiſo ſpolia in Jovis Feretrii templum ferentem ad æternam rei memoriam exhibuit, quem denarium tum ob tam celebris Romani effigiem, quàm ob inſigne factum, ut plurimos alios, reſtituit.

LXXI.

Caput Herculis imberbe cum ſpoliis leonis ſupra dorſum, ſ. humero clavam, deſuper clypeus, ROMA. in area littera K. in averſa parte ſuccincta & turrita, d. haſtam cum aliquo capitis ornamento, cui Genius ſeminudus cum pallio illi coronam porrigit; ſ. cornucopiæ, LENT. MAR. F. Ad latus littera K. in aliis G. in aliis D. in laurea.

LXXII.

Caput idem Herculis; ſed pro ROMA in imo, legitur P. E. S. C. & ad latus littera X. in averſa idem typus & littera X.

Inſcriptio LENT. MAR. F. *Lentulus Marcellini filius*, hos denarios ad Cn. Lentulum Marcellinum Publii Marcellini, qui à P. Lentulo Sura Principe Senatus, cui ſuperiorem addiximus, filium ſpectare certò denotat. Sed quo pertineat Hercules *Urſino* obſcurum; nobis igitur inquirere liceat. Duo hic denarius diverſa Cn. Lentuli Marcellini geſta, ut ſæpe ſolent in iis exprimi, continet: primùm caput Herculis, ſacra ejus ad aram maximam à Cn. Marcellino ex S. Conſulto eſſe celebrata denotat. Hæc olim à Potitiis & Pinariis edebantur, ſed, ut inquit *Dion. Halycarnaſſeus.* Nunc tamen illorum poſteritas non habet curam horum „ ſacrorum, ſed operantur eis ſervienti ære publico, quod lit- „ teræ P. E. forſan innuere videntur publico ære, ſic enim *Manutius* has ex inſcriptionibus antiquis interpretatur. Huic Her- „ culi, cognominato Defenſori, templum erat in regione Urbis XIV. in quo milites honeſta miſſione miſſi, & gladiatores emeriti, arma clypeoſque ſuſpendebant: ideò clypeus ſupra caput Herculis in denario eſt expreſſus.

Typus averſæ partis ad Proconſulatum Syriæ Lentuli Marcellini ſpectare videtur, de quo *Appianus in Syriac.* Scauro Se- „ natus Marcium Philippum ſucceſſorem miſit, & huic Lentu- „ lum Marcellinum, ambos Prætorios, qui quo biennio pro- „ vinciæ præfuerunt, conflictati ſunt cum Arabibus ex vicino infeſtantibus. At quùm illos plurimis victoriis Lentulus profligarit, Syria illi ſtatuam erexit, & Genius ei lauream porrigit: quod

confirmare videtur corona ex lauro denarium ambiente, quæ tantùm victoribus conceditur; *Amicus* verò noster hanc statuam Cn. Marcellino Tyri Syriæ urbi primariæ positam auguratur: unde in anteriore parte Hercules Tyrius, qui imberbis semper exhibetur.

Cn. Marcellinus Ædilis fuit, an. *691*. Prætor urbanus, *694*. Peregrinus autem sortitus est Syriam, *695*. Consulatum gessit cum L. Marcio Philippo, anno *697*.

LXXIII.

Caput Jovis laureatum & barbatum: in averso latere, P. LENT. P. F. CN. MARCELLIN. Figura togata & velata, d. imponit super collum Tauri mithrati, ad aram ignitam; eum subsequitur Camillus, vas tenens utraque manu.

P. Lentulus, dictus adoptione Marcellinus, duos habuit filios natu majorem Cn. Lentulum, ad quem superior denarius spectat, & alium natu minorem prænomine Publium Julii Cæsaris Quæstorem, anno $\frac{704}{5}$. *Comm. de Bello Civil. lib.* 3. Sed, ut hic habetur, quod valetudine minus commoda uteretur, non diu vixisse videtur. Hic verò reliquit filium, quem denarius Publii filium & Cnei nepotem appellat, qui per omnes gradus, quorum tempus ignoramus, ad Consulatum cum Cn. Cornelio L. filio pervenit, anno $\frac{735}{6}$. apud *Dionem*, *lib.* 54.

Denarius ad Consulatus suscipiendi morem totus est adscriptus. Ex anteriore parte Jovem Capitolinum exhibet, à quo designatus Consul, primo Januarii die, frequenti populo comitatus, in Capitolium ascendebat sacra facturus, ex altera parte juvencus injugis, id est, jugo numquam subditus, mithra, seu infula, ad sacrificium ornatus, prope aram ignitam, ubi immolari debebat, & ubi multa odorem facientia cremabantur. Adest Consul sacerdotis velo coopertus, namque mos ex Ænea inductus est, qui quùm rem divinam interrumpere nefas crederet, caput velamento obduxit; pone eum Camillus, nempe puer ingenuus, qui Flamini Diali ad sacrificia ministrabat. Unusquisque Consulum idem operabatur, de quibus *Ovidius*,

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Phalisca suis.

SYL-

SYLLÆ.

LXXIV.

Caput Romæ galeatum: in aversâ parte, P. SYLA. Bigæ cum Victoria, d. lauream, s. equorum habenas, in imo ROMA.

Ad Cornelios cognomine Syllas tandem pervenimus. Hi antequam Syllæ dicerentur, Ruffi seu Ruffini erant appellati; illud verò cognomen inditum P. Cornelio Rufo Decemviro, quod illo suadente, bello Punico secundo ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primùm sunt instituti, anno 541/2 unde Sibylla dictus est, deinde corrupto nomine Sylla de principio cognovimus aliter. Alii scribunt, Raviliæ, inquiunt, à ravis oculis, quemadmodum à colore fusco Sullæ.

Publius ille Sula qui denarium cudit, putat fuisse Syllæ Felicis Dictatoris fratris filium, quem *Dio, lib.* 36. Syllæ ἀδελφιδεὸν appellat. Sed ut ipse denarios, in quibus SVLA unico L. scriptum est, ea scribendi ratione ex *Quintiliano* antiquissimos agnoscit; ergo Dictatore Sylla vetustiores sunt, in cujus nummis argenteis inscribuntur LL. SVLLA; & sic ad ejus avum spectat is, qui illum signavit in Quæstura sua provinciali, anno 569/70 & erat ille filius P. Syllæ Decemviri.

Ex Quæstura militari P. Sulla Ædilitatem Curulem adeptus est, anno 555. Præturam Peregrinam sortitus, Siciliam obtinuit, anno 567/8.

LXXV.

Caput Jani bifrontis barbatum: in aversâ parte, SVLA, & Navis.

Sæpiùs diximus, ex *Plinio*, Assem Romanum libralem æreum primo bello Punico redactum esse ad sextantarium, id est, ad pondus duarum unciarum; hic verò nummus ejusmodi ponderis est, & bellum secundum Punicum, anno 535/6 inchoavit, quo, idem *Plinius* narrat urgente Annibale sextantarios esse factos unciales; at P. Cornelius Decemvir Prætor est factus, anno 541/2 & sic Sullæ cognomen in hoc nummo sextantario favet *Charisio* loquenti de P. Sulla apud *Priscianum, lib.* 1. qui inquit, quod flavo

„ flavo & compto capillo fuerit, conſimiles Syllæ ſunt appellati. Quod videtur confirmare, *Robertus Titius, locorum controverſorum, lib.* 1. *cap.* 4. Qui idem *Faſti* locum, *lib.* 16. ad hunc modum legit. Raviliæ à ravis oculis, quemadmodum à colore fuſco Sullæ. Unde deſumere poſſemus, hujus nummi ſextantarii autoritate freti, P. Cornelium Decemvirum jam Sulam fuiſſe appellatum antequam Prætor fuiſſet, & hunc nummum ſextantarium in ſua Quæſtura ſignaſſe, an. 493/4. quùm jam bellum primum Punicum inchoaſſet, anno 489/90. Unde Sullæ cognomen non à Sibylla videtur derivatum. De Jano & Navi ſparſim dictum eſt.

LXXVI.

L. SVLLA. Caput Veneris, ante quam ſtat Cupido, d. palmæ ramum: in averſa parte, IMP. ITER. Duo trophæa, inter quæ vas & lituus.

L. Sulla, Lucii Sullæ Prætoris Siciliæ filius fuit, & nepos P. Sullæ Prætoris Urbani & Decemviri, de quo ſuprà diximus, & in juventute potiùs libidine, vino, ludicris artibus & amore detentus, quàm magiſtratuum Romanorum cupidus. Non enim niſi an. ætatis ſuæ 39. Quæſturam militarem ſuſcepit, anno 646/7. quare Marius Conſul moleſtè tuliſſe traditur, quod ſibi aſperrimum, teſte *Valerio Maximo*, in Africa bellum gerenti, tam delicatus Quæſtor ſorte obveniſſet. Illi tamen præcipua Cirtenſis pugnæ victoriæ gloria tribuitur apud *Salluſtium & Plutarchum.* Prorogata ei provincia Proquæſtoris nomine 647/8. Bocchum Mauretaniæ regem ad pacem petendam ſollicitavit, & ad Jugurtham ſocerum ſibi tradendum compulit. Et anno 648/9. in componendis Africæ rebus in ea remanſit prorogato imperio. Legatus Proquæſtore Marii fuit in Gallia contra Cimbros, an. 649/50. Poſteà à bello abſtinuit & militares dignitates & ordinarios magiſtratus petere ob Marium, privatus deſiit.

Poſt decem annos ab initio Quæſturæ Præturam ambiit, & in ea petenda repulſam paſſus eſt, quod Ædilitatem prætériiſſet; ſed promiſſis Populo ludis eam obtinuit, anno 660/1. in qua magnificentiſſimos edidit. Peregrinam ſortitus, ipſi evenit Aſia & Cilicia ad reducendum Ariobarzanem, ex S. C. adjecta eſt, anno 661/2. Provincia fuit illi prorogata, anno 662. Conſulatum

cum

cum Q. Pompeio Rufo gessit, anno 665. Asiam, & bellum contra Mithridatem gerendum habuit.

Sylla in Græciam profectus, primò ingenti prælio Archelaum, Regis Mithridatis ducem, ad Cheronæam profligavit, unde Imperator ab exercitu appellatus, trophæum eo loco, qui Thurium dicitur, erexit. Deinde contra Dorylaum, Mithridatis novum ducem Archelao conjunctum, ad Orchomenum oppidum, feliciter pugnavit ipsius exercitu planè deleto, castrisque exutis, eo loco alterum trophæum, Imperator iterùm appellatus, posuit: unde duo in denario trophæa. Lituus verò & Vas ad ejus sacerdotium spectant, Augur enim videtur fuisse. Alii ad filium illa revocant. Caput Veneris, & ejus filius Cupido palmam gerens, tamquam numina tutelaria sunt expressa: nam ille præcipuo cultu Venerem colebat, ita ut teste *Plutarcho*, quando Græcis scribebat se ἐπαφρόδιτον, id est, Veneri gratum, se appellaret, & uni ex trophæis Venerem inscripserit.

Plutarchus verò eum denarium à Lucullo prcussum insinuat, *in ejus vita*; nam inquit, Lucullum Sylla comprehendit amicitia, ejusque opera maximisque in rebus perpetuò usus est, in quibus fuit monetæ negotium, si quidem bello Mithridatico magna pars in Peloponneso per eum signata est, à quo Lucullia est dicta, diuque duravit in bello ex usu militari citò permutata: Moneta in castris Proconsulis cudebatur, nec Romæ, ubi tot hostes habebat, in ejus honorem haud dubiè signabatur.

LXXVII.

Caput Romæ galeatum, pone quod Victoria per aëra volitans coronam imponit: ex aversa parte in vertice ROM. in imo, SVLLA IMP. Roma galeata stans, dextram porrigit Syllæ paludato; pone quem prora navis, in qua temo & ancora inversa.

Sylla, debellatis Mithridatis ducibus, cum iis pacem pepigit, & colloquio in Asia (in quam ad id transiit) cum rege habito, illa confirmata est: itaque, rebus omnibus in Asia & Græcia compositis, Sylla in Italiam reversus Brundusium solvit, ubi quùm triginta millia hominum exposuisset, missis ex Roma lega-

tis, qui de pace agerent. Roma dextram Syllæ ex navi exſcenſo, ut temo & ancora in navi inverſa innuunt, porrigens in denario in pacis ſignum percuſſi exprimitur, quem Sylla, ut ſe ejus ſervatorem contra Conſulem Carbonem, qui eam violavit, demonſtraret, cudi curavit.

LXXVIII.

L. BVCA. Caput Veneris: ex averſa parte litteræ incognitæ. Sulla, dormiens ad montis radices, Diana cum Luna bicorni in capite & velo circumdata, ſedens ſupra nubes, ut videtur, Victoria ſtante & palmam, d. geſtante.

Propter caput Veneris in parte anteriore, & nomen L. BVCA, ſub Julio Cæſare Quatuorviro Monetali, hunc denarium Juliæ genti adſcripſit *Patinus*, partem adverſam gentis originem à Venere indicare exiſtimans. Ex interpretatione *Triſtani*, *tom.* 1. illum Corneliæ adſcribimus, ob ſomnium Sullæ, cujus iconem exhibet. Eumdem *Fulvius* in Æmilia deſcripſit, ob nomen BVCA, cujus gentis ille eſt, ſed de denarii interpretatione, ut de Sulla, ne verbum quidem.

Plutarchus in vita Sullæ, *pag.* 457. narrat, quùm ille è Nola pemoviſſet, anno $^{671}_{2}$ exercitum quidem promptum videbat ad petendam Romam, ſed fluctuabat animo ſecum, & timebat periculum, Poſthumium verò aruſpicem illi portendiſſe victoriam, & „ inquit, Dicitur etiam ipſi Sullæ in ſomniis ſe obtuliſſe dea, quam „ ex diſciplina Cappadocum Romani colunt, ſive ea Luna, ſi- „ ve Minerva, ſive Bellona ſit. Hæc Sullæ viſa eſt aſſiſtere, & „ fulmen ei tradere, juſſiſſeque, ſingulis nominatis inimicis ejus, ferire, illi icti concidere, atque è medio dilabi, quo oſtento erectus & c. Sylla Romam contendens, ea potitus eſt cum victoria, in cujus memoriam L. Buca pater hunc denarium cudit, ut Quæſtor.

Aſconius Pædianus in Comm Orat. pro M. Scauro, inter eos qui Æmilio Scauro reo adfuerunt, nominat M. Æmilium Bucam his verbis: ab uno latere Scaurus ipſe, & M. Glabrio ſororis filius, & Paulus, & P. Lentulus, Lentuli Nigri Flaminis filius, & *L. Æmilius Buca filius*. Hic fuit Quatuorvir ſub Julio Cæſare, cujus pater, ſub Sylla Quæſtor, denarium hunc ſignavit, qui accuratius nobis Syllæ ſomnium exponit. Nam Dianam, quæ eadem

dem eſt cum Luna, ſuo ſymbolo ſupra caput ornatam exhibet, & ſic Minervam vel Bellonam excludit, Syllæ obdormienti Victoriam, cujus erat dubius, palmæ ramum gerentem, tamquam aſſiſtricem oſtendens.

Caput Veneris in anteriore denarii parte expreſſit, ut jam ſuprà vidimus, quam ut Numen tutelare venerabatur Sylla, ex *Plutarcho*, quùm ſe Epaphroditum appellaret. Litteræ in imo partis averſæ videntur incognitæ, quas *Cl. Morellius in ſpecim. tab.* 24. Punicas eſſe exiſtimat, Dianæ apparitionem in Africa contigiſſe ratus. Nec Fauſtus Syllæ filius denarium percuſſit, quùm ejus nomen in eo, ut in ſequentibus, non habeatur, & L. Buca fuerit Quatuorvir poſt Fauſtum, Julii Cæſaris juſſu occiſum, anno 707/6 & Quatuorviri Monetales, cum aliis minoribus magiſtratibus, ab illo ſint tantùm inſtituti, anno 708/9.

LXXIX.

Caput Romæ galeatum, L. MANLI. PROQ. in averſa parte Sylla togatus, in quadrigis triumphalibus, d. caduceum, ſ. equorum habenas, Victoria, per aëra volitans, ei coronam adfert. L. SVLLA IMP.

Miſſis belli civilis rebus, ad denarii explicationem minimè pertinentibus, ad Syllæ in Urbe triumphum, quem denarius exhibet, tranſimus. Sylla autem Dictatura accepta, per biduum de Aſia & Rege Mithridate triumphum egit magnificentiſſimum, de quo etiam *Marmora Capitolina* memorant.

L. CORNELIVS L. F. P. N. SVLLA FELIX DICT. A. DLXXII. / DLXXIII. *Varr.*
DE REGE MITHRIDATE EX ASIA PER BIDVVM IV. K. FEB.

Plutarchus illum ita *in Syllæ vita* deſcribit. „Triumphus ejus magnificentia & raritate manubiarum regiarum grandis, majorem ſpeciem & pulchrum ſpectaculum præbuit exulum cauſa: ſi quidem clariſſimi viri & principes civitatis ſequuti ſunt coronati currum Syllæ, ſervatorem & parentem eum appellantes, quod illius beneficio eſſent in patriam reduces, liberoſque & conjuges reciperent.

L. Manlius Torquatus, de quo in Manlia gente ampliùs, in

æternam Syllæ Triumphi memoriam ejus Proquæstore denarium hunc signavit, in quo curru triumphali vehitur. Caduceum Felicitatis symbolum, pro solito scipione eburneo triumphantium Consulum insigni, gerit, quod ipso teste *Plutarcho*, Felicis cognomen accepisset: „ nam, inquit, jussit hac de causa nominari se Felicem. Victoria lauream ei porrigit, ad denotandas illas insignes quas de hostibus retulit, ut nomen Imperatoris quo insignitur, apertè confirmat.

LXXX.

SVLLA COS. Caput Syllæ. RVFVS COS. EX altera parte, Q. POM. RVF. F. Caput Rufi.

Hunc denarium ob Syllæ caput quod nobis exhibet, hoc loco exposuimus, quùm ad gentem Pompeiam is pertineat, & Q. Pompeius Rufus, ejus filiæ natus, illum percusserit in Quæstura sua, ut Pompeium Rufum & Syllam avos suos in consulatu collegas exhiberet; mater enim Cornelia Syllæ filia Pompeium Rufi consulis filium pro marito à Sulpicianis militibus in patris consulatu occiso, habuerat: miror igitur *Ursinum*, in Cornelia gente Faustum dixisse hunc denarium signasse. Non enim apud Romanos caput suum in denariis exhibere licebat, & nulli ante Julium Cæsarem hic honos à Senatu decretus est: ideò Rufus filius his verbis', Q. POM. RVF. F. nomen adposuit.

LXXXI.

SVLLA COS. in vertice, R. POMPEI RVF. in imo. Sella Curulis, inter lituum & lauream: ex aversa parte, RVFVS COS. in vertice, Q. POMPEI. Q. F. Sella Curulis, inter telum & lauri ramum.

Hasce Curules Sellas in hoc denario expressas, *Ursinus*, alteram in hac Cornelia gente ad Syllæ Præturam, licèt urbanam, non gesserit, tamen refert; alteram verò ad Rufi Consulis Præturam in Pompeia gente revocat; cui sententiæ adstipulari non possumus, etiamsi sagitta & laurea Apollinis insignia, Apollinares ludos in Prætura Rufum edidisse denotent. Sed quid tum? nonne in plurimis denariis Ædilitatis & Præturæ, imò & Consulatus, omnia

omnia ſimul ſymbola quotidie obſervamus, quùm Romani geſta in iis ſua illuſtria conſignare ſint ſoliti. Quid enim lituus in Syllanis, niſi ejus Auguratum, de quo in ſuperioribus jam diximus, denotat? Quid laurea, niſi ejus victorias, ad Conſulatum aut Præturam nihil ſpectantes, arguit? Ergo hic denarius ab eodem Q. Pompeio Rufo, Q. Pompeii Rufi Junioris filio percuſſus, ad revocandam avorum ſuorum in eodem Conſulatu Collegarum memoriam, ut eorum capita in ſuperiore exhibuit. Nam ſi eorum Præturam denotare voluiſſet, eos Prætores & non Conſules nominaſſet, ſi quidem Prætura Conſulatum præcedit, & oporteret illos Præturam eodem tempore, ut Conſulatum, geſſiſſent; quæ diverſa admodum fuit, nam Sylla Peregrinam geſſit, anno 660/1. Rufus verò Urbanam, anno 662/3.

LXXXII.

FAVSTVS. Caput Dianæ, cum Luna bicorni in fronte, pone lituus: in averſa parte, FELIX. Sulla ſedens, inter Bocchum & Jugurtham reges, genuflexos; ille olivæ ramum dextra tenet, hic gemens manibus poſt terga revinctis.

P. Cornelius Sulla L. Cornelii F. à patre Fauſtus cognominatus, Quæſturam Urbanam ſortitus eſt, an. 699/700. In ea aliquot parentis geſta in denariis ſuis renovare voluit. Hic quæ inter Bocchum Getuliæ & Jugurtham Numidiæ reges evenerint, dum quæſtor erat Marii in Africa. Ille à Sylla ſuſcitatus pacem poſtulat à Romanis, & generum vinctum tradit. Ideò Sulla in ſella ſedet, ante quem Bocchus, imberbis ut Maurus, olivæ ramum dextra gerit, & Jugurtha pone, prolixa barba & chlamyde ornatus, genuflectit manibus poſt terga revinctis, ad triumphum ſervatus. De quo, inquit *Plutarchus*, duxit quidem hac de re Marius, ſed facti „ gloria, quam Marii invidia Syllæ attribuit, momordit in oc- „ culto Marium nonnihil, quod facti hujus ſculptam in annulo „ imaginem geſtaret, quam etiam perpetuò deinceps ſignavit. Ex- „ primebatur ſculptura Bocchus tradens, & Sylla accipiens Ju- „ gurtham, cui alludit hic denarius.

Dianæ caput expreſſum eſt, in gratiam patris à Fauſto, quod illa fuiſſet ejus tutelaris dea, ob ejus ſomnium, de quo ſuprà diximus. Lituus pone Dianæ imaginem, ad Auguratum Fauſti ſpe-

ſpectat, de quo nobis eſt teſtis *Dio*, *lib.* 39. Spinther, inquit,
„ Conſul filium ſuum Cornelium Spintherem inter Pontifices
„ referre cupiens, quùm in eum ordinem, jam antè Fauſtum
„ Syllæ filium, qui ex gente itidem Cornelia erat, adſcriptum vide-
„ ret, ſuum filium in Manlii Tarquati genus adoptandum dedit.
Id à Spinthere actum eſt, an. 697/8. & jam ante Quæſturam Fauſtus id ſacerdotium obtinebat.

Felix cognomen ad L. Cornelium Syllam, ut *Fauſtus* ad Publium ejus filium ſpectat.

LXXXIII.

FELIX. Caput imberbe diadematum & chlamyde ornatum: in averſa parte, FAVSTVS. Diana, cum creſcente Luna ſupra frontem in bigis, dextra coronam, cum duabus ſtellis in vertice, & totidem infrà.

Duo in hoc denario, ab eodem Fauſto Syllæ F. ſignato, inquirenda occurrunt: nempe quæ eſt illius in anteriore expreſſa facies; & alterum, an Bocchus fuerit gener aut ſocer Jugurthæ. De prio-
„ re *Fulvius*, in nummi explicatione, Denarius, inquit, nihil ha-
„ bet notatu magnopere dignum, niſi quod in eo Fauſti Sullæ filii imago expreſſa eſt. Hanc *Fulvii* ſententiam ſequutus eſt *Jo. Faber*, ejus commentator; & quùm ſciret Romano diadema non convenire, de Fauſto hæc profert, Diadema denique in capite ejuſ-
„ dem, ad illud alludit, quod *Plutarchus* ſcribit, Caium ſcilicet Mithridatis collactaneum, cidarim inſignis & artificii & pretii Fauſto dediſſe. *Seguinus in Ep. ad Gottofredi*, vultum Regis cum *Gevartio* agnoſcit, & Jugurthæ illum adſcribit, in quorum partes de-
„ ſcendit *Patinus* his verbis, Placet aliis & merito, non Fauſti
„ faciem hic exprimi, ſed Jugurthæ: ſuperior denarius illam haud dubiè Boccho adjudicat, qui imberbis, ut in hoc depingitur, & Jugurtha cum prolixa barba; adde quod Bocchus ut Syllæ amicus, à quo hic plurima dona receperat, & præſertim centum leonum jubatorum, ad ludos in Prætura edendos, habuiſſet: Jugurtha autem in triumpho ductus fuerat.

Nobis ſupereſt demonſtrare, an Bocchus gener aut ſocer Jugurthæ fuerit, *Plutarchus* quidem in Mario inquit, Βόκχος ὁ τῶν ἄνω Βαρβάρων βασιλεὺς ἦν πενθερὸς Ἰυγούρθα, vox πενθερὸς eſt ſocer, ſed tam-

tamquam fuiſſet eo loco γαμβρός. *Xilander* vertit, Rex Mau- ,,
retaniæ Bocchus gener erat Jugurthæ: nam idem, *Plutarchus* ,,
in Sylla ait. ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν, ,,
καὶ φοβούμενος τὸν Ἰουγούρθαν, quæ ita *Xilander exponit*. Bocchus au- ,,
tem jam pridem ſocerum peroſus erat, & timebat Jugurtham.
Πενθερὸς & Γαμβρὸς, ex *Plutarcho* videntur opponi; vetantur, inquit, Romani, παρὰ γαμβροῦ καὶ παρὰ πενθεροῦ δῶρα λαβεῖν. Sed rem dirimit, *Salluſtius de bello Jugurthino*, his verbis: Etiam antea Jugurthæ filia Boccho nupſerat: quod penitus confirmat facies Bocchi in utroque denario, lanugine tantùm decorata, & Jugurthæ imago cum barba prolixa.

Diana in bigis, ut tutelaris Sullæ dea exhibetur à filio Fauſto, cujus etiam Numen venerari videbatur.

LXXXIV.

S. C. Caput Veneris Victricis, laurea coronatæ: ex averſa parte, FAVS. in monogrammate: & tria trophæa, inter præfericulum à dextris, & lituum à ſiniſtris.

Ut in Sullæ patris memoriam ſuperiores denarios percuſſit Fauſtus, ita duos ſequentes in honorem ſoceri Pompeii M. ſignavit, Pompeiam enim ejus filiam duxerat uxorem, ut narrat *Plutarchus in Pompeio*, Syllam & vivum perpetuò coluit, & defun- ,,
cti funeravit, repreſſo Lepido, corpus, filioque ejus Fauſto ,,
filiam ſuam nuptum dedit. Ex una parte Venerem Victricem, cujus ædem in theatro Pompeius extruxerat, ut teſtatur *Porphyrio*; & de quo etiam ipſe *Plutarchus*, *ibid.* Nocte, inquit, viſum ,,
Pompeio eſt in ſomnis theatrum ingreſſo ſibi populum plaudere, templumque ſe Veneris Victricis multis ſpoliis exornare. Coronatur ex lauro Venus, quia laurea ipſa victoribus conceditur; ipſi verò ſceptrum pone caput adjicitur, quod per victorias ſceptra, id eſt, regna acquirantur: nam ſceptrum regum eſt inſigne.

Ex altera parte adſunt tria trophæa quæ in annulo ſignata gerebat, ob tres orbis partes à ſe devictas, & in quibus unum ſe erexiſſe, nempe in Africa, Rege Iarba devicto & capto, jactabat, alterum in Europa, tertium verò in Aſia. Quamobrem *Cicero pro Sextio* ſic ait. Quùm vir is, qui tripartitas orbis terra-
rum

,, rum oras, atque regiones tribus triumphis adjunctas huic imperio
,, notavit. *Dio lib.* 42. hujus annuli mentionem facit. Ne mortem quidem Pompeii crediderunt antè, quam missum Romam annulum ejus, in quo tria erant trophæa insculpta; quod Sulla quoque usurpaverat, viderent. At ob illa quæ ad Syllam verba spectant, delusus *Ursinus*, hunc denarium ad eum pertinere existimavit; sed ad exhibenda in superioribus ipsius gesta, non opus fuit Senatusconsulto, quia mortuus erat; quùm autem Faustus Pompeii soceri adhuc viventis facta in denariis consignare vellet, Senatusconsulto indiguit, ut nota S. C. testis est locuples. Vas & lituus ad sacerdotium Auguris, quo ornatus erat Faustus; quæ solita sunt illius insignia, ut videre est in frequentibus Antonii Triumviri & Auguris denariis.

LXXXV.

FAVS. In monogrammate & S. C. Caput imberbe, pelle leonis amictum: in aversa quatuor coronæ, in quarum medio globus, infrà verò hinc acrostolium, inde spica.

Hic denarius non in patris Syllæ memoriam à Fausto signatus est, nec quatuor coronæ indicant quatuor illius triumphos ex Græcia, Asia, Ponto, & Rege Mithridate, ut existimant; nam per biduum tantùm triumphavit Sylla, sed ad insignes quatuor Pompeii victorias spectant, quas indicare voluit ejus gener, nempe ex Africa, Europa, & Asia per terram, & alteram ex Piratis per mare; unde terræ globus ab iis coronis circumdatus, qui tot triumphos denotare videtur, nempe Africanum, & tres alios, ut ferunt *Marmora Capitolina.*

CN. POMPEIVS CN. F. SEX. N. MAGNVS. III. PROCOS. A. DCXCII. DCXCIII. *Varr.*
EX ASIA. PONTO. CRETA. CILICIA. PAPHLAGONIA. CAPPADOC.
SVRIA. Ibereis. Judæis. Albaneis. ARMENIA. PIRATEIS.
& regibus MITHRIDATE ET TIGRANE. III. & pridie K. Octob.

Cui adstipulatur *Plinius, lib.* 37. *cap.* 2. Ergo tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, gentibus & regibus earum provinciarum M. Pisone, M. Messala coss. pridie Kal. Octob. die natalis sui egit.

Acro-

Acrostolium imperium maris ei decretum indicat contra Piratas, lege Gabinia, ut refert *Plutarchus*, Dabat, inquit, imperium ea lex omnis intra columnas Herculis maris, continentis totius ad quinquaginta à mari millia passuum. Hoc spatium Romani orbis plagæ sanè quàm paucæ excludebant. Per legem Frumentariam, in Pompeii gratiam latam, qua inquit *Plutarchus*, mox placavit Pompeio Senatum Cicero, defendensque legem Frumentariam, denuò Imperii Romani terra marique dedit Pompeio quodammodò arbitrium. Ut tot elogia Pompeio viventi socero in denariis daret, non eos sine Senatus consulto cudere potuisset. Faustus, quod eum obtinuisse nos docet ejus nota S. C. in illo ex parte anteriore expressa.

Caput pelle leonina amictum, vel Herculem, vel Alexandrum, exhibet. Hercules autem vulgò apud Romanos barbatus pingebatur, & eum cum Pompeio convenire non reperimus, ideò Alexandrum esse, quem illi comparat Faustus, qui ferè totum ejus ætate terrarum orbem subegerat, & qui facie non illi absimilis omninò videbatur. Si *Plutarcho* fides, in *ejus vita*. Jam, inquit, modicè surrecta coma, oculorumque lenis modulatio, reddebat faciei ejus usurpatam magis sermonibus, quàm repræsentatam cum Alexandri statuis similitudinem, ob quam nomen etiam multis ei Alexandri in principio tribuentibus non defugit id Pompeius, de quo alibi. Ætate tunc erat (ut illi volunt qui in omnibus cum Alexandro illum contendunt & conferunt) quatuor & triginta annis minor, reverà attingebat quadragesimum.

LXXXVI.

FAVSTVS. Caput Dianæ crescente Luna ornatum: in aversa parte, LENT. MAR. COS. Jupiter nudus stans barbatus, d. extensa fulmen, s. aquilam.

Jam prodiit Jovis ille typus in nummis L. Cornelii Lentuli, qui cum Claudio Marcello fuit Consul, anno 704 quo cœptum est bellum civile inter Cæsarem & Pompeium, & Consules ipsi Roma exierunt, & in Græciam fugerunt Dyrrhachium. Plurimos tunc sub eorum nominibus denarios Syracusis Siciliæ, ut peculiares ad hanc urbem spectantes typi demonstrant. Denarios

fuiſſe ad uſum exercitus Pompeii percuſſos ſuſpicati ſumus, ſeu quod Marcelli eſſent in urbe patroni, ſeu quod Cato ejus partis Inſulam tunc Proprætore teneret, antequam à Curione ex ea ejectus fuiſſet.

Diana bicorni Luna inſignis tutelaris erat Syracuſarum dea, quam Ætoli ex Ortygia profecti mortalium primi, qui partem Peninſulæ incoluerunt, Ortygiam vocarunt, vel ab ipſorum patria, vel à Diana, quæ & ipſa *Ortygia* ab una Cycladum cognominabatur. Dianæ namque hanc Peninſulam antiquitas conſecravit; deinde incolæ ædem ei fecerunt, atque adeò urbs Dianæ ſacra fuit, auctaque poſteà civitate templum Jovi extructum eſt ab Hierone II. Sed quare Fauſtus denarium cuderit? an poteſtas cudendæ monetæ ipſi à ſocero, cujus erat legatus Proquæſtore, conceſſa fuit, ut Lucullo à Sylla in Peloponneſo datam ſuprà diximus?

De Fauſto poſt Quæſturam an. 5. in Senatu relatum, ut Proprætore in Mauretaniam mitteretur, *Comm.* 1. *de Bello Civil.* Sed id impedit Philippus Tribunus plebis, anno 704/5. legatus Proquæſtore factus à Pompeio Cn. Domitium Calvinum, Cæſaris partium, è Macedonia expulit, apud *Dionem*, *lib.* 41. Poſt Pharſalicam pugnam ſe Catoni adjungit in Peloponneſo, Q. Caleno exercitum adverſus eos ducente, naves ſolverunt, Cyrenemque delati ſunt; ubi de morte Pompeii certiores facti ſunt, anno 705/7. ex *Dione*, *lib.* 42. Poſt Scipionem in Africa à Cæſare debellatum, Fauſtus qui cum Afranio tendebat in Hiſpaniam, vivus capitur, & paucis pòſt diebus Cæſaris juſſu occiditur; Pompeiæ ejus uxori & liberis, nempe filio & filiæ, incolumitatem ſuaque omnia conceſſit, an. 707/8. *Hirt. de bel. Afric.*

LXXXVII.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. XII. P. P. Caput Auguſti laureatum: ex averſa parte, L. CORNELIVS SVLLA III VIR. A. A. A. F. F. Circa ambitum S. C. in area.

Quis fuerit ille L. Cornelius Sulla? nobis videtur fuiſſe filius L. Sullæ, qui Conſulatum geſſit cum Auguſto XII. an. 758/9. ut ferunt *Tabulæ Græcæ* & *Marianus*. Hic verò erat apud *Glandorpium* P. Sullæ filius Ser. Sullæ Nepos, propinquus Sullæ Dictatoris, & ſi *Dioni* fides, ἀδελφιδεός. Ille verò factus eſt Triumvir Monetalis Senatus, ut hic

æreus

æreus *Goltzii* nummus nos edocet, & *Fasti* ad Conſulatum ſub Tiberio cum Galba perveniſſe, an. $\frac{785}{6}$.

BALBI.

LXXXVIII.

C. CAESAR III. VIR. R. P. C. Caput Cæſaris: in averſa parte, BALBVS PROPR. Clava Herculis.

Explanatis Corneliorum Patriciorum nummis ad aliam Plebeiam hujus nominis Familiam, etſi ad eam nihil pertineat, progredimur. L. Balbus L. filius ex Gadibus Hiſpaniæ urbe oriundus, cum fratre Publio, civitate in bello Sertoriano donati ſunt à Pompeio. Mortuus eſt frater Publius, relicto filio prænomine Lucio, propterea appellato minore. Hic verò major patruus Quæſturam Provincialem ſortitus, anno $\frac{699}{700}$ Ædilis factus, anno $\frac{705}{6}$ à bello civili abſtinuit, ne contra Pompeium arma ſumeret, Cæſare non invitò. Præturam accepit, an. $\frac{711}{2}$ Proprætore in provinciam profectus, hunc denarium percuſſit in honorem Cæſaris, cujus erat ſtudioſus. In anteriore parte viſitur Caput Cæſaris cum titulo Triumviri Reipublicæ conſtituendæ, quem cum Lepido & M. Antonio ſumpſerat.

In averſa parte clavam Herculis, ad indicandam originem expreſſit: nam ibi Hercules Tyrius, quùm nave eò perveniſſet, columnas poſuit, & in ejus honorem templum extructum eſt. Vide quæ de Gadibus Inſula & templo narrat *Strabo, lib.* 3.

Balbus Conſulatum iniit cum P. Canidio ſuffectus, anno $\frac{713}{4}$. Pro eo extat *Ciceronis Oratio*, qua illius civitatem defendit.

LXXXIX.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS TR. POT. IIII. Caput Augusti, L. BALBVS PRO COS. Trophæum ad cujus imum, hinc captivus humi ſedens mœret, & inde alter manibus poſt terga revinctis.

L. Cornelius Balbus minor, Publii ſuperioris Lucii fratris filius, & ipſe Gaditanus, civitate etam donatus in bello civili u-

lio Cæſari adhæſit, & ab eo ad L. Lentulum Conſulem miſſus, anno 704/5. quùm eum jam Dyrrachium transfretaſſe invenit, per mare cum litteris ad eum navigavit; unde Pontificatum poſtea adeptus eſt, & poſteà Conſulatum; nam Tribunus plebis fuit, anno 706/7. Ædilis, anno 707/8. ex *Plinio*, *lib.* 36. *cap.* 7. Quæſtor fuit ſub Aſinio Pollione in Hiſpania Ulteriore, anno 710/1. *Paterculus* eum Conſularem appellat. Africam Proconſule obtinuit, L. Sempronio ſucceſſor, Garamantas ſubegit, & in iis locis trophæum erexiſſe teſtis eſt denarius hic. De trophæi erectione ſparſim diximus. Auguſtus Trib. poteſtatem quartam ſignat, quam acceperat, anno 729/30. & inde Imperatores Romani per eam Imperii ſui annos ſignarunt.

XC.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in averſa parte, L. BALBVS P. F. PR. COS. Figura togata in quadrigis triumphalibus, d. equorum habenas, ſ. ſcipionem eburneum; Victoria ſupervolitans ei coronam porrigit.

Balbus junior ſubactis Garamantibus, triumphum de iis egit, de quo inquit *Solinus*, *cap.* 32. primus de externis, utpote qui Gadibus genitus acceſſit ad gloriam nominis triumphalis. Ejus victoriæ & triumphi meminit *Plinius*, *lib.* 5. *cap.* 5. ipſum in eo præter Cydamnum & Garamam, omnium aliarum gentium urbiumque nomina ac ſimulacra duxiſſe narrat. Ipſe in quadrigis triumphalibus vehitur, ſcipionem eburneum, in cujus apice aquila eſt majorum magiſtratuum inſigne gerens. *Marmora* verò *Capitolina* triumphum Balbi hoc modo notarunt.

L. CORNELIVS. P. F. BALBVS. PRO. COS. A. DCXXXIV. / DCXXXV. *Varr.*
EX AFRICA VI. K. APRIL.

Cicero ex Aſinii ep. l. 10. Balbum narrat avarè & crudeliter provinciam Hiſpaniæ ulteriorem tractaſſe; ſed *Strabo*, *lib.* 3. tradit eum ſplendidum fuiſſe erga urbem Gaditanam, quam novam impenſis ſuis excitavit, & navale extruxiſſe patriæ, in oppoſita continente, cui contiguum eſt verſus ortum, Herculis fanum.

XCI.

XCI.

CAESAR AVGVSTVS TRIB. POT. IX. COS. XI. Caput Augusti, L. COR. BALBO. M. TITIO. P. QVIN. VARO. II VIR. Bos.

L. Cornelius Balbus, cum M. Titio, & P. Quintilio Varo, ex hoc nummo videtur Duumvir deducendæ coloniæ creatus, idque inter annum $\frac{739.}{40}$ & $\frac{740.}{1}$ quo Augustus Tribuniciam IX. potestatem gessit; sed quùm desit nomen urbis, ubinam illa fuerit, indicare difficile est.



C O R N U F I C I A.

CORNIFICIA aliàs CORNUFICIA, unde ut beneficus à benefaciendo, ita cornificus videtur à cornufaciendo dictus, gens Plebeia fuit, ſed Conſularis.

I.

Caput Jovis Hammonis cum cornibus arietis : in averſa, Q. CORNIFICI. AVGVR. IMP. Augur velatus, d. lituum, coronatur à Junone Soſpita pelle caprina amicta, ſ. ſcutum.

Cornificius Q. Cornificii filius, Quæſturam Provincialem ſuſcepit, anno $^{672}_{3}$ Prætorius in Conſulatu competitor fuit *Ciceronis*, anno $^{679}_{10}$ ut colligitur *Ep.* 1. *ad Atticum*, Is ex Julii Cæſaris juſſu Syriam provinciam obtinuit ex *Litteris Ciceronis*, anno $^{707}_{8}$. nam ait, *Ep.* 19. *lib.* 12. „ Bellum quod eſt in Syria, Syriamque pro„ vinciam tibi tributam eſſe à Cæſare, ex tuis litteris cognovi. Mortuo Cæſare Cornificius Procos. Africam veterem obtinuit, anno $^{709}_{10}$. ut *Ciceronis Epiſtolæ* declarant. Senatus Provinciam illi prorogavit, anno $^{710}_{1}$.

Cornificius in Provincia vetere ſtabat, quùm Sextius à juniore Cæſare, poſtquam ei tota Africa ex fœdere Triumviratus inter illum, Lepidum & M. Antonium ceſſiſſet, primò Africam novam occupat, & Cornificio denuntiat, ut vetere ſibi decederet. Hic negavit ſe ſcire, quid Triumviri inter ſe diviſerint, æquum eſſe, ne quis Senatus injuſſu decedat provincia, quam à Senatu accepiſſet. Inde grave inter eos exortum eſt bellum, quod legas apud *Appianum*, *lib.* 4. *de Bello Civ.*

Imperator à ſuis appellatur, & ipſe denarios mox cudit ad belli impenſas, in quibus ſe Imperatorem & Augurem appellavit, quod ſacerdotium cum *Cicerone*, qui eum in *Epiſtolis* ad eum „ ſcriptis, appellat ubique Collegam. In anteriore parte Jovem „ Hammonem exhibuit cornibus arietinis ornatum, quod, ut „ narrat *Hyginus*, *in lib. Fab.* Liber in Indiam proficiſcens, „ quùm per deſerta Libyæ ſiti laboraret, Jovem rogaſſet, ut arie-

„ arietem, qui ei aquam monstraverat, in cælum collocaret: „ quod quùm factum fuisset, ibi Liber Jovi templum constru- „ xit, quod Jovis Ammonis vocatum; unde ejus cultus per totam Africam disseminatus est, & ipsa Africa apud *Stephanum* vocatur Ammonia. De aversa parte in denario sequente.

II.

Caput Cereris, corona spicea ornatum: ex aversa parte, Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. Juno Sospita, coronans Augurem, ut suprà.

III.

Idem Cereris caput, eadem epigraphe in aversa parte, sed cum restitutione Trajani, IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. idem typus.

Ut Jupiter Hammon cusus est in superiore denario ob cultum quo eum prosequuntur Africani, ita Ceres in summa veneratione erat apud Africanas mulieres, cujus adhuc meminit *Tertullianus*, *lib. 2. ad uxorem*: Ceterùm, inquit, Africanæ Cereri vi- „ duas assistere scimus. Item *alibi*: Feminas verò Cereris Africa- „ næ, cui etiam, & sponte abdicato matrimonio, adsenescunt: „ nam ut est regio frumenti fertilissima, ita huic deæ, ejus inventrici, summus honos tribuebatur.

Pars aversa dat Junonem Sospitam coronam Auguri porrigentem, quam exhibuit Cornuficius, quùm Augur esset, ad sacrificia Junonis Sospitæ coram Auguribus indicanda. Nam ex Numæ institutione, ritu Aboriginum antiquissimo, capra ad Junonis aram immolabatur præsente Augure, ut videre est in denario Licinii Vari: unde Juno Sospita in hoc coronam Auguri ipsa imponit. *Ursinus* cur ab ea coronetur, nondum quidquam, inquit, reperire potui, quod magnopere placeat; nisi fortè Cornificiam gentem ex Lanuvio profectam fuisse, ubi Sospita Juno colebatur, atque id indicasse velimus, potuit etiam esse Cornuficia gens ex Lanuvio oriunda, cui alluderet adhuc Cornuficius.

Trajanus illustre hoc monumentum, ut res priscas ad religionem & ad historiam spectantes, restituit, ut videre est in omnibus ejus restitutionibus: & *Patinus* addit ob raritatem nummi, quia illi difficile

ficile parantur, ne intercíderent, jam ſuis temporibus rari, eos reſtituiſſe.

IV.

IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum, L. CORNIFICIO. C. CENSORINO. N. CELS. II VIR. Bos.

Quin ad L. Cornificium pertineat nummus, dubium non eſt, ſed an ad fratrem ſuperioris, Conſulem cum Sex. Pompeio, an. U. C. 718/9 valdè dubitamus. Litteras N. CELS. pro C. I. V. CELS. expreſſas ſuſpicamur, & ideò ad Coloniam Celſam Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Iberum fluvium ſpectarunt. Vide plurimos ejus urbis nummos in *noſtro de Coloniis Opere*. Et ſic Lucius ille Cornificius Duumvir Coloniæ Celſæ eſſet; nam quomodo vir Conſularis in Coloniam Hiſpanienſem, ut poſteà Duumvir eſſet, & quidem poſt decem à Conſulatu annos; nam Cæſar nomen Auguſti non niſi ante an. 728/9 accepit? an verò ſuperioris filius, qui quùm contra Sextium Auguſti legatum in Africa, ut diximus, geſſiſſet, ſe illius metu in Hiſpaniam recepit.

COS-



COSCONIA.

COSCONIA gens Plebeia; primuſque ejus recenſetur M. Coſconius Tribunus militum belli ſecundi Punici, anno 16. U. C. $^{550}_{1}$ apud *Livium, lib.* 30.

L. COSCO. M. R. Caput Romæ galeatum: in averſa parte, figura virilis nuda in bigis currentibus, d. haſtam, ſ. baculum, in cujus apice caput Aſininum, & clypeum L LIC. CN. DOM.

L. Coſconius Marci filius, & Cnei Coſconii Prætorii frater, Quæſturam Provincialem accepit, anno $^{645}_{6}$. Tribunus Plebis fuit anno $^{650}_{1}$. Plurimi autem nummi eum fuiſſe Triumvirum Monetalem demonſtrant, ſub Cenſoribus L. Licinio & Cn. Domitio ab anno 661. uſque ad annum $^{665}_{6}$ quibus Cenſuram geſſerunt. Porrò lege Æmilia Annua & Semeſtris facta eſt Cenſura. Quùm idem typus in Aurelia, Pomponia, Poplicia & Porcia gentibus, cum nominibus illorum Cenſorum occurrat. Quod factum tribuimus in Aureliæ gentis den. 12. ob res bene geſtas in Hiſpania, ut videtur; hoc anno à C. Valerio Flacco Proconſule, ob cujus victoriam decretæ ſunt à Senatu ſupplicationes, & ipſe Imperatoris nomen retulit, ut videbimus in gente Valeria. Vide quæ ibi diximus, & in Domitia gente etiam proferemus.



COSSUTIA.

COSSUTIA Equestris Familia & dives. Cossutius à voce Cossus videtur dictus; Cossus autem vocatus est rugosus, vermis instar.

I.

CAESAR PARENS PATRIAE. Caput Julii Cæsaris velatum & laureatum, pone quod apex, & antè lituus, C. COSSVTIVS MARIDIANVS. per transversum, & circa, AAA. F. F.

C. Cossutius, qui filiam Cossutiam Julio Cæsari adhuc prætextato annorum 17. desponsaverat, postquam illam dimisisset Cæsar, ut Corneliam Cinnæ Consulis filiam duceret uxorem, admodum dives Maridium adoptasse videtur, qui juxta adoptatorum morem nomen produxit, & vocatus est C. Cossutius Maridianus. Hic à Cæsare rerum potito factus est Quartumvir Monetalis; qui è trium numero ad ampliandos minores magistratus, quatuor creaverat; & ejus effigiem signavit; nam ut ait *Dio*, inter honores illi decretos, pecuniam ipsius imagine signarunt. Cossutius, ut Cæsar erat Pontifex Maximus, eum velatum exhibuit, cum apice & lituo, sacerdotii symbolis, & addit lauream, quæ illi perpetuò concessa est, ut & illud elogium, PARENS PATRIAE, teste ipso *Dione*, *lib.* 44. Πατέρα τε τὸν αὐτὸν τῆς πατρίδος ἐπωνόμασαν.

II.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Julii Cæsaris laureatum & velatum: in aversa parte, C. MARIDIANVS. Venus stans, d. Victoriam, s. cubito innixo clypeo, supra globum posito.

C. Maridianus, prætermisso nomine familiæ Cossutiæ, in quam adoptatus fuerat, prolongato tantùm gentis suæ Maridiæ, cujus magnum est apud *Autores* silentium, se Maridianum inscripsit; effigiemque Julii Cæsaris, sed sub alio titulo nempe Dictatoris perpetuò, quem accepit an. U. C. 710 exhibuit; nam quùm Dictaturam anno præcedenti quartam accepisset, ut testantur ejus denarii, at quùm posteà in decennium ei concessa fuisset, illam Monetarii *Perpetuò* inscripserunt, quia non ut ad tempus Remp.

con-

conſtitueret, ſed ut quam diù poteſtate Dictatoria regeret & adminiſtraret.

Venus in Julii Cæſaris denariis percuſſa erat, ad indicandam ejus ab hac dea originem. Ille autem genus deduxiſſe ſe jactabat ab Julo Æneæ nempe filio, quem Anchiſes pater ex Venere genuerat. At poſtquam Pompeium vicit, qui ædem Veneris Victricis in theatro ſuo dedicaverat; ille jure & merito ſuam Venerem appellavit Victricem: nam initurus cum illo prælium, ut narrat *Appianus*, ædem deæ vovit in urbe ſacrandam, ſi propitia juvaret victoriam; & Venerem dat ſuis pro teſſera, quam item dedit ad Cordubam. Ideò Victoriæ ſignum tenet, & innititur clypeo ſuper globum, ad indicandum per hunc victoriis ſuis, orbi Romano præeſſe.

III.

SABVLA. Caput Meduſæ, cum alis & ſerpentibus: in averſa parte, C. COSSVTI. C. F. Bellerophon in Pegaſo, d. haſtam vibraturus.

C. Coſſutius Maridianus *Urſino* videtur eſſe Julii Cæſaris ſocer: ſed ratio temporum potiùs illum eſſe ejus filium denotat, & quidem adoptivum, & C. Coſſutium Sabulam eſſe legitimum, quem ut hic demonſtraret, agnomen gentis ſuæ adſcribit, ille adoptionis productum.

Bellerophon in Pegaſo ad Corinthum coloniam à Julio Cæſare deductam an. 709. pertinere videtur, de qua *Dio, lib.* 43. Corinthum verò Carthaginemque urbes antiquas, ſplendidas, illuſtres, „ quæ jam perierant, Colonias Romanorum reduxit. Nam Bel- „ lerophontem Corinthii, ut heroem ſuum, in Pegaſo pro ſymbolo accepere, utpote qui equum conſcendere primus docuit; inde depictus cum equo alato. Alii quod Iſthmicis ludis equo viciſſet, illum equum volantem conſcendiſſe dixerunt.

In anteriore denarii parte Meduſæ caput exhibetur, ut Pegaſi mater credita: nam aiunt, præter alias formæ inſignis dotes, capillos habuiſſe proximè ad auri colorem accedentes: quorum ſplendore captus Neptunus in Minervæ templo cum ea concubuit, unde Pegaſus equus natus eſt. Quam injuriam Minerva gravi ac iniquo animo ferens, Meduſæ crines, quibus maximè amatori ſuo placuerat, in angues mutavit.



CREPEREIA.

CREPEREIA gens Equestris Familiæ ex *Cicerone, lib.* 1. *in Verrem*, nomen habuisse videtur à Crepera, re dubia apud *Nonium, cap.* 1. unde Creperum bellum, anceps. Cognomen Rocus, an à rocca, quæ est apud *Calepinum* colus, quod gentis autor illam fortè tractaverit.

I.

Caput Veneris Anadyomenes, dorso nudo, & capillis supra illud sparsis: ex aversa parte, Q. CREPER. M. F. ROCVS. Neptunus in curru, à duobus equis marinis tracto, d. tridentem tamquam vibraturus, s. habenas equorum.

II.

Alter cum eodem capite & typo, sed hac epigraphe CREPEREI. ROCVS.

Q. Crepereius hunc denarium percussit, & Marci filius in eo nominatur. An fuerit filius Marci illius qui inter graves judices commemoratur *Ciceroni, in Verrinis*, videant Eruditi. De illo, inquit *Fulvius*, „ ex iis quæ in his denariis impressa sunt conjice„ re possumus, Q. Crepereium, vel aliquem ex ejus Familia, rem mari prosperè gessisse : nam Crepereius Venerem Anadyomenem, quasi ex mari exeuntem, in anteriore denarii parte expressit, nudo dorso, capillis supra illud sparsis. Aphrodite alio modo à Græcis appellatur : hanc Poëtæ ex spuma maris & Cæli testiculis natam fabulantur, à Saturno excisis, & in mare projectis: unde & ἀπὸ τῦ ἀφρῦ, hoc est, à maris spuma, Aphroditem appellarunt, *Ovidius*

—— *Venus orta mari mare præstat eunti.*

Unde *Cicero, de Natura Deorum*, quatuor Veneres proferens, de illa, inquit, altera spuma creata; & *Plinius, lib.* 35. Venerem, ait,

ait, exeuntem è mari D. Auguſtus dedicavit in delubro patris Cæſaris, quæ Anadyomene vocatur.

Neptunus maris deus habitus, in curru à duobus equis marinis tracto pingitur, cujus auxilio & ope Crepereius hoſtes vicit, & eorum claſſem profligavit: in cujus memoriam illum in averſa denariorum parte exhibuit.



CREPUSIA.

CREPUSIA gens, Plebeia videtur, ex eo quod tam parum nota ſit, ut illius nulla apud Scriptores mentio. Dubitare quis tamen poteſt quod ejus nomen à Crepuſculo veniat, nam apud *Varronem*, *lib.* 5. Id, inquit, vocabulum ſumpſerunt à Sabinis, unde veniunt *Crepuſci*, quod eo tempore erant nati, ut *Lucii* prima luce in creatione.

I.

L. CENSORINVS. Caput Libertatis : in averſa parte, P. CREPVSI. C. LIMETA. Figura muliebris in bigis, ambabus equi habenas, cum pileo in ſiniſtra.

II.

Idem typus, tantùm in nominum poſitione averſæ partis diverſus eſt.

P. Crepuſius cum L. Cenſorino ex Marcia gente, & C. Limetano ex Mamilia, in eodem denario nominatus, illum cum iis Triumvirum Monetalem fuiſſe denotat, quùm tres ſimul hunc minorem cudendæ monetæ magiſtratum gererent, ſed illi per Libertatis caput in anteriore parte expreſſum, P. Romani libertatem indicandam eſſe, ut & per ipſam deam ambabus regentem in poſteriore, & pileum ſolemne ſymbolum, omninò teſtantur. Vide in Mamilia & in Marcia gente.

III.

Caput Jovis Anxuris laureatum, pone quod ſceptrum : in averſa parte, P. CREPVSIVS. Eques.

Urſinus figuram equeſtrem, in poſteriore denarii parte expreſſam, in alicujus Crepuſiorum honorem fuiſſe erectam, exiſtimat, cujus memoriam renovare voluerit P. Crepuſius, non verò ut Triumvir Monetalis nummum percuſſit, nam in eo aliorum nomina

nomina desunt, sed in Quæstura, quam antea gessisse videtur, licet nulla sit apud Historiæ Scriptores illius magistratus mentio, nec in illo denario ulla sit nota?

Jupiter* Axur, id est, sine novacula, seu imberbis in Campania cultus, ut & Terracinæ, & in hoc tractu, ut sæpe diximus, an ad indicandam Crepusiorum originem esset appositus.

Notandum, quod secundum in *Ursino* denarium prætermisimus, & eum ad Fanniam gentem, ad quam pertinet, revocavimus.

* Anxur *in denario pro* Axur.

CRITONIA.


CRITONIAM gentem esse Plebeiam constat, ex eo quod L. Critonius fuit Ædilis plebis, cujus denarium infrà sumus descripturi. Nullum præfert ipsa cognomen.

AED. PL. Caput Cereris, spicea corona ornatum : ex altera parte, M. FAN. L. CRITO. Duo Senatores, togati, sedentes; post eos, A. P. & ante spica.

De Critonio mentio est apud *Ciceronem epist.* 21. *ad Atticum, lib.* 13. his verbis. „ De Pansa etiam si quid certius; credo enim pa- „ lam factum esse de Critonio, si quid esset, certè ne de Me- „ tello & Balbino. Tribunus Plebis fuisse videtur, anno $^{706.}_{7}$ sed *Appianus* egregiè denarium illustrat, qui eum Ædilem Plebis fuisse scribit, Antonio & Dolabella Coss. anno $^{709.}_{10}$ Denarius quidem eum cum M. Fannio Collega annonam procurasse, & argento publico, ut produnt litteræ A. P. frumentum ex provinciis in Urbem asportari curasse, satis demonstrat, quùm eos sedentes pro ejus ad populum distributione, ut indicat spica ante eos signata, & Ceres in anteriore parte, quæ dea frugum ab antiquis existimabatur, quùm eas serere Triptolemum docuerit. Id omninò confirmat inscriptio, AED. PL. id est, *Ædiles Plebis.*

Appianus Critonium in Ædilitate ludos, ut moris erat, celebrasse nos docet; quùm in iis quos parabat, Cæsar Octavianus Sellam auream, at coronam auream juxta Senatus decretum, apponere statueret, neutiquam se permissurum ait, ut ad suas impensas Cæsar coleretur. Cæsar eum ad Antonium duxit, ut ad Consulem; hic ad Senatum se relaturum dixit; Cæsar indignatus: Refer, inquit: ego interim sellam proponam; quod Antonius exasperatus prohibuit.

CU-



CUPIENNIA.

CUpiennia gens Patricia ne an Plebeia fuerit, incertum. Fortè à Cupia dicta, cujus etiam apud *Historicos* nulla mentio.

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod cornucopiæ: in aversa L. CVP. in imo ROMA. Castor & Pollux, decurrentes.

Cicero meminit patris C. Cupiennii, *in epist.* 20. *lib.* 16. *ad Atticum*, quam ad eum scribit his verbis: Patrem tuum plurimi feci, meque ille mirificè, & coluit, & amavit. Unde colligere possumus denarium hunc forsan ad illum spectare, qui Lucius appellaretur, ut ejus profert epigraphe. Solitus autem denariorum typus, cum Romæ capite & Dioscuris in aversa parte, hoc tempore percussus, conjecturam confirmat.

II.

Caput Jovis laureatum & barbatum, cum nota S. in aversa, C. CVP. in imo ROMA. ad latus S. Navis.

C. Cupiennius inscribitur in nummo æreo. *Cicero* rescribit C. Cupiennio: an igitur ei illum adscribemus? Suadet quidem nomen, & nummi forma, si secundæ formæ est, sed si minutæ, nam eum non vidimus, ad antiquiorem spectat, nempe ad illius avum, qui & Caius nominari ut ipse potuit, revocant. Ut ut sit, in eorum alterutrius Quæstura signatus, quùm Quæstores monetæ cudendæ curam haberent; unde etiam vocabantur curatores denariorum flandorum. Nota S. indicat nummum pro semi asse mutari. Jupiter modò pro Jano bifronte paulatim expressus, imò frequentiùs in semi assibus.

CURIATIA.

CURIATIA gens Plebeia, ab Albanis profecta; à Tullo rege in civitatem adſcita; ut indicant Curiatii trigemini cum totidem Horatiis Romanis, iiſque trigeminis, ut tradunt *Livius, lib.* 1. & *Dionyſius* 3. à Curia fortè dicta.

I. II.

TRIGE. Caput Romæ galeatum : in averſa parte, C. CVR. in altero, C. CVR. F. in imo ROMA. Diana lucifera in quadrigis decurrentibus, d. habenas, ſ. tædam ardentem, coronatur à Victoria ſupra currum ſtante.

C. Curiatius Trigeminus cognomine, Publii filius, & Sexti nepos, Quæſturam Provincialem accepit, anno $^{610.}_{1}$ & hunc denarium percuſſit, in quo victoriæ alicujus Familiæ ſuæ memoriam revocare voluit, dum eum in quadrigis à Victoria coronatum exhibuit. Sed quùm plurima *Hiſtoriæ Romanæ Monumenta*, deperditis libris, in tenebris jaceant, quis fuerit ille Curiatius, ignoratur. Trigemini cognomen habere videtur gens Curiatia ob certamen trium fratrum contra tres alios Horatiæ gentis.

III.

Caput Jovis laureatum & barbatum cum nota S· in averſa parte, C. CVR. F. in imo ROMA. ad latus S. Navis.

Inſcriptio C. CVR. F. id eſt, Caius Curiatii filius, non ita in nummis Romanis frequens eſt, quùm prænomen patris potiùs quàm gentis nomen ſcribere conſueverint, porrò ad eumdem C. Curiatium ſpectare nos edocet. Hic verò Tribunatum Plebis geſſit, an. $^{615.}_{5}$ ſub P. Cornelio Scipione, Serapione, & D. Junio Bruto coss. quos in carcerem conjici juſſit, quod militum delectum ſeverius facerent, & quùm Scipio duceretur, per ludibrium irriſit, & Serapionem appellavit, quod Victimario cuidam ſimilem haberet faciem. Vide *Ciceronem, lib.* 3. *de Legibus. Val. Maximum, lib.* 3. *cap.* 7. *& Plinium, lib.* 7. *cap.* 12.

De

De Jove & navi ſæpiùs dictum, ut de nota s. pro ſemi aſſe.

IV.

Caput Herculis, pelle leonina amictum, cum tribus globulis: in averſa parte. C. CVR. F. tres globuli & navis.

Tres illi globuli monetæ pretium deſignant, & pro quarta aſſis parte mutari denotant, quæ quadrans appellabatur, ex tribus unciis olim conſtans, dum as libram pendebat; ſed tandem ille ſecundo bello Punico ad unciam imminutus eſt, & ſic drachmas duas aſſequitur. Monetarii in minutis illis æreis monetis Herculem, Romæ Numen antiquum, pro Jano aut Jove ſignare cœperunt.

V.

Caput Romæ galeatum, cum tribus globulis, ut ſuprà: in averſa parte, C. CVR. F. in imo ROMA.

Iidem globuli, idem monetæ, ut in ſuperiori nummo, pretium deſignant, nempe quadrantem, id eſt, quartam aſſis partem, ſeu quartam unciæ partem, ad quam bello Punico ſecundo as libralis fuit reductus. Romæ caput tandem in nummis æreis, ut in denariis argenteis, exprimi cœpit, quùm minuta moneta, ut triens & dodrans ad commercii uſum percuſſa eſt.



CURTIA.

CURTIA gens, de qua nobis ſuperſtites ſunt nummi, Plebeia, utpote quæ Tribunos Plebis habeat. Nomen deſumptum à verbo curtus.

I.

Q. CVRT. Caput Romæ galeatum: in averſa parte M. SILA. in imo ROMA. Jupiter in quadrigis currentibus, nudus, d. erecta fulmen vibraturus, ſ. haſtam ſeu ſceptrum.

Q. Curtius in denario ſcriptus cum M. Silano, de quo in Junia gente nobis erit ſermo, Quæſturam accepit, anno 618/9 Collegas fuiſſe denotat ille, ſed potiùs in Triumviratu Monetali, ut in ſequentibus nummis videbimus, quam in aliis Magiſtratibus, in quibus ſine eorum dignitate præſcripta ſimul conjuncti non prodibant, ut AED. CVR. vel AED. PL. aut COS. vel cum eorum figuris ſtantibus aut ſedentibus delineati. Hi tamen Quæſturam eodem anno, ut arbitramur, Provincialem obtinuerunt, eodemque anno 623/4 Tribuni Plebis recenſentur. Anno verò 629/30 Prætores Urbani inter cives & peregrinos juriſdictionem ſortiti ſunt. De Romæ capite & Jove in quadrigis, ſolito denariorum ſymbolo, ſat dictum.

II.

CN. DOMIT. Caput Jovis barbatum & laureatum ; pone quod nota S. in averſo latere. M. SILA. Q. CVRTI. temo navis.

Q. Curtio & M. Silano additur in hoc æreo nummo Cn. Domitii nomen, quod ut priorem denarium à Triumviris Monetalibus percuſſum fuiſſe exiſtimemus, ſatis nos ſollicitat; nam in hac nummorum Familiarum Romanarum ſerie, non ſemel aliquando tantùm duorum Triumvirorum nomina pro tribus, exarata deprehendimus, at quo anno illi tres hunc mino-

minorem Magiſtratum geſſerint, difficile eſt pronuntiare, quùm illius mentionem ne quidem faciant *Hiſtoriæ Scriptores*, & quem *Numiſmata* antiqua nos edocent.

De Jove cum nota eſſe ſparſim ſolito ferè aſſis ſemi ſymbolo diximus : ſed magis novus eſt in iis typus quàm temo, niſi dicamus pro frequente nummorum inſigne navi, hîc exhiberi, aut pro uſu militum qui in navibus eſſent.

III.

CN· DOMI. Caput Herculis, pelle leonina amictum : ex averſa parte Q. CVRTI· M. SILA. ſagitta, clava, & arcus.

Redeunt eadem Q. Curtii, M. Silani, & Cn. Domitii nomina, cum Herculis effigie ex anteriore ærei illius nummi parte, & illius ex altera inſignibus. Hercules, ut inter primos deos à Romulo accitos, à Monetatiis poſt Janum, & poſteà Jovem, ut tutelare Numen, in nummis percuſſus eſt; ſed frequenter cum ſolito navis typo ex Jano aſſumpto. Hic verò illius arma, nempe clavam, arcum, & ſagittas exhibet, de quibus *Apollodorus*, *lib.* 2. Hercules, inquit, per Eurytum ſagittandi peritiam anteà conſecutus, „ enſem à Mercurio, ab Apolline ſagittas, à Vulcano thoracem „ aureum, & à Minerva peltam accepit· Nam clavam ipſe ſibi in „ Nemea ſilva cæſam comparavit.

IV.

CN. DOMIT. Caput muliebre : in averſa parte Q· CVRT. SILAN. Lyra.

Patinus in addendis pag. 311. hunc nummum exhibet : de quo ita loquitur· Videtur ad ludos ſæculares pertinere, quos in honorem Apollinis & Dianæ exhiberi per ſæcula ſolitos nemo non novit. Caput muliebre eſſe Dianæ ſupponit, ſed nulla ejus deæ ſunt in eo ſymbola. Porrò noſtros Triumviros Monetales, Q. Curtium, M. Silanum, & Cn. Domitium eodem anno fuiſſe in Magiſtratu, priores nempe Q. Curtium & M. Silanum anno $^{623.}_{4}$ Tribunatum, Plebis geſſiſſe, & Cn. Domitium Ædilem Plebis fuiſſe, reperimus. At quùm ex Commentariis xv. Virûm quartos ludos ſæculares M. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreſte celebratos fuiſſe Cenſor refert, anno $^{617.}_{8}$ ut ipſe ſupputat. Triumviri noſtri hoc etiam anno Monetariæ rei præfuiſſe potuerunt. Si quidem Q. Curtius & M. Silanus

posteà iidem anno $^{619.}_{20}$ Prætores Urbani memorantur.

Si verò *Patini* non arridet opinio, quùm Dianæ effigies esse dubitetur; an Maiæ Mercurii matris caput, quæ cum lyra filii invento conjungitur? Nam quùm Mercurius primùm lyram fecisset in Cyllene monte Arcadiæ, septem chordas instituisse refert *Hyginus*, ad Atlantidum sororum Atlantis Arcadiæ Regis filiarum numerum, quòd Maia una ex illarum numero esset, ejus mater ex Jove. Et sic Triumviri monetales in hoc nummo ambos conjunxisse, ad indicandum quod mense Maio Mercatores Maiæ pariter ac Mercurio sacrificant, in memoriam Mercurii ædium Idibus hujus mensis dedicaturam, ex *Livio*, an. U. C. $^{259.}_{60}$ quam diem etiam ipsi Triumviri celebrarent, quod Mercurius commercii esset pater, & moneta esset ejusdem mater, nam per monetam omnes merces comparantur.

V.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, C. CVRT. Navis. Ex *Thesauro Regio*.

Caius ille Curtius videtur esse qui ex Peduceia gente in Curtiam est adoptatus, & inde C. Curtius Peduceianus fuit appellatus, ut videmus apud *Ciceronem, ep.* 59. *lib.* 13. *Famil.* M. T. C. CVRTIO PEDVCAEANO PRAETORI. S. D. Hic Quæsturam Provincialem accepit, anno $^{694.}_{5}$ in qua hunc æreum nummum secundæ magnitudinis signavit pro asse, cum Romæ effigie & navi, solito hujus temporis typo.

Hîc observandum duximus, ut Peduceius ille in Curtiam gentem adoptatus est, *Asconius Pædianus in Scaurianam*, meminit alterius Curtii in gentem Peduceia adoptati, & T. Peduceius Olenas Curtianus est appellatus. Quæstor Provincialis ante tres annos, nempe $^{691.}_{2}$ quasi alter alteri ex illis Familiis in adoptionem eodem tempore datus sit, ex quodam pacto.

C. Curtius post Quæsturam Provincialem factus est Ædilis Plebis, anno $^{700.}_{1}$ & tandem Prætor Urbanus inter cives & peregrinos jurisdictionem sortitus est, anno $^{703.}_{4}$ ut ex *Epist. Ciceronis supra laudata*, colligitur.

DI-



DIDIA.

DIDIA gens Plebeia, ſed Conſularis; quippe Didia Lex Sumptuaria à Didio Plebis Tribuno lata eſt, poſt Fanniam duodeviginti annis: ex *Macrobio lib.* 3. *Saturn.*

I.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte, T. D. ſupra litteram T. gallus gallinaceus eſt; in litterarum medio Luna bicornis, ROMA. Diana cum creſcente Luna in capite, bigas agit, d. facem accenſam.

Has litteras T. D. initiales interpretamur, TITVS DEIDIVS. Is Sexti filius Quæſturam Provincialem ſuſcepit, anno $^{605}_{6}$ quo denarium percuſſit. Tribunus Plebis, anno $^{610}_{11}$ Legem Sumptuariam tulit: cujus duplex cauſa fuit. Prima, ut non ſola civitas Romana, ſed univerſa Italia, Lege Sumptuaria teneretur. Secunda, ut non modò qui convivia majore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad ea vocati eſſent, atque omninò interfuiſſent, pœna Legis tenerentur, ex *Macrobio Sat.* 3. *cap.* 17.

Poſt Tribunatum Plebis, Didius Siciliam ſortitus Prætor obtinuit. Diana lucifera in bigis ſignata videtur, ad denotandam militum diligentiam & vigilantiam, nam illa facem præfert, ut Luna, ad arguendum omni hora militem ad arma eſſe promptum. Quod confirmat gallus gallinaceus, qui exoriente illa, quaſi divino quodam ſpiritu afflatus, bacchari atque exultare fertur, apud *Ælianum, lib.* 4. *cap.* 29. Oriens autem Sol ipſum numquam fallit, tum vehementiſſimè vocem contendit, & quidam ad horas omnes cantando vincere videntur.

II.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex averſo latere, T. DEIDI. Centurio plectit militem.

Patri ſuccedit filius; Titus autem Didius Titi filius fuit & Sexti nepos; primùm Quæſturam Provincialem ſuſcepit, anno

no $^{627.}_{8}$ Ædilis Plebis fuit, anno $^{635.}_{6}$ Prætor Urbanus Quæſtionem rerum capitalium obtinuit, anno $^{638.}_{9}$ Provincialis Illyricum ſortitus eſt, anno $^{639.}_{40}$ quo Porcius Cato Conſul à Thracibus profligatus, & quaſi exercitus totus internecione deletus eſt. At quùm Scordiſci, ferociores Thraciæ populi, victoria inſolentes in Illyricum, & uſque ad mare vagarentur, eos repulit in Thraciam.

Sæviſſimos fuiſſe Scordiſcos refert *Florus*, *lib.* 3. *cap.* 4. crudeliter in captivos ſævire, litare diis ſanguinem humanum, bibere in oſſibus capitum, & ejuſmodi ludibrio fœdare mortem tam igne quàm fumo. Quæ omnia terrebant milites, ita ut quidam caſtra deſererent. Quos retinuit Centurionum in illos animadverſio, quam Didius in denariis expreſſit, ut exercitum malè obtemperantem in officio caſtigatione retinuiſſe, & tandem victoriam retuliſſe, denotaret.

III.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte, T. DEIDI. T. F. Figura togata in quadrigis triumphalibus, d. equorum habenas, ſ. lauream.

T. Didius prorogatum habuit Provinciæ imperium, in adventum Cn. Papirii Carbonis Conſulis, cui Illyricum fuit decretum, anno U. C. $^{640.}_{1}$ At quùm Scordiſcos, Thraciæ ſæviſſimos populos, repreſſiſſet, & Provincias Romanas populantes, in ſedes ſuas cum ſtrage repuliſſet, ipſi triumphus ex iis fuit conceſſus; præſertim quùm Thraces Catonem Conſulem deviciſſent. Ejus Didii triumphi meminit *Cicero*, *in Oratione contra Piſonem*, & *Columnæ Triumphales.*

T. DIDIVS C T. F. SEX. N. PROPR. AN. DCXL. DCXLI. *Varr.*
DE SCORDISCEIS EX MACEDONIA.....

Poſt Triumphum de Scordiſcis Didius Conſulatum geſſit cum Q. Cæcilio Metello nepote anno 655. Ipſi Provincia citerior obvenit, cui prorogatum eſt Imperium, & ob res feliciter contra Celtiberos geſtas de iis triumphavit, ut teſtantur *Marmora Capitolina.*

T. DIDIVS T. F. SEX. N. PROCOS. AN. DCLX. DCLXI. *Varr.*
EX HISPANIA DE CELTIBEREIS IIII. IDVS IVN.

Didius

Didius in quadrigis triumphalibus, lento passu gradientibus, exhibetur togatus lauream gerens; an de Scordiscis, an de Celtiberis triumphum Didii exhibeat denarius, ambigitur.

IV.

P. FONTEIVS CAPITO III. VIR. CONCORDIA. Caput velatum Concordiæ. T. DIDI. IMP. VIL. PVB. Ædificium, duplici ordine columnarum.

Ad T. Didium Consularem pertinet hic denarius, ut fert ejus inscriptio, & quidem cusus post Triumphum de Celtiberis, in quo bello Imperatoris titulum adeptus est: ut indicat *Sallustius* apud *Gellium*, *lib.* 2. *cap.* 27. Et si vera nostra est conjectura, de manubiis Celtiberorum restaurata est labens Villa Publica, in cujus memoriam P. Fonteius Capito Triumvir muris, turribus, ædificiisque publicis reficiendis hoc anno creatus, hunc denarium cum nomine T. Didii, adjuncto Imperatoris titulo, percussit, ut ex ejus victoriis Villam Publicam fuisse refectam denotaret. Villa autem Publica, ex *P. Victore* erat in regione 9. Circus Flaminius dicta, in campo Martio, ubi primùm populi census actus est.



DOMITIA.

DOMITIA gens Plebeia, in duas Ahenobarborum & Calvinorum Familias divisa. An Domitius à domitu dictum? Cognomen Ahenobarbi gentis autori obvenit. Quùm aliquando rure domum reverteretur, occurrerunt illi juvenes duo formæ augustioris, Castoris nempe & Pollucis, jubentes nunciaret P. Romano victoriam, de qua incertum adhuc erat; at quùm non crederet, barbam ejus manibus demulserunt, eamque ex fusca flavam reddiderunt: unde Aenobarbus est appellatus: Calvinus à Calvo diminutivum.

I.

Caput Romæ galeatum: in aversa CN. DO. in imo ROMA. Castor & Pollux decurrentes in equis cum hastis.

Brevis *Inscriptio*, primis temporibus in denariis usurpata Romanis, suadet, ut antiqua ejus forma, ut illum Cneo Domitio Lucii filio & Lucii nepoti adjudicem, quem in sua Quæstura Provinciali anno 550/1 suscepta, percussit, cum solito Romæ galeatæ & Dioscurorum typo: nisi dicamus illos in memoriam proavi L. Domitii, cujus tacta barba ab iis ex fusca flava facta est, unde illi Aenobarbi cognomen, quod in posteros transiit.

II.

Caput Jovis barbatum & laureatum, cum nota S. in aversa parte, CN. DOMI. in imo ROMA. ad latus S. Navis.

Ad eumdem Cn. Domitium spectat hic æreus semi assis nummus, ut fert nota S. in eo ex utraque parte impressa, ut & pondus ex semuncia, quùm as libralis ad sextantarium, primo bello Punico, & uncialis factus secundo, anno 535/6 incœpto reductus est. Jupiter in semi assibus hoc tempore videtur à Monetariis sæpe

pe pro Jano bifronte ſignatus. Navis ad Jani memoriam manſiſſe videtur.

III.

Caput Herculis pelle leonina ornatum, cum tribus globulis: ex averſo latere, CN. DOM. in imo ROMA.

Forma, pondus, & typus, ut hunc etiam nummum eidem Cn. Domitio tribuamus, impellunt: tres illi globuli, in utraque ejus parte impreſſi, nummi pretium denotant; nempe eſſe quartam aſſis partem, quæ quadrans vocabatur, cujus meminit *Livius, in epitome pluribus locis.* Nihil mirum autem ſi Hercules inter præcipuos tutelares deos habitus ſit à Romanis, quùm *Ciceroni Tuſcul. Qu. lib.* 1. Hercules tantus & tam præſens dicatur deus.

Ex Quæſtura Cn. Domitius Tribunatum Plebis accepit, anno $^{555.}$ deinde Ædilis Plebis factus cum C. Scribonio Curione, anno $^{557.}_{8}$ Plebeios ludos per biduum inſtauravit, ex *Livio lib.* 35. Prætor Urbanus, anno $^{559.}_{60}$ Fauni ædem in Inſula Tiberina, ex *eodem Livio*, dedicavit. Conſul cum L. Quinctio Flaminio, anno $^{561.}_{2}$ Domitio extra Italiam, quo decerneret Senatus Provincia decreta eſt; poſteà in Galliam Ciſalpinam miſſus eſt, quam prorogato imperio tenuit uſque ad P. Cornelii Conſulis adventum, anno $^{562.}_{3}$

IV.

Caput Romæ galeatum, pone quod ſpica: ex averſa parte, CN. DOMIT. in vertice ROMA. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. habenas, ſub pedibus equorum; in area, homo nudus cum haſta pugnat contra leonem.

Cneus ille Domitius, qui denarium cudit, Cnei ſuperioris filius exiſtimatur. Is Quæſturam Provincialem iniit anno $^{577.}_{8}$ cooptatus eſt Pontifex in locum Q. Fabii Flacci, anno $^{581.}_{2}$ ex *Livio*, Tribunus Plebis factus eſt, anno $^{583.}_{4}$ Ædilis Curulis, anno $^{585.}_{6}$ In quo Magiſtratu leones exhibuiſſe vivos traditur, cum quibus Afri dimicare ſolebant, eos haſtis excipientes. *Urſinus* hanc venationem tribuit alteri Domitio, ex *Plinio, lib.* 8. *cap.* 36. ſub M. Piſone & M. Meſſala cos. anno $^{692.}_{3}$ Sed is qui tot Urſos in

Circo eo tempore dedit, vocatur Lucius Domitius qui Neronis avus fuit; hic verò Cnei prænomine in denario perhibetur. Spica retro Romæ caput, ad Ædilitatem ejuſdem Cn. Domitii ſpectat, quod in Magiſtratu annonæ copiam etiam procuraverit.

Domitius ita à Senatu æſtimatus eſt, ut inter 10. legatos, poſtquam Perſeus Rex Macedoniæ bello captus eſt, conſtituendæ Macedoniæ nominatus fuerit, anno 586/7 ante Præturam, quam poſteà tardè geſſit, anno 588/9 quod ante vitio factus fuerat. At anno 691/2 Conſules Cornelius, Scipio Naſica, & Marcius Figulus, vitio facti, abdicarunt, & in eorum locum facti ſunt Cn. Domitius Ahenobarbus cum P. Cornelio Lentulo.

V.

CN. DOMI. Caput Herculis, pelle leonina amictum : in averſa parte, Q. CVRTI. M. SILA. Sagitta, clava & arcus.

Tertius eſt hic ex ordine in Domitia gente prænomine Cneus, ſuperioris filius. Quæſturam Provincialem iniit, anno 616/7 Illum oppidò adoleſcentem factum fuiſſe Pontificem, ait *Livius*, *lib.* 42. alii Augurem, imò & illum Triumvirum Monetalem, cum M. Silano & Q. Curtio, declarant ipſius denarii, de quibus in gente Curtia diximus, nempe eos tres eodem tempore in Magiſtratu fuiſſe; ſed quo anno fuerint Triumviri Monetales, incertum.

De Hercule plura ſparſim retulimus; ut in gente Curtia ad hunc denarium. De clava, arcu & ſagitta illius armis & inſignibus.

VI.

CN. DOMI. Caput muliebre : in averſa parte, Q. CVRTI. Q. SILAN. Lyra.

Prodiit jam minutus ille nummus æreus in gente Curtia, quùm tria Monetalium Virorum nomina præferat, Domitii nempe, Curtii & Silani. Hoc muliebre caput *Patinus* eo loco Dianæ tribuit, & ad ludos ſæculares ſpectare auguratur, qui celebrati ſunt, ex *Cenſorino*, anno 627/8 quo tempore hi Triumviri Monetales Magiſtratum ſuum gerere debuerunt : nos autem diximus, quod ſi hæc ſententia non arrideat, videant *Eruditi*, an non ſit Maia Mercurii mater,

mater, cum lyra filii impressa in memoriam sacrorum Idibus Maiis *Festo* die eorum celebratorum. Capitis ornamentum ad deam haud dubiè pertinet.

VII.

Caput Romæ galeatum, ante quod vox ROMA: in aversa parte, CN. DOMIT. Quadrigæ triumphales, in quibus Proconsul togatus, d. palmam, s. scipionem eburneum, in cujus apice aquila & equorum habenas.

Ex Ædilitate Cn. Domitius ad Præturam Urbanam accessit, anno $^{626.}_{7}$ Peregrinam sortitus est, anno $^{627}_{8}$ Consulatum cum C. Fannio Strabone obtinuit, anno $^{631.}_{2}$ Domitio Gallia Transalpina, & bellum cum Allobrogibus obvenit, ei prorogatum est imperium, anno $^{632.}_{3}$ quo anno ad oppidum Vindalium, ubi Sulga Rhodano miscetur, cum Allobrogibus, Arvernorum rege Betulto, gravissimo conflixit prælio, & Regem posteà captum nave Romam misit, & de Arvernis triumphavit, ut testantur *Marmora Capitolina.*

CN. DOMITIVS CN. F. CN. N. AHENOBARB. A. DCXXXIII. DCXXXIIII. *Varr.*
PRO. COS. DE GALLEIS ARVERNEIS XVI. K.....

Denarius verò in ejus triumphi memoriam percussus cum quadrigis, lento passu gradientibus, in quibus Cn. Domitius palmam ex victoria præfert, & in læva scipionem eburneum, in cujus apice aquila visitur, Consulum & Proconsulum insigne. *Suetonius in Nerone*, Familiam Domitiam unum triumphum obtinuisse narrat, qui locus de hoc intelligendus videtur.

Post triumphum creatus est Censor cum L. Cæcilio Metello Delmatico, anno $^{638.}_{9}$ acerba quidem fuit eorum censura, duos & triginta Senatu moverunt, lustrumque fecerunt LXII.

VIII.

Caput Jovis Capitolini laureatum, pone quod S. C. in laurea: in aversa parte CN. DOMIT. CN. F. AHENOBARB. Sella Curulis, supra quam fulmen.

Cn. Domitius post Tribunatum Plebis gestum, anno $^{622.}_{3}$ Ædilis

lis Plebis fuit anno ſequente 623/4. in quo Magiſtratu hunc percuſſit denarium, in memoriam ludorum Magnorum, qui Jovi Optimo Maximo Capitolino quotannis edebantur ab Ædilibus Curulibus. Ideò in illo Sellam Curulem, Magiſtratus ſui inſigne expreſſit, cum fulmine deſuper ad denotandum ſe illam in Jovis templo geſtaſſe. Pone caput Jovis Capitolini nota S. C. denarium ex argento ad impendia ludorum illorum decreto, fuiſſe percuſſum denotat. Corona laurea, in qua Jovis caput, eſt ſignata, ut & ipſe laurea inſignis conſpicitur, quod Jupiter omnia vincere putaretur, & laurus victori præferebatur; unde litteræ quæ victoriam denunciarent, laureatæ dictæ ſunt, ita & faſces laureati.

IX.

Caput Veſtæ velatum ante quod ſimpulum : in averſa parte, L. DOMIT. CN. F. CN. N. AHENOBARB. Sella Curulis ſupra quam corona.

L. Domitius Cn. filius, Cn. nepos inſcribitur, & Cnei Domitii ſuperioris filius natu major, ita ut poſt tres Lucios ordine tres Cnei pariter illos ſequuti ſint; deinde alternantes, nam ii tantùm Lucii, & Cnei prænominibus uſi ſunt. Lucius Quæſturam ante eum iniit, anno nempe 643/4. nam Cneus illam tantum accepit, anno 644/5. Tribunus Plebis fuit, anno 647. Ædilis Plebis, 651. quo anno Sella Curulis indicat denarium hunc ſignaſſe, quùm ſit Ædilium inſigne. Caput autem Veſtæ ſacra Veſtalium eum procuraſſe denotat: quùm illi ſacrarum Ædium curam haberent. Sacrorum à Veſtalibus factorum indicium eſt ſimpulum ante caput Veſtæ percuſſum, quo vinum in ſacrificiis libabatur. Sacrum Veſtæ erat VI. die Martii, qui eſt pridie Nonas, & V. Idus Junii feriæ erant Veſtæ, dieſque Veſtalia dicebantur, qua die convivia paſſim ante focos agitabantur, & cibi Virginibus Veſtalibus à civibus mittebantur Deæ Veſtæ libandi. Corona ſupra Sellam Ædilis, eum Senatus P. Romani nomine Veſtæ prætuliſſe denotat.

Poſt geſtam Ædilitatem Lucius Quæſtionem Publicam obtinuit, anno 654/5. Provincialem adeptus ſortitus eſt Siciliam, an. 655/6. Conſulatum tandem cum C. Cælio Caldo geſſit, anno 659/60. duobus annis ſeriùs quàm Cneus frater iniit.

Hunc

Hunc denarium quidam ad L. Domitium fratris ſui Cnei filium, qui & Cn. F. Cn. N. fuit, revocant, ſed ut eum patruo tribuamus eadem denarii forma, & ejus temporis ſcriptura, impellit. Et quùm ille in Ædilitate magnificentiſſimos edidiſſe ludos *Plinius* & *Solinus* referant, in denariis ſub hoc Magiſtratu cuſis, eorum memoriam, potiùs quàm Sacrorum Veſtæ curam, à ſe factam ſignaſſet. Porrò in magna hac antiquitatis caligine vera pronuntiare difficile eſt

X.

Caput Minervæ, CN. DOMI. in vertice tres globuli, in averſa parte, ſcutum, in quo caput Gorgonæ.

Cneus filius fuit Cn. Domitii Cenſoris minor filius, & Lucii ſuperioris frater ; at ut illi hunc tribuamus nummum impellit Minerva , & ejus in averſa parte clypeus cum Gorgonis capite. Nam temporum ſucceſſu Quæſtores pro beneplacito Numina quæ colebant, ſignarunt *Cicero* in hoc fuiſſe, ait, popularem dictionem elegantem, cenſetque ſatis in eo ora- ,, tionis & ingenii, quo & Magiſtratus perſonam & Conſularem ,, dignitatem mereretur. Quæ ſanè mihi ſuadent, illum Minervam ſcientiarum deam coluiſſe potius quàm alii Domitii ſuperiores. Ei clypeum dedit pater ejus Jupiter cum Gorgonis capite, ut terroris imaginem tamquam ſapiens contra alios eam gereret ; & criſtam cum galea præfert, ut ſapientis cerebrum , & armatum ſit & decorum, teſte *Fulgentio*, *lib.* 2. Hunc nummum æreum, quadrantem dictum, ſignavit in Quæſtura ſua Provinciali, quam ſuſcepit, anno 644/5.

Poſt Quæſturam factus eſt Tribunus Plebis, anno 649/50 in quo Magiſtratu M. Junium Conſularem majeſtatis reum fecit, & M. Æmilium Scaurum Senatus principem in judicium Populi vocare, & multam ei irrogare non dubitavit, Legem de Sacerdotum Comitiis fecit, ei infenſus quod eum in Augurum Collegium, quo pater & avus cooptatus non fuerat. Sed tandem Populus, quod ad eum tranſtuliſſet Sacerdotum nominandorum jus, Pontificem Maximum hunc deinde nominavit, anno 651/2.

XI.

XI.

VESTA. Caput Vestæ velatum: ex aversa parte, CN. DOMIT. CN. F. in imo, L. MARCI. Q. F. Q. N. PHILIPPVS. in ambitu Sella Curulis, supra quam simpulum.

Sella Curulis & Cn. Domitii & Marcii Philippi nomina, eos simul Ædiles Curules fuisse demonstrant. Ædilitas Marcii Philippi notatur anno 652/3. & Collegæ nomen deest. At quùm ante tres annis Tribuni Plebis simul fuerant, ratio temporis suadet, ut Cn. Domitius cum eo Ædilis fuerit, sicut nummus hic argenteus nos edocet. Vestæ caput, sed præsertim simpulum supra Sellam Curulem, Sacra in Vestæ templo eorum cura celebrata fuisse significant: cujus rei memoriam suis sumptibus in denariis revocare voluerunt, quùm ex impensis publicis semper adsit nota S C.

Præturam Urbanam obtinuit Domitius, an. 654/5. Provincialem adeptus sortitus est Siciliam; & tandem Consulatum iniit cum Cassio Longino, anno 657/8.

XII.

Caput Romæ galeatum, M. AVRELI. ROMA. ex altera parte, SCAVRI. infrà L. LIC. CN. DOM. Vir nudus in bigis, d. hastam vibraturus, s. clypeum & baculum, in cujus apice caput asinum.

XIII.

Caput Romæ galeatum, L. COSCO. M. F. in aversa parte, typus idem.

L. COSCO. M. F. non R. ut est P. 363.

XIV.

Caput Romæ galeatum, C. MALLE. C. F. ex altera parte typus idem.

XV.

Caput Romæ galeatum, L. POMPONI. CN. F. ex altero latere typus idem.

XVI.

Caput Romæ galeatum, L. PORCI. LICI. in aversa parte, L. LIC. CN. DOM. typus idem.

Scauri

Scauri & L. Coſconii prodierunt, nunc illa viſuntur, cum C. Poblicio Malleolo, L. Pomponio, ut in eorum gente dicemus. Nunc quùm agatur hîc de Cn. Domitio, nobis ſermo de illo erit. *Urſinus* ſimul Cenſores L. Licinium & Cn. Domitium fuiſſe refert, ſed præter eorum nomina, ſemper adeſſe aliud, nempe Triumviri Monetalis. *Fragmentum Feſtorum Capitolinorum*, anno 651.2. Cenſores fuiſſe illos nobis oſtendit.

Censs Cn. Domitius CN. F. CN. N. AHENOBARB.
L. LICINIVS P. F. P. N. CRASSVS. Luſtr. Fec. LXVI.

Sed cur quinque illi Triumviri Monetales eumdem typum ſub iiſdem Cenſoribus ſignaverint, in Aurelia gente diximus, eos illum in memoriam victoriæ in Hiſpania à C. Valerio Flacco relatæ, ut in gente Valeria ſumus dicturi

Tandem Cn. Domitius Pontifex Maximus à Populo in vigorem Lege ſua renunciatus eſt, ut colligitur ex *Cicerone & Valerio Maximo*, & quidem anno 671.2. ut refert *Ant. Auguſtinus*; occiſus eſt bello Mariano.

XVII.

AHENOBARB. Caput Cnei Ænobarbi: in averſa parte CN. DOMITIVS IMP. Navis, ſupra quam trophæum.

Cneus Ahenobarbus Lucii illius filius fuit, qui magnificentiſſimos in Ædilitate ludos edidit, & Cnei Conſularis, Cenſoris & Pontificis Maximi nepos, Tribunatum Plebis accepit, anno 695.5. Præturam Urbanam inter Sicanos obtinuit, anno 699.700. Provincialem ſortitus eſt, an. 700.1. Poſt cædem Cæſaris damnatus inter ejus conſcios Lege Pedia, an. 710.1. quùm inſons eſſet, à Senatu claſſi præfectus eſt, quam aliquamdiu tenuit, de quo *Appianus*, *lib.* 5. Ænobarbus cum 70. navibus & duabus legionibus, adjuncta etiam ſagittariorum funditorumque manu, & nonnullis velitibus ac gladiatoribus, vagando per mare Ionium, vaſtabat regiones agnoſcentes Triumvirorum imperium; & quùm appuliſſet Brunduſium, triremes Cæſarianas partim cremavit, & Brunduſinis intra mœnia compulſis, agros deprædatus eſt. Qua de re Imperatoris titulum à militibus accepit, & denarios ſignavit, in quibus, in ejus rei memoriam, trophæum illud navale, ejuſque effigies, ut Marci Bruti exemplum imitaretur, expreſſa ſunt.

XVIII.

ANT. IMP. III. VIR. R. P. C. Caput Antonii Triumviri, pone quod lituus : in averſa parte, IMP. CN. DOMIT. AHENOBARBVS. Navis, ſupra quam in vertice aſtrum.

Cn. Domitius ad Claſſis imperium retinendum rebus ſuis diffidens, per Aſinium ad Antonii amicitiam pertractus eſt. Et quùm ambo certiorem illum feciſſent per litteras, Antonio commiſit; unde narrat *Appianus* , „ Claſſem ingentis meriti loco tradidit, „ ſoluſque omnium ex iis qui Lege Pedia damnati erant, reſtitu- „ tus in patriam, ampliſſimos honores percucurrit. Antonius eum Claſſis legatum fecit; unde Domitius mox Antonii nomine; & cum effigie ejus denarios percuſſit, ſe Imperatorem ſemper nominans, & Navem ut ſe Claſſi præfectum denotaret, ſignavit. In Antonia gente num. 27. Stellam navis quam conſcendebat, forſan nomen eſſe ſuſpicati ſumus.

Cæſari reconciliatus per Cocceium Nervam, quod eſſet cædes Cæſaris inſons, ſed Caſſium Brutumque, propinqua ſibi cognatione conjunctos, ſequutum eſſe affirmavit ; & ſic Ænobarbus cum poteſtate in Bithyniam miſſus eſt ab Antonio, donec fœdera redintegrarentur, & in ipſis cum Soſio deſignatus eſt Conſul, anno $\frac{719}{20}$ quem Romæ iniit, anno $\frac{721}{2}$ Et redintegrata diſſenſione inter Antonium & Cæſarem, hujus permiſſu ad illum tranſierunt Alexandriam; ſed poſt, quùm ante pugnam Actiacam æger deſeruiſſet Antonium, in itinere mortuus eſt, nonnulla & ipſe infamia aſperſus. Vide *Suetonium in Nerone*.

XIX.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica inter duos lauri ramos: in averſa parte, L. DOMITIVS AHENOBARB. III. VIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

L. Domitius Cnei ſuperioris filius, à Senatu factus eſt Duumvir monetæ cudendæ, & ſolitum typum cum quercea, & lauri ramis, in honorem Auguſto decretis, ex *Dione* , ut ſæpè protulimus, percuſſit, quo tempore incertum. Ejus Ædilitas creditur, anno $\frac{731}{2}$ quo *Suetonius in Nerone*, Cenſorem L. Plancum

via

via sibi decedere narrat. Præturæ functus est honore, anno $^{734.}_{5}$ Venationes in Circo, & in omnibus urbis regionibus dedit; munus etiam gladiatorium, sed tanta sævitia, ut & necesse fuerit Augusto clam eum frustrà monitum edicto coercere. Tandem factus cum P. Cornelio Scipione Consul, anno $^{737.}_{8}$ Legatus fuit Germanici in bello Germanico, & triumphalia ornamenta ex eo tulit. Ex Antonia majore, Triumviri filia, reliquit Cneum Domitium Neronis Imperatoris patrem.

XX.

PANHORMITANORVM. Caput senile Augusti radiatum : in aversa parte, CN. DOM. PROCOS. Capricornus in vertice, Triquetra in imo.

Domitiæ Familiæ Ænobarbi cognomine Consularis agmen claudet Cn. Domitius, L. Domitii superioris & Antoniæ majoris filius, comes ad orientem C. Cæsaris juvenis fuit; & per omnes gradus ad Consulatum pervenit, & in Prætura anno $^{771.}_{2}$ mercede palmarum aurigarios fraudasse tradit *Suetonius*, *in Nerone*. Proprætore Bæticam obtinuit, anno $^{780.}_{1}$ in qua Cordubam, quæ desciverat, recepit. Consulatum cum A. Vitellio iniit, anno $^{784.}_{5}$ Nummus verò cum Proconsulis nomine Siciliam administrasse nos edocet, quem Panormi percussit, de quo diximus in *lib. nostro de Coloniis pag.* 58.

Caput Augusti radiatum exhibuit, ut denotaret se ex ejus Familia originem trahere, de quo *Tacitus Ann.* 6. inter Tiberii progeneros recensetur, ad templi Augusti & scenæ Pompeiani theatri dedicationem. *Quatuor progeneri Cæsaris Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinucius, Rubellius Blandus delecti.* Ab altera parte visitur Capricornus, ut Augusti insigne, & in imo Triquetra ut Siciliæ symbolum, sed peculiare ejus urbis, si quidem alterum habemus Augusti nummum cum epigraphe ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ. & ipsa Triquetra. Porrò à tempore quo huic urbi jus civium Romanorum ab Augusto concessum fuit, Latinè illa scripsit nummos, ut videre est loco citato *pag.* 57. in Augusti & Liviæ honorem, & hunc in illius memoriam.

XXI.

Cn. DOMIT. M. F. CALVIN. P. ISAVRI. P. F. Caput Jovis Capitolini laureatum, EX S. C. fulmen cum clypeo transverso in medio coronæ ex quercu compositæ.

Ad Cn. Domitium Calvinum Marcii, de quo nihil reperimus filium, & Marci Prætoris Urbani, anno $^{645}_{6}$ nepotem, qui illum haud dubiè cudit, quùm esset Ædilis Curulis cum P. Isaurico P. filio. Nam caput Jovis ex una parte, & fulmen ejus symbolum in altera expressum, illos simul ludos Romanos seu Magnos edidisse denotant, qui quot annis in ejus honorem celebrabantur ab Ædilibus Curulibus, ut colligitur ex *Cicerone, lib.* 5. *Act.* 2. *in Verrem*, „ Mihi, inquit, ludos antiquissimos, qui primi Romani appellati „ sunt, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Miner- „ væque esse faciendos. In denario cum fulmine additur clypeus Minervæ, qui etiam erat Jovis, ex *Homero Iliad* 4. 5. ad locum *Ciceronis* confirmandum. Corona autem quercea illa est, quam Ædilis, Senatus nomine, in Jovis templo hac die deferebant: nam ut quercea illi concedebatur, qui civem servaverat, sic Jovi qui Romam perpetuò servaret, similis proferebatur: unde Jupiter dictus est Soter & Conservator in nummis Imperatorum. S. C. nota denarium ex impensis ad ludos celebrandos à Senatu factis percussum designat, seu potiùs illos ludos ex Senatuconsulto editos: nihil enim nisi ejus decreto Romæ peragebatur.

XXII.

CALVINVS. Caput Veneris, ante quod littera P. in corona ex lauro: in aversa CN. DOMIT. Victoria in bigis.

Cn. Domitius Calvinus ex Ædilitate ad Præturam Urbanam venit, an. $^{697}_{8}$ Quæstionem de ambitu sortitus est, Provincialem verò obtinuit, an. $^{698}_{9}$ & tandem Consulatum cum M. Valerio Messala, an. $^{700}_{1}$ In Magistratu Romæ propter Comitia vulneratus, & si post Consulatum Provinciam habuerit, obscurum est. In bello civili Cæsaris partes sequutus, & ab eo missus in Macedoniam legatus, rem gessit, anno $^{705}_{6}$ apud *Dionem*, *lib.* 41. Post pugnam Pharsalicam, quùm Cæsar esset in Ægypto, Pharnaces Pontum, Mithridatis patris sui regnum, occupavit. Contra illum à Cæsare missus, ab eo vincitur,

tur, anno $\frac{706.}{7}$ Consulatum iterùm iniit cum Asinio Pollione, anno $\frac{173.}{4}$ Cæsaris Triumviri auspiciis in Hispaniam profectus est, anno $\frac{714.}{5}$ ubi res benè gessit, & Militarem disciplinam restituit. Et quùm aurum coronarium ad triumphum dari solitum ab urbibus, à solis Hispanis, teste *Dione*, accepisset, denarios percussit, in quo caput Veneris in Cæsaris gratiam, ex qua jactabat se originem ducere, exhibetur, & corona ex auro facta satis ampla, cui addita est littera P. ad notandum illos ex ejus pecunia esse percussos denarios. Victoriæ in bigis solitum est argenteorum nummorum symbolum.

XXIII.

OSCA. Caput virile: in aversa parte, CN. DOM. COS. ITER. IMP. Simpulum, aspergillum, securis, & apex.

Ut superior denarius Hispaniæ caput & Domitii nomen, utpote in aliqua Hispaniæ civitate ex pecunia publica signatus, prodiit, sic alter cum voce Osca, denotat in hac urbe seu Arragoniæ aut Bæticæ sit, ut quibusdam placet, in Domitii honorem cum illustrioribus illius dignitatum titulis & typis esse percussum: nam in eo Imperator appellatus est, quem titulum in Cerretanis rebellibus populis reducendis meruit; & Consul iterùm appellatur, qui honos inter Romanos maximæ æstimationis erat. Instrumenta Pontificalia quæ in aversa denarii parte exhibentur, ad sacerdotium spectant, quod lege Domitia ab Urbe absens, dum res in Hispania gerebat, feliciter obtinuisse videtur. Caput in anteriore latere, vel ipsa Domitii effigies est, vel deus Oscæ urbis patrius. Osceneis argenti bigatorum ducenta quadraginta millia transtulisse M. Catonem Censorium in triumpho suo ex Hispania citeriore *Livius* narrat, *lib.* 34.

XXIV.

CN. CALVINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod vox ROMA: in aversa parte, duo clypei decussatim, cum hastis, galea, vexillo, & baculo, in cujus apice caput asininum, hæc verò in laurea.

Quæstores Urbani hunc denarium Romæ cudisse videntur ad impensas belli Hispanici, dum res contra Cerretanos gereret Domitius Calvinus; & quùm edocti fuissent, jam illum feliciter eas

gerere, capta illorum arma, tamquam ejus victoriarum trophæa, in denariis exhibuerunt. At licèt Hispania Cæsaris imperio tunc subesset, divisione inter Triumviros facta, tamen, inquit *Dio*, *lib.* 48. honores legatis tribui solebant ex sententia eorum, qui summam imperii tenerent, & sic triumphus Cn. Domitio Calvino concessus est, cujus mentionem faciunt *Marmora Capitolina.*

CN. DOMITIVS M. F. M. N. CALVINVS. AN. DCCXVII. DCCXVIII. *Varr.*
PRO. COS. EX. HISPANIA. XVI. K. SEXTIL.

DUI-



DUILIA.

DUILIA gens Plebeia, si quidem C. Duilius Tribunus Plebis jam ab anno U. C. $^{286.}_{7}$ nominetur, sed Consularis fuit: nomen autem desumpsisse videtur à voce Duello, quùm à *Polybio, Cicerone*, & *aliis*, antiquitus vocata fuit Duellia.

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in aversa parte, C. DVILI M. F. Castor & Pollux in equis decurrunt, cum hastis, astris supra caput ornati.

C. Duilius, in denario Marci filius, & in *Fastis Capitolinis*, Marci nepos appellatus, Quæsturam Militarem iniit, anno $^{482.}_{3}$ at quia hoc tempore nondum Romæ argentum signabatur, non potuit igitur in Quæstura Duilii denarius cudi; ex eo Magistratu ad Tribunatum Plebis accessit, $^{487.}_{7}$ anno postquam moneta argentea signari cœpit; sed Tribunis illius cudendæ potestas non erat commissa: ergo ille tantùm in ejus Ædilitate percussus videtur. Caput Romæ primus fuit denariorum argenteorum typus: nam deorum effigies tantum temporis successu impressæ sunt. Castor & Pollux, primæ etiam eorum aversæ partis notæ fuisse videntur; hi autem à Romanis culti, quod illis in prælio assistere vulgò crederentur.

II.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, C. DVILIVS. in imo ROMA. Neptunus in quadrigis decurrentibus, d. tridentem, s. equorum habenas tenet.

Ex Ædilitate ad Præturam, ex Prætura ad Consulatum pervenit, quem iniit cum Cn. Scipione Asina, anno $^{493.}_{4}$ Huic Classis contra Pœnos, Duilio Sicilia obvenit; Scipione autem ab illis per fraudem capto, Duilius Carthaginiensium Classem aggressus, eam contrivit cum Annibale ingenti prælio, quod legere est sparsim apud *Historiæ Scriptores*: unde illi à Senatu triumphus est decretus, ut testantur *Marmora Capitolina*.

C. DVI-

C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS. AN. CDXCIII. CDXCIIII. *Varr.*
NAVALEM. DE. SICVL. ET. CLASSE. POENICA. EGIT.
K INTERKALAR.


Adeò grata fuit iſtius triumphi memoria, ut mox cuſi ſint denarii, in quibus Neptunus, ut præcipuus maris deus, cujus ope & auxilio victoria illa navalis fuerat relata, quadrigas ipſe ageret: quùm tunc moris erat in averſa denariorum parte bigas aut quadrigas ſignare; unde illi bigati & quadrigati ſunt appellati, ut nummi in quibus Victoria depingebatur, Victoriati erant dicti.

III.

Caput Jani bifrontis barbatum: in averſa parte, Navis, in qua columnæ ſpecies videtur, C. DVILI. M. F. in imo ROMA.

Ab eodem C. Duilio eadem quæ ſuperior epigraphe denarium fuiſſe cuſum denotat: pondus quod habet ſextantarii, eum bello primo Punico, an. $^{485}_{6}$ incœpto, cuſum eſſe deſignat, quùm as libralis, ex *Plinio*, ad duas uncias reductus eſt, ſed uſque ad triumphum Duilii non videtur adhuc Reſpublica, ob belli calamitates & impenſas, ad id deveniſſe: imò *Tacitus, Ann* 2. narrat C. Duilium, qui primus rem „ Romanam proſperè mari geſſit, triumphumque navalem de „ Pœnis meruit, Jano templum extruxiſſe apud forum olito- „ rium. Quidam inde putant hunc nummum in ejus rei memoriam ſignaſſe; ſed eſt typus nummorum hujus temporis ſolitus, quem poſt Cenſuram initam an. $^{495}_{6}$ tandem ſignavit, quùm Dictaturam accepit, an. $^{522}_{3}$ Republica tunc, urgente Annibale, & amiſſis Claſſibus, ad pecuniæ reductionem coacta. Nec quia Duilio columna roſtrata ob victoriam Navalem in foro Romano extructa eſt, quæ ad Capitolii radicem, & arcum Septimii Severi, ſæculo præterito, reperta in Capitolio aſſervata, hodie viſitur, in navi poſitam exiſtimamus, quùm ea columnæ ſpecies in plurimis aliis nummis etiam occurrat.

DUR-



DURMIA.

DURMIA gens nova videtur, quùm datum eſt civitatis jus omni Italiæ, multæ Romam venerunt Familiæ, quæ ſenſim ad Magiſtratus pervenere.

I.

M. DVRMIVS III. VIR. HONORI. Caput Honoris : in averſa parte, CAESAR AVG. SIGN. RECE. Parthus genuflexus ſignum militare tenet.

M. Durmius ex nummi epigraphe, Triumvir fuit Monetalis, & quidem Auguſti & non Senatus: nam quùm ille Provincias Romanas cum Senatu partitus fuiſſet, monetam ei æream cudendam dedit: unde illius fuerunt Triumviri Monetales, ſed ſemper cum nota S. C. & in æreis tantùm nummis. Auguſtus ſuos etiam habuit, qui in denariis ſolùm aureis & argenteis occurrunt. Hic verò Durmius videtur fuiſſe eo anno, quo M. Aquilius extitit, quùm plurimos ſimiles typos ſignarint, nempe anno $^{734}_{5}$ poſtquàm Auguſtus ex Syria eſſet reverſus.

Primus hic exhibet Parthum ſupplicem & genuflexum, ſignum militare gerentem, *Dio lib.* 54. Phraathes quia nihil dum eo- ,, rum quæ pactus fuerat, perfeciſſet, veritus ne ab Auguſto ,, bello impeteretur, ſigna ei militaria, & captivos omnes, pau- ,, cis demptis, qui ſe præ pudore moti, interemerant, aut occultè remanſerant, miſit. In cujus memoriam Triumviri Monetales, hos denarios cum epigraphe SIGN. RECE. id eſt, *ſignis receptis*, quorum varii typi viſuntur, percuſſerunt. Quoad caput Honoris in anteriore parte expreſſum, an quod Durmius anteà Triumvir ſacris ædibus reficiundis cum eodem Aquilio, hic Virtutis caput, Durmius Honoris effigiem, cùm utriuſque templa ſimul ſint juxta, exprimere voluerit, vel potius quod ex *Dione* legimus, *lib.* 54. Feſtum quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eam diem, qua hodie agitur, tranſtulit.

II.

M. DVRMIVS III. VIR. HONORI. Caput Honoris. in averſa parte, CAESAR AVGVSTVS. Currus triumphalis, in imo S. C.

Hic typus pariter ab Aquilio Triumviro Monetali percuſſus eſt, in triumphi, à Senatu Auguſto, ob res in Syria geſtas decreti, memoriam; quem quùm recuſaſſet, ovans tantùm Romam ingreſſus eſt, ut refert *Dio, lib.* 53. ideò ipſe in quadrigis triumphalibus non exhibetur, ſed tantùm currus triumphalis; & adeſt nota S. C. non quod Senatus denarium hunc ſignari juſſerit, ſed ad denotandum quod ille triumphus Senatuſconſulto illi fuerat decretus. De Honoris capite dictum.

III.

M. DVRMIVS III. VIR. HONORI. Caput Honoris: in averſa parte, AVGVSTVS CAESAR. Figura corona ornata in bigis elephantorum, d. ramum olivæ, ſ. ſceptrum.

Pariter ab Aquilio Monetali Triumviro cuſus eſt hic typus, quem ob res, quæ eo anno, quo Magiſtratum hunc minorem ſimul inierunt, in honorem Auguſti geſtæ ſunt, ſignaſſe diximus. *Dio lib.* 53. „ Frequentes, ait, ad Auguſtum Legati com-„ mearunt, ac Indi pacem, quam anteà per Oratores petierant, „ tunc interpoſito fœdere ſanxerunt, mittenteſque dona. Quem locum mirè illuſtrat hic denarius, nam Orator in bigis elephantorum exhibetur, ad demonſtrandum ejus in urbem cum hoc apparatu adventum. Corona ex oliva ornatus eſt, pacem petens, ut ramo ejuſdem plantæ quem dextra gerit, denotat: læva autem ſceptrum regis ſui gerit, ad percutiendum ſupra illud fœdus: nam quando fœdera cum remotiſſimis populis fiebant, inventum eſt, ut ſceptrum, quaſi imaginem Jovis tenerent.

IV.

M. DVRMIVS III. VIR. HONORI. Caput Honoris: ex averſa parte, Corona quercea in qua AVGVSTO OB. C. S.

Triumviri Monetales Senatus, in omnibus nummis primæ formæ ſoliti ſunt in parte averſa coronam querceam cum epigraphe OB CIVIS SERVATOS exhibere. Durmius Triumvir Auguſti Monetalis eorum exemplum ſequutus, illam in denariis aureis inſcribit. Quod, ut narrat *Dio, lib.* 53. „ Cæſari, quùm orationem de ejurando regno ac divi-

dividendis Provinciis habuisset, multi erant delati, nempe ut ,, ante ipsius domum in palatio lauri ponerentur, ac super eas ,, *Coronæ quernæ* suspenderentur, nimirum quod perpetuus hostium victor, ac *Civium esset servator* : nam corona quernea illi qui civem servasset, concedebatur. De Honore suprà.

V.

CESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum : in aversa parte, M. DVRMIVS III. VIR. Pagurus, brachiis expansis, evolantem papilionem acetabulis apprehendit.

Durmius, secundùm *Patini* opinionem, hoc lemmate Augusti sententiam exprimere voluit, consideratam cunctationem te- ,, meræ festinationi præstare judicans, ac sæpè impetum ratione ,, carentem id tantùm facere, ut in adversariorum laqueos ma- ,, turius incidamus. Quam quidem Augusto cordi fuisse refert *Sue-* ,, *tonius*. Nihil autem, inquit, minus in perfecto duce quàm festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur, crebrò itaque illa jactabat. Σπεῦδε βραδέως ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς ,, στρατηλάτης. *Festina lentè, cautus enim temerario milite melior, &* ,, *sat celeriter quidquid fiat satis benè.*

VI.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum : in aversa parte, M. DVRMIVS. III. VIR. Leo discerpens cervum.

De hoc denario & sequente ait *Ursinus*. Quæ verò in altera ,, parte denarii impressa sunt, ad Augustum sine dubio perti- ,, nent, & fortasse ad ejus ludos sæculares; qui apri & cervi si- ,, gnis, propter Dianam in cujus honorem celebrabantur, nota- ,, ti sunt. Quùm Triumviri Monetales essent ex Magistratibus minoribus, unum tantùm annum in eo peragebant, & idcircò res quæ solo ejus curriculo occurrebant, in denariis exhibuerunt. Ludi sæculares, ex *Dione*, tantùm duobus annis seriùs nempe, C. Furnio, C. Sentio coss. U. C. [636.] Adde quod cervus Dianæ sacer, in illius honorem non exhiberetur, à Leone discerptus: ergo ad alios ludos, de quibus in sequente denario dicturi, pertinent.

VII

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum: in aversa parte, M. DVRMIVS III. VIR. Aper spiculo aut hasta transfixus.

Duorum istorum denariorum explanationem nobis suggerit *Dio*, *lib.* 53. nam eodem anno, quo signa militaria à Phraate Parthorum Rege Augusto missa sunt, eodem anno quo Triumphus à Senatu decretus est, & legatus Indus Romam venit, nempe M. Apuleio, P. Silio Consulibus, anno 634. eodem, inquit, privatim verò Ædiles, natalibus Augusti ludos equestres & venationem ediderunt: ideò in eorum memoriam hos denarios, in quibus illæ venationes exhibentur, percusserunt. In priore Leo cum cervo pugnans, quem tandem discerpit, repræsentatur. In posteriore aper furens, à venatore hasta transfixus, ob oculos ponitur: unde quanta *Historiæ* ex nummis lux affulget!

EGNA-

EGNATIA.

EGNATIA gens Plebeia, & , ut videtur, ex Samnitibus oriunda; si quidem Statius Egnatius, Samnitum dux à *Livio* recensetur, anno 437/8 ut & Gellius Egnatius alter eorum dux, anno 458/9 Egnatius idem fuit qui Ignatius, ut innuit *Plutarchus*, apud quem *in vita M. Crassi*, Ἰγνάτιος appellatur: unde nomen deductum conjicimus à voce Ἰγνύα, id est, poples, & ἀπτίω, *lædo*, quod primus qui cognomen tulit, poplite læso incederet. Duo in hac gente reperiuntur cognomina, Maximus nempe in denariis, & Rufus: sed Maximus ob rem præclarè gestam, & Rufus à Capillorum colore dictus.

I.

MAXSVMVS. Caput Veneris; pone quam cupido alatus, medio corpore, ejus monile astringere videtur: in aversa parte, C. EGNATIVS CN. F. CN. N. Figura paludata in bigis, lento passu gradientibus, d. habenas, f. hastam: Victoria, per aëra volitans, ei coronam porrigit.

Egnatiæ gentis Plebeiæ, inquit *Ursinus*, & C. Egnatii Maxsumi, ad quem spectant hujus tabellæ nummi, facit mentionem *Cicero*, *Ep.* 34. *lib.* 13. *ad Atticum*: an ille M. Crassi Quæstor in prælio contra Parthos, anno 696/7 · de quo *Plutarchus in illius vita*. Præter, ait, trecentos equites, quibuscum Egnatius nocte „ concubia pervenit Carrhas ad muros. Videtur patrem habuisse Cn. Egnatium Tribunum Plebis, an. 667/8 De illius avo nihil reperimus. Hunc verò typum in Quæstura cudisse videtur, & egregium illud cujusdam ex majoribus factum, unde Maximi cognomen ob res præclarè gestas tulit, expressisse, dum illum in curru tamquam triumphantem exhibet, cui coronam Victoria per aëra volitans porrigit, sed quis ille fuerit, in tanta rerum Egnatiæ Gentis *Historiæ* penuria, difficile est pronuntiare: ut & cur Veneris caput in denariis cum Cupidine signaverit, nisi dicamus hanc gentem matrem & filium summo cultu fuisse prosequutam.

II.

MAXSVMVS. Caput Veneris in averſa parte. Virtus ſtans capite galeato, pede ſupra caput leonis, d. haſtam; ex adverſo Honos ſtans, cui Cupido coronam porrigit: hinc & inde temo inverſus, & prora navis, C. EGNATIVS CN. F. CN. N.

Iterùm in Egnatiæ gentis denariis prodit Venus, & ejus filius Cupido Honori coronam porrigit. Aſtat ei Virtus à dextris, nam per Virtutis templum in Honoris ædes ſolus erat ingreſſus, ut oſtenderetur, aditum non patere ad verum honorem conſequendum, niſi per Virtutem ipſam. Virtus galeata ſemper depingitur cum haſta, ad denotandum illam res egregias gerere in bello debere; ſemper ſub viri forma prodit, quia à viro virtus: ſub pede aliquando globus, aliquando galea, & in hoc denario caput leonis, Herculis exemplo, qui leonem domuerit: ſic ille heros in nummo Gordiani cum inſcriptione, VIRTVTI AVGVSTI exhibetur. Honos ut plurimùm habitu longo depingitur, quaſi Magiſtratus Romani ab eo provenirent: ſemper coronatur, ideò illi Cupido coronam porrigit, quia cupidine ad Honorem ducimur, nihil enim aliud eſſe videtur Honos, quàm quem ex Virtute ipſa aſſequimur. Unde *Lucilii* carmen

Virtus, id dare quod re ipſa debetur Honori.

III.

MAXSVMVS. Caput Cupidinis alati, pharetra & arcu, pone dorſum: in averſa parte, C. EGNATIVS CN. F. CN. N. Templum duarum columnarum, in quo Jupiter togatus, d. haſtam & Juno, nuptiali habitu, manibus extenſis, ſupra templi zophorum fulmen & pileus, ad latera XII.

Urſinus fulmen pileumque prætermiſit, & *Patinus* Jovi haſtam non addidit, & malè XII. pro VI. poſuit. Nummi ita deſiderantur integri, ut ſine fulmine figuram togatam neſciremus eſſe Jovem, cujus eſt ſymbolum, ut & haſta illius divinitatis inſigne. Sed ei quam dabimus comitem niſi ſororem, & uxorem Junonem, & quidem pileus, nubentiſque habitus eam eſſe nuptialem Junonem arguunt: ideò aptè Jovem etiam Gamelium, id eſt nuptialem, eſſe noſcimus, ambos eſſe appellatos, quod nuptiarum &

ma-

matrimonii curam habere crederentur. Jovis meminit & *Chrysippus*, & *D. Hieronymus in Jovianum*. *Chrysippus* ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium & Genethlium violet. Juno ita colebatur; unde illa Pronuba, Nuptialis, & Gamelia dicta est. *Plutarchus in præceptis connubialibus*, ait, Junoni Gameliæ rem sacram facientes, cum reliquis sacris fel non consecrant, quod bilis neque iracundiæ esse in nuptiis debeant.

Dionysius Halicarnasseus, ubi artem nuptialis orationis scribit. Enimverò ait Jupiter & Juno primi conjungentes dei sunt & „ copulantes, atque hic quidem Pater omnium vocatur, hæc verò Zygia, quam Romani appellarunt Jugam, quod feminam mari conjungeret. Romæ verò erat in Regione VIII. Ara Junonis Jugæ in vico jugario apud *P. Victorem*. Pileus ex adverso fulminis è regione Junonis, pileus est nuptialis, quo nubentium feminarum caput ornabatur, ut videre est in nummis Junonis Pronubæ apud Samios signatis, apud *Seguinum*, *Sel. num. pag.* 174. *edit.* 2. ubi pariter Juno manus extendit.

Alludit nuptiis per Cupidinem, qui filius Mercurii ex Venere credebatur, apud *Ciceronem de Nat. Deor. lib.* 3. quod Mercurii autem natus crederetur, Eusebius tradit rationem, quod amandi vis & virtus orationi tribuitur: Cupidinem vocat *Servius*, eo quod faciat amorem, qui maximè requiritur in nuptiis; unde apud *Virgilium*, Venerem facit ita illum alloqui, *Æneid.* I.

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

Nudus depingitur Cupido ut puer, alatus, quia nihil amantibus levius, & nihil mutabilius; sagittas verò idcircò gestare dicitur, quia ut ipse incertæ velocesque sint: alii aliis de causis.

Litteræ numerales $\overline{\text{XII}}$. cum lineola desuper ducta pretium vel annos designant; pretium monetæ, ut denarium duodecim assibus commutari denotet, ut secundo bello Punico ad XVI. auctos in Atilia & Aufidia gente vidimus. Si ad annos à voto præ æde constituenda, duodecim usque ad ejus extructionem confluxisse suspicamur.

IV.

Caput Augusti, ante quod lituus: in aversa parte, Laurea, in qua M. EGN. Q. OCT. II. VIR. S. P. S. C. Marco Egnatio, Quinto

to Octavio Duumviris, ſumptibus publicis, Senatuſconſulto.

M. Egnatius videtur eſſe is quem in Auguſtum conſpiraſſe ſcribit *Suetonius cap.* 19. *Velleius lib.* 2. & *Dio, lib.* 53. cujus cognomen erat Rufus. Hîc Duumvir inſcribitur, ædium nempe ſacrarum locandarum, faciundarum & dedicandarum, ut opinamur, nam ubi ædes aliquo caſu vota erat, Populi Comitiis tributis Lege Papiria renuntiabatur. At quùm Auguſtus plures voverit, quænam illa fuerit à Duum- M. Egnatio & Q. Octavio dedicata, ignoratur. Sed nummus nos docet coronam quæ in templi dedicatione, deo vel deæ, in cujus honorem illud erat extructum, proferebatur, ex publicis ſumptibus eſſe conflatam, & quidem ex auro lauri forma, quod Auguſtus ex Senatuſconſulto, perpetuus hoſtium victor eſſet declaratus, apud *Dionem, lib.* 53.

M. Egnatius Ædilitatem Plebis conſequutus eſt, anno 726/7 adeò gratus Populo ob impenſas ad ignem in urbe reſtinguendum, ut extra ordinem Prætor in ſequentem annum deſignatus ſit, quod non Auguſto hic primus populi favor placuit. Præturam Urbanam igitur geſſit an. 727/8. Quinto poſt Præturam an ex lege Auguſt. Provinciam ſortitus, reverſus 735/6. Conſulatum petiit, per ſeditionem ad ſuffragia plebem vocans conjectus eſt in carcerem, & detecta contra Auguſtum conjuratione, ſupplicio paulò pòſt affectus eſt.

Obſervandum quintum nummum cum voce MAX. in Fabiam gentem eſſe tranſlatum, ad quam ille pertinet.

EGNA-



EGNATULEIA.

EGNATULEIA gens Publeia est, si nomen derivatum est ab Egnato Egnatulus & postea Egnatuleius ut à Proculo factum est diminutivum Proculeius.

C. EGNATVLEI C. F. Q. id est, *Cai filius Quæstor.* Caput Apollinis laureatum: ex aversa parte in area. Q. & in imo ROMA. Victoria scribit in Clypeo trophæo appenso.

Altum est de Caio Egnatuleio, ut de illius patre ejusdem prænominis, unius, ut vidit *Ursinus*, Egnatuleiæ gentis meminit *Cicero*, L. nempe Egnatulei, Julii Cæsaris Quæstoris, cujus jussu legionem quartam duxerat in Macedoniam, quùm Parthicum bellum pararet. Post cædem Cæsaris ab Antonio revocatus cùm legione in Italiam, signa ad juniorem Cæsarem transtulit, factum Senatu approbante & Antonio hoste judicato.

Si autem quis fuerit C. Egnatuleius, ignoratur, etiam in cujus memoriam trophæum de victoria Ducis illius Romani, de quo ille se inscribit Quæstorem, denarius exhibet, procul dubio ignorabimus. Nobis igitur superest ut de littera Q. in aversa partis area exarata diversorum opiniones proferamus: Alii *Quæstorem* exprimunt: Alii *Quinarium* designare autumant, quibus objicitur notam Quinarii esse litteram V. ad arguendum quinque asses illum valere. Denique alii Monetarii notam suspicantur.

EPPIA.

EPPIA gens ex Equestri ordine apud *Ciceronem inter Epist. ad Attic.* 14. *lib.* 8. Eppius quasi Epius, unde quidam ex Græco, Ἔπειος desumunt. Romanis hanc mutam geminare solitis.

Caput Jani barbatun & laureatum: in aversa parte EPPIUS in imo ROMA. Navis, in thesauro regio.

Eppius ille in nummo vocatus, fuit Eppius quem *Cicero*, loco laudato, vigilantem & industrium hominem appellat, qui per gradus solitos ad Præturam accessisse videtur. Et hic nummus æreus secundæ magnitudinis assem uncialem ponderes, Romæ signatus, Eppium Quæstorem Urbanum fuisse denotat, penes quem signandæ monetæ erat potestas. Post Quæsturam Prætor fuit, & Proprætore an. 700. quem Minturnis Campaniæ inter Sinuessam & Formias oppido se præfecisse scribit *Cicero*. De Jano, Nave, & asse unciali sæpius à nobis dictum est.

Q. METEL SCIPIO IMP. Caput Africæ Elephanti proboscide ornatum, ante quod spica, & sub eo aratrum: ex averso latere EPPIUS LEG. F. C. Hercules nudus, stans brachio dextro clavæ spoliis insignis innixo.

Jam prodiit hic denarius in gente Cæcilia num. 31. sub nomine Q. Metelli Scipionis, ex Cornelia gente in eam adoptati, & Pompeii M. Soceri, qui, eo in campis Pharsalicis devicto, in Africam transiit, ubi Imperator appellatus est, cujus Legtum fuisse M. Eppium nos edocet denarius, quem ejus nomine Adrumeti, quod occupaverat Scipio, percussit. In anteriore parte caput Africæ exhibetur, quùm urbs sit Africæ, aratrum & spica, frumenti copiam in ejus agris denotat. Hercules in urbe cultum suum indicat, cujus forsan signum ab eo restitutum arguunt hæ litteræ F. C. *fieri curavit*. Post victoriam à Julio Cæsare de Scipione relatam, *Hirtius* M. Eppio ignovisse scribit *lib.* 5. *de bello Africano*. Cæsar Uticam ire contendit, cui in itinere fit obvius L. Cæsar, subitóque se ad genua projecit, vitamque sibi, nec amplius quidquam deprecatur, cui Cæsar facile & pro natura sua & instituto concessit. Item Cæcinæ, C. Atteio. P. Atio, L. Cellæ patri & filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catonis filio, Damasippique liberis, ex sua consuetudine tribuit.

FA-

FABIA.

FABIA gens Patricia majorum gentium. A Fabio Herculis filio ortos indicat *Plutarchus, in Fabio.* Ex Nympha memorant ; alii ex muliere indigena , quæ cum Hercule juxta Tyberim amnem concubuerat , Fabium natum. Hanc Vindimam appellat, Evandri filiam , *Silius Italicus , Punic lib. 6.* Alii Principes Fabiæ gentis, quia foſſis feras capiebant , Fodios tradunt olim vocatos , ex *Plutarcho*; qui deinde , duabus tempore commutatis litteris, appellati ſunt Fabii. *Feſtus*, inquit, Fovii qui nunc Fabii dicuntur, prius dicti , quod Princeps gentis ejus ex ea natus ſit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii Fabios eſſe appellatos, ex fabarum cultura exiſtimant, uti *Plinius* , *lib.* 18. *cap.* 3.

Hæc gens in plurimas diſtincta Familias, varia cognomina accepit, quæ ordine alphabetico, ut in denariis expreſſa ſunt , referimus, AMBVSTVS dictus eſt Fabius Eburnus, quod fulmine eſſet ambuſtus ; ut ſcribit *Feſtus*. BUTEO , à buteone, id eſt accipitre dictus, cui principatus in auguriis olim dabatur, proſpero auſpicio ab hac ave in navi ſumpto , apud *Plinium lib.* 10. *cap.* 8. LABEO , à labiorum vitio LICINVS , idem qui Lucinus , eos autem dicimus, quibus ſunt parvi utrimque ocelli & brevis viſus , quod innuere videtur *Plinius* , *lib.* 11. *cap.* 37. Queis , ait , parvi utrimque ocelli , Lucinii injuriæ cognomen habuere. MAXIMVS, à rebus præclarè geſtis appellatus v. PICTOR, quod primus ædem ſalutis pinxit. *Plin. lib.* 35. *cap.* 4.

AMBVSTVS.

I.

L. VOLVSVS III. VIR. EX S. C. Caput Concordiæ, velatum : in averſa parte , K. FABI. AMBVST. C VALER. POTIT. COS. Duæ figuræ togatæ inſidentes thoraci , d. lauream tenentes , Victoria coronam inter eos ſuſpenſam tenet.

Ad duas familias; nempe Fabiam & Valeriam pertinet hic denarius, ſed quùm earum alter nominetur Kæſo Fabius Ambuſtus, de illo nobis videtur hoc loco dicendum. Quo tempore K. Fabius & L. Valerius vixerunt, denarii argentei Romæ non cudebantur; ſed L. Voluſus ex Valeria gente, ut antiquitatem nominis ſui denotaret, L. Valerium Potitum Voluſum, ſic enim in Faſtis indigitatur, exhibere voluit, comitem K. Fabio Ambuſto; qui ſimul quùm eſſent an. 549. 50 Tribuni militum Conſulari poteſtate, Anxuris oppugnatio obtigerat, urbem cepit, & accedentibus collegis, nempe Valerio & Annio, oppidum vetere for-
,, tuna opulentum tres exercitus diripuere. In cujus rei memo-
,, riam L. Voluſus duos illos Senatores, nempe K. Fabium qui Anxur ceperat, & L. Valerium, à quo poſt Quæſturam originem trahebat, tamquam victoriæ adjutorem expreſſit. Ideò Victoria illis armorum Anxuritanorum ſpoliis inſidentibus, & ambobus lauream in victoriæ ſignum gerentibus, porrigit. Notandum interea vocem cos. non Conſules, ſed Conſulari poteſtate ſignificare.

Lucius autem Voluſus Triumvir renunciatur, & quidem Monetalis Auguſti, qui ſolus hac ætate argenteam monetam cudebat. At quia Senatuſconſulto opus fuit ad reſtaurandam Concordiæ ædem, caput Concordiæ, quæ in Aventino monte in 8. regione Fori Romani à *P. Victore* indicatur, cum Senatuſconſulti nota, in parte denarii anteriore expreſſum eſt. Vide in gente Valeria, tab. 4.

B V T E O.

I I.

Caput Romæ galeatum BVTEO: in averſa N. FABI. M. F. in imo ROMA. Caſtor & Pollux in equis decurrentes, cum haſtis.

Fabio Ambuſto ſuccedit ex eadem ſtirpe Fabius Buteo, is Numerius appellatur, & Marci filius. Pater ejus M. Ambuſtus quùm initio belli navem conſcenderet in Siciliam moventem, Buteo avis in ea conſedit, & quod felix augurium ei portendiſſet, vocatus eſt Buteo. Filius ejus Numerius Fabius Quæſtor Provincialis factus an. 499. 500 hunc denarium cum ſolito Caſtoris & Pollucis

typo

typo cudit, in quo se Buteonem cognominavit, qui ut ille ad Consulatum etiam pervenit

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex averso latere N. FAB. BVTEO. Eques galeatus decurrens, d. coronam ex lauro ostentans.

Ad eumdem N. Fabium Buteonem pertinet hic denarius, ut fert ejus inscriptio; sed typum alii ad victoriam quam Consul an. 506/7 contra Amilcarem ad Panormum adeptus est, *Zonaræ* verbis freti referunt. Alii quod Magister Equitum sit renunciatus an. 529. unde gaudet equo & coronam ostentat ob Boios profligatos, currit ad Urbem, comitiorum habendorum causa, quùm Consules essent absentes; sed hæc non videntur veræ hujus typi causæ. Si victoria esset de Amilcare, Eques non gereret Lauream, sed corona ei à Victoria porrigeretur, nec decurrens prodiret, si Magister equitum, non erat in bello ut ad Urbem veniret, nec exercitui præerat, ut coronam haberet, Romæ ut Dictator morabatur: nam hic Magistrum equitum nominabat, & causa comitiorum habendorum tantum erat.

Ex Quæstura Numerius Buteo, ad Ædilitatem Curulem venit an 500/1 in qua, ut eorum munus erat Ludos curare, Fabius se Equiria celebresse denotare voluit. Equiria autem, ut inquit *Varro*, dicta ab equorum cursu, die enim XXVII. Febr. qui est III. Kal. Martii currebant equi in Campo Martio. De iisdem *Festus*, ita scribit, „ Equiria, Ludi quos Romulus Marti instituit per equorum „ cursum, sed hac die curribus junctos esse nos docet *Ovidius*.

Altera erant Equiria Prid. Idus Martii, qui est dies mensis XIV. Hæc in eodem Campo Martio juxta Tiberim celebrabantur, & per Equestres decursiones agitabantur: ideo Eques decurrens exhibetur: galeatus quidem currit in Martis honorem semper galea insignis; coronam ostentat ob decursionis quod retulit præmium. De his ita cecinit *Ovidius*:

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis:
Qui tamen ejecta si fortè tenebitur unda,
Cælius accipiet pulverulentus equos.

Nam ſi Tiberis inundaſſet Campum Martium, Equiria edebantur in monte Cælio, qui ob id Martialis dicebatur.

HISPANIENSIS.

IV.

C. ANNIVS T. F. T. N. PROCOS. EX S. C. Caput Junonis Monetæ: in averſa parte L. FABI. L. F. HISP. Victoria in quadrigis.

L. Fabius Hiſpanienſis Senator à Sylla proſcriptus profugit in Hiſpaniam unde nomen, & Sertorio adhæſit, ſed filius ejus Lucius, qui hunc cudit denarium, videtur fuiſſe factus Quæſtor C. Annii Proconſulis à Sylla contra Sertorium miſſus: de hoc *Plutarchus in hujus vita*, ut fortè patrem à Sertorii partibus deduceret. De patre mentio eſt in *fragmento hiſtoriarum Salluſtii, apud Servium, lib. 1. Æneid.* „ Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſuper „ eum L. Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis, in ſummo „ Antonius, & infra Scriba Sertorii Verſius: alter Scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium & Domnium Perpennam. In hoc convivio Sertorius à Perpenna occiſus, non potuit ergo denarius à Fabio Hiſpanienſi patre ut Annii Quæſtore eſſe cuſus, ſed haud dubiè à filio ſignatus.

De Junonis Monetæ capite, quod eâ monetæ tutelaris eſſet dea, jam in Annia gente, ubi alios Fabii Hiſpanienſis Queſtoris denarios produximus, quos conſule, dictum eſt; ut de Victoria in quadrigis ſolito denariorum ſymbolo. De aliis L. Fabii Hiſpanienſis Magiſtratibus nihil legimus; ejus forſan filius fuit L. Fabius qui Præturam Urbanam iniit an. 701.

LABEO.

V.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA & ante LABEO: in averſa parte Q. FABI. Jupiter in quadrigis currentibus, d. fulmen, ſ. ſceptrum. Sub pedibus equorum, prora navis.

Cognominum ordinem alphabeticum ſequuti, Q. Fabium Labeonem ante patrem & avum exponimus, qui Labeo eſt cognominatus

minatus, ad diſtinctionem junioris fratris Q. Fabii, Maximi. Labeo autem Quæſtor Urbanus fuit an. 557/8 Prætor Claſſem & oram Maritimam Græciæ contra Antiochum ſortitus obtinuit: ideo in ejus nummis quadrigatis prora navis eſt expreſſa. Alii volunt illam eſſe, ad notandum ejus ex Creta triumphum; nam Fabius, devicto jam Antiocho, in Cretam trajecit ad exigendos ex omnibus ejus Inſulæ urbibus captivos Romanos, quos quùm ad numerum quatuor millium Romam reduxiſſet, triumphi cauſa fuit, quod tot Civium captivorum fuiſſet vindex, ut teſtantur *Marmora Capitolina.*

Q. FABIVS. Q. F. Q. N. LABEO. PR. ANN. DLXIV. DLXV. *Varr.*
NAVALEM. EGIT. EX. CRETA....

Jupiter in quadrigis decurrentibus, non triumphi, ut ſæpius diximus, ſed denariorum quadrigatorum eſt ſymbolum.

LICINUS.

VI.

P. CLAVD. PVLCHER. Caput Genii cincinnatis capillis ornatum, cum Serpente ad eorum latera, & faſcia illos redimente; pone eum littera T. inter duo puncta: in averſa parte, M. FABI. C. F. LICINVS. Triremis, cum remis.

Ad Fabium Licinum ſpectat hic denarius, quem in Claudia gente jam deſcripſimus num. 8. quùm Fabius Licinus hic. Dorſo & P. Claudius Pulcher Quæſtores Urbani an. 525/6 hunc ſignarunt in honorem Cn. Fulvii Centumali, qui Proconſul hoc anno ex Illyriis triumphum navalem egit, ut ibi diximus, in cujus rei memoriam caput Genii ex una parte, ad cujus capitis latera ſerpens, quùm ille aliquando ſub ſerpentis figura pingeretur, ut de ſerpente canit *Virgilius:*

Incertus Geniumve loci famulumne parentis
Eſſe putem.

T. id eſt, Tutelaris, de quo *Cenſorinus,* Genium deum, ait, cujus in tutela ut quiſque natus vivit. Navis Prætoria cum remis, Triumphum M. Fabii Licini indicat, cujus æternum eſt monimentum.

MAXI-

MAXIMVS

VII.

GVRGES. Caput Romæ galeatum: in aversa parte Q. MAX. Q. F. EX. S. C. Triremis Imperatoria, in imo ROMA.

Tandem ordine alphabetico pervenimus ad Fabios cognomine Maximos, quod primus tulit Q. Fabius Rullianus, apud *Plutarchum*, ex claritate rerum gestarum. Hujus nepos fuit Gurges ille de quo nobis est sermo, & filius Gurgitis qui à devorato patrimonio ita dictus est, ex *Macrobio, lib. 2. Saturn.* Hic duos reliquit filios, nempe Q. Maximum Gurgitem & Q. Maximum Verrucosum. Major Quæsturam iniit L. Valerio Flacco & T. Otacilio Crasso Coss. an 492. At quùm Romani ut Classis pararetur, qua partim Italiam defenderent, partim in Africam navigarent, teste „ *Floro, lib. 2.* intra sexagesimum diem, qua cæsa sylva fuit, „ centum sexaginta navium classis in ancoris stetit, ut non „ arte factæ, sed quodam munere deorum conversæ in naves at-„ que mutatæ arbores viderentur. Ut autem erat primus belli maritimi apparatus, Senatusconsulto expressa sunt illius classis monimenta in denariis, & Quæstores denariorum Curatores facti, ut qui Consules in cudenda moneta sublevarent, illos cudere etiam cœperunt, & Gurges Triremem Imperatoriam in hanc rem percussit Fabius ex Quæstura ad Ædilitatem Curulem pervenit an. 497/8 & quùm nihil ampliùs de illius Magistratibus occurrit, ante maturam ætatem videtur mortuum. Ad ejus fratrem ut opinamur, transimus.

VIII.

Caput Herculis, pone quod tres globuli: ex aversa parte MAX. in vertice, ROMA: in imo, ad latus tres globuli, in area Navis.

Tres globuli in parte nummi anteriore & postica signati, quadrantem, id est, quartam assis partem esse denotant, pondus verò quinque dragmis & uno scrupulo, sextantarium assem esse demonstrant, id est pondo duarum unciarum, ad quem reductus est primo bello Punico, ut sparsim diximus. At quùm as secundo bello Punico, magis urgente necessitate, factus est uncialis, id suasit ut

ut nummum ex Egnatia gente, quæ non his recentioribus claruit temporibus, ad Fabiam cognomine Maximi revocaremus, & Q. Fabio Maximo, poſtea vulgò Cunctatori dicto, tribueremus. Vox ROMA nummum Romæ eſſe cuſum manifeſtat, quod ſignaſſe Fabius videtur, quùm Quæſturam Urbanam iniit an. $\frac{511.}{2}$ nam in marmorea *inſcriptione*, quæ apud *Petrum Victorium* Florentiæ ſuo tempore adhuc extare teſtatur *Onufrius Panvinius, in Faſtis ſuis*, Quæſtor bis renunciatur: quod intelligendum videtur de ejus Quæſtura Urbana, & deinde ſecunda illius Provinciali. Caput Herculis, ut As reductus ad ſextantarium fuit, mox pro Jano Bifronte vel Jove, in quadrante ſignatus eſt: nam iſta nova moneta videtur fuiſſe tunc percuſſa.

IX.

Caput Jani bifrontis barbatum: ex averſo latere: Q. MAX. ROMA. Navis ſupra quam Victoria ſtans, d. coronam porrigit, ſ. palmam.

Pondus hujus nummi ex duabus unciis conſtans, ſextantarium aſſem denotat, ad quem reductus eſt As libralis primo bello Punico; idque nos impellit ut illum pariter Q. Fabio adjudicemus: ſed quo tempore cuſus ſit, nobis indicat Victoria ſupra navem expreſſa. Scimus quidem illam ſolitum eſſe nummorum, in quibus Jani caput ex parte anteriore exhibetur, averſi lateris ſymbolum; ſed alludere videtur ad victoriam de Liguribus à Fabio Maximo Conſule relatam: Nam illi littorales erant & Mediterranei. Ex utraque parte victi videntur ex his *Plutarchi verbis*; re-
„ preſſique à populanda & vexanda proxima Italiæ ora, quùm
„ priùs dixerit, qui ſignis collatis ab eo fuſi, intra Alpes ſunt
„ multis amiſſis coacti. De illius ob victoriam decreto à Senatu triumpho in ſequente denario dicturi.

X.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA, & ante VERRVCOSVS: in averſa parte, Q. FABI. MAXIM. Fabius togatus, in quadrigis triumphalibus, d. equorum habenas, ſ. ſcipionem eburneum, Victoria, per aera volitans, ei coronam porrigit.

Cognomen Verrucoſi, quod præfert in hoc denario Q. Fabius

Maximus, non excludit quin ſuperiores nummi ad eum pertineant, nam in æreis non erant ſoliti longam inſcriptionem apponere Romani, quam deinde in argenteis ut nobilioribus expreſſerunt. Verrucoſi autem cognomen tulit à verruca in labio, ex *Plutarcho*, in ejus vita. Is à quibuſdam Q. Fabii Rulliani pronepos creditur, ex his Plutarchi verbis, „ à Rulliano qui ex clari-„ tate, MAXIMI cognomen invenit, Fabius Maximus, de quo agimus, fuit quartus, ideo illi Fabii Gurgitis bis Conſularis nepotem eum faciunt, & alterius Fabii Maximi, qui nullis majoribus Magiſtratibus uſus eſt, filium pronunciant: ſed hic ab aliis creditur fuiſſe Gurges Gurgitis filius, qui poſt Ædilitatem mortuus eſt, & frater major Fabii Verrucoſi, & ſic quartum eſſe Fabium Cunctatorem à Rulliano exiſtimant.

Fabius Verrucoſus Quæſturam Urbanam iniit an. $^{511.}_{2}$ Provincialem verò $^{512.}_{3}$ Ædilis Curulis fuit an. $^{516.}_{7}$ Præturam, ut videtur, Urbanam geſſit an. $^{518.}_{9}$ Conſul creatus eſt cum Pomponio Mathone an. $^{520.}_{1}$ Fabio bellum cum Liguribus obvenit, eos acie profligavit, & propter victoriam ei decretus eſt à Senatu triumphus, cujus monumenta ſunt denarii argentei, in quibus quadrigis triumphalibus, lento paſſu, ut triumphantium moris eſt, in Urbe gradientibus vehitur togatus, ſcipionem, in cujus apice ſurgit aquila, Conſulum inſigne gerens, quod confirmant *Marmora Capitolina*.

Q. FABIVS. Q. F. Q. N. MAXIMVS. ANNO. $^{DXX.}_{DXXI.}$ *Varr.*
VERRVCOSVS. DE. LIGVRIBVS. K. FEBR.

Cenſor factus eſt Q. Fabius Maximus cum Sempronio Tuditano an. $^{523.}_{4}$ Conſulatum iterum cum Sp. Carvilio Maximo II. geſſit an. $^{525.}_{6}$ quo fœdus cum Pœnis & Aſdrubale renovatum eſt à Romanis. Moritur ejus filius Quintus Maximus Conſularis, quem pro roſtris laudavit an. $^{533.}_{4}$ Dictator bello ſecundo Punico creatus fuit iterùm an. $^{536.}_{7}$ nam tempus primæ Dictaturæ non reperitur, hoc anno imminuta eſt moneta, & ut Pontifex Romam ex exercitu rediit ad ſacra facienda. Conſulatum III. in locum M. Claudii Marcelli II. vitio facti ſuffectus iniit an. $^{538.}_{9}$ Q. Fabio Maximo comitia habenti novo exemplo continuatus eſt Conſulatus cum M. Claudio Marcello III. abſente an. $^{539.}_{40}$ Augur factus ætatis 63. ex *Plinio*, *lib.* 7. *cap.* 48. quod cadit in annum

V. C.

V. C. 541. si Fabius primum Consulatum iniit ætatis 43. ut moris erat. De reliquis illius honoribus infra.

XI.

Caput Romæ galeatum, in corona ex lauro, pone illud ROMA. Ex aversa parte Neptunus, in quadrigis decurrentibus, d. tridentem, s. equorum habenas, in imo prora navis. Q. MAX. VERRVC.

Fabius Maximus Verrucosus quintum tandem Consulatum obtinuit cum Fulvio Flacco quartùm an. 544. Italia ambobus Consulibus decreta est, partito tamen regionibus imperio, ut Q. Fabius ad Tarentum rem gereret. Interim à Censoribus Q. Maximus Princeps Senatus lectus est, & ille terra marique obsidioni Tarenti urbis applicuit; ut his verbis innuit *Plutarchus*: „ Reliquæ „ copiæ pariter terra marique adortæ mœnia sunt.... cepit sca- „ lis urbem sexto die, illam exercitus diripuit, & in ærarium „ relata talenta tria millia. Ex hac victoria Fabius iterum triumphavit, & ut milites remuneraret, ut moris erat, ante triumphum Romæ denarii sunt cusi, in quibus captæ urbis Tarenti monimenta sunt expressa, quùm Neptunus in solitis quadrigatis denariis visitur tridente insignis, ad denotandum illius urbis ad mare situm; quod confirmat prora navis, in nummo signata; sed quare caput Romæ in laurea expressa est? Non acie ad Tarentum dimicavit Fabius, sed si nobis conjicere liceat, à *Goltzio* forsan pro graminea posita est, quam Fabio donatam esse à Senatu Populoque Romano, Annibale ab illo ex Italia pulso, refert *Plinius*, *lib.* 22. *cap.* 5. quod exercitu servato conceditur, vel quod Imperium Romanum velut liberasset, quùm illa eam ob causam concederetur. Tandem Q. Fabius Maximus lectus est iterum Princeps Senatus à Censoribus, an. 549/50

XII.

Caput Junonis Sospitæ, caprotina pelle amictum: pone quod EX S. C. ex altera parte Q. FAB. Q. F. MAX. AEMILIA. Ara, supra quam serpens, in gyros circumvolutus, caput erigit.

Q. Fabius Max. Verrucosus quùm filium jam Consularem amisisset,

ut ſuprà diximus, adoptavit majorem filium L. Paulli Æmilii, qui Perſeum devicit, quem habebat ex Papiria; ut tradit ***Plutarchus***, *in ejus vita*. „ Ita relicta Papiria, alteram Paullus ſibi ma-
„ trimonio adjunxit, ex qua duos editos filios retinuit in Fa-
„ milia. Priores ſummis & nobiliſſimis domibus per adoptionem
„ inſeruit, majorem Fabii Maximi, qui Conſul quinquies fuit.
Hic verò ex adoptione, petendo Fabiæ gentis judice, dictus eſt Q. Fabius Maximus Æmilianus; illi fratrem adjicit etiam ex altera adoptione, nempe Q. Fabium Maximum Servilianum, ***Appianus Iberic.*** his verbis. Anno, exacto ſucceſſit Quinctio Æmiliani frater Fabius Maximus Servilianus, nempe Cæpionum domo, ut infra dicemus. Sed nunc de Fabio Æmiliano.

Quæſturam ille militarem iniit an. $\frac{596.}{7}$ Ædilitatem Curulem an. $\frac{601.}{2}$ Præturam Provincialem ſortitus eſt an. $\frac{604.}{5}$ & Conſulatum tandem geſſit cum L. Hoſtilio Mancino an. $\frac{608.}{9}$ At Conſules Magiſtratum ineuntes, Junoni Soſpitæ de more ſacrificare ſolebant; ex *Cicerone*, *in Orat. pro Muræna*. Ejus templum erat in Foro Olitorio: votum fuit à C. Cornelio Conſule bello Gallico, illudque quadriennio poſt Cenſor factus dedicavit. Fabius autem Æmilianus, ut ſe Junoni ſacrificium illud feciſſe denotaret, Soſpitæ effigiem ab una parte caprotina pelle amictam, quod illi capræ immolarentur, expreſſit: ex altera adeſt ara ſacrificii teſtis, & ſuper eam viſitur Draco Lanuvinus, Junonis Soſpitæ ſymbolum; de quo extat ***Propertii Elegia, in lib.*** 4. ***inſcripta de Cynthia & Dracone.***

Lanuvii annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ, &c.

Q. Fabio Conſuli Hiſpania Ulterior cum bello contra Viriatum Provincia obvenit, cauteque illud geſſit; ut narrat ***Appianus, Iberic.***
„ Hoc, inquit, eum paterna diſciplina docuerat bello Macedonico militantem: eumque ſic cum *Plutarcho* Paulli Æmilii filium declarat. At quùm illius belli imperium an. *609.* prorogatum eſt, exercitato jam & confirmato tyronum exercitu, quem habebat, Viriatum fortiter præliantem, ſecundus ipſe in fugam vertit. Patri ſucceſſit Q. Fabius Æmilianus, dictus ob victoriam Allobrogicus, cujus ſequens eſt denarius

XIII.

XIII.

Caput Jovis Axuris, laureatum & imberbe, ſub quo fulmen. AIMILIANI. F. PROCOS. ex averſa parte Q. MAXIMVS. Victoria in bigis decurentibus, in imo ROMA.

Q. Fabius Maximus non Allobrogici cognomen ob victoriam quod meruerat, in denario accipit; ſed ad memoriam patris revocandam ſe Æmiliani filium inſcribit, virtute patris potiùs quàm ſua contentus. Quæſturam Provincialem accepit an. $^{619.}_{20}$ Ædilitatem Curulem an. $^{624.}_{5}$ Prætor Quæſtionem Publicam ſortitus eſt an. $^{627.}_{8}$ Hiſpaniam Citeriorem obtinuit $^{628.}_{9}$ & in ea prorogato imperio manſit an. $^{629.}_{30}$ ut anno ſequente $^{630.}_{1}$ licèt à Gracchо Tribuno accuſatus. Tandem Conſulatum cum L. Opimio iniit an. $^{632.}_{3}$ Fabio Gallia Provincia obtigit, ubi ingentem de Allobrogibus, Gallis, Arvernis & Betulto Rege, ad Iſaram fluvium retulit VI. Idus Augusti; ut refert *Plinius*, *lib.* 7. *cap.* 1. Fabio Senatus libens triumphum decrevit, ut teſtantur *marmora Capitolina.*

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. AN. DCXXXII. / DCXXXIII. *Varr.*
MAXIMVS. PRO. COS. DE ALLOBRO*gibus.*
ET. REGE. ARVERNORVM. BETVLTO. X. KAL....

Ut moris erat, milites ob victoriam ante triumphum remunerare, Fabius Romæ denarios, in quibus ex averſa parte bigæ cum Victoria, unde iis Bigatorum nomen, cudi curavit. Sed ut victoriam ſuam & triumphum denotaret, Victoriam ipſam, pro flagro ſolito, palmæ ramum gerentem expreſſit, dignitatis ipſe Proconſule titulum præferens, Æmiliani filii nomine potiùs, quàm Allobrogici appellatione contentus. Sed caput Jovis Axuris, ſi conjicere liceat, à denariorum flandorum Curatore expreſſum eſt, ut originem ex aliqua Campaniæ urbe denotaret, in qua Jupiter ille colebatur: de quo *Virgilius*, *Æneid.* 8.

Circæumque jugum, quis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet.

De hoc Fabio, *Val. Maximus*, *ait lib.* 6. *cap.* 9. Adoleſcente nihil magis infame, eodemque ſene nihil ornatius illo ſæculo haberi potuiſſe.

XIV.

Capita Jovis & Ditis jugata: in aversa parte Q. FABI. MAX. SERVILIANVS: in vertice S C. in area globus, quem caduceus & palmæ ramus decussatim ambiunt.

Ratio temporis, ut à fratris filio ad patruum adoptione revertamur, postulat; nam Fabium Maximum Æmilianum & Fabium Maximum Servilianum, ex *Appiano*, fratres esse suprà diximus, hunc ex domo Cæpionum, illum ex Paullorum stirpe, quem à Fabio Verrucoso adoptatum *Plutarchus* narrat, unde ab ipso etiam Servilianum fuisse adoptatum, colligitur. Servilianus autem Quæsturam Provincialem iniit, an. 600/1. Ædilitatem Curulem an. 605/6. Præturam sortitus est Peregrinam an. 607. Tandem Consulatum cum L. Cæcilio Metello an 711. Fabio Hispania Ulterior, & bellum contra Viriathum, ut fratri succedenti Quinctio obvenit, prorogata illi Provincia an. 712/3. Quùm Viriatus pacem peteret, Fœdus cum illo pepigit, teste *Appiano*, „ quod Populus Romanus postea ratum esse voluit, ipsumque Viriathum amicum nominavit, & ejus socios, quos agros possederant, habere jussit; sic bellum Romanis gravissimum, cum bona gratia extinctum videbatur.

Fabius Servilianus in pacis, quam pepigerat, memoriam, denarios ex Senatusconsulto percussit, ut indicat nota S. C. in quibus capita Jovis cum fratre Dite, ut videtur, nam ii similes in nummis Cornelii Hispali expressi sunt, signavit; Jovem nempe Optimum Maximum, in cujus templo pacis conditiones & fœdera reponebantur, Ditem verò Jovis fratrem, quem in ejus templi fastigio collocabant: apud *Ciceronem* Summanus dictum, quod nocturna fulmina vibrare credebatur: ita ut contra fœderum violatores, sua die & nocte fulmina deos illos vibrare præcabantur. Ex aversa parte, globus Imperium Romanum, per caduceum pacis, & palmæ ramum, victoriæ symbola, tranquillum esse demonstrat.

Fabius Censuram iniit cum L. Cæcilio Metello Calvo an. 627/8. sed postea hi abdicarunt.

XV.

XV.

Caput Jovis, laureatum : in averſa parte Q. FAB. Mars galeatus, ſtans nudus d. coronam tenet, in alio pateram, ſ. haſtæ innixus eſt, pro pedibus clypeus, in area litteræ ΠΑ. ſimul junctæ.

Inſcriptio Q. Fabio nummum tribuit, ſed cuinam inter tam multos ejus prænominis, ſine filii appellatione, & ſine ullo cognomine, diu hæſimus ad quemnam eorum revocaremus. Nec facilis eſt conjectura, porro ne illo prætermiſſo, aut inter incertos relegato, quidquid ad ejus explanationem prodeſſet, in illo attente perquiſivimus. Primùm ille quidem non eſt Romanus, quùm deſit vox ROMA; remque confirmat monogramma Græcum ΠΑ. litteras initiales, ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ deſignans; ſed nummus ejus urbis apud *Goltzium in hiſtoria Siciliæ, & Magnæ Græciæ, tab.* 8. *num.* 2. quod nobis caput Martis galeatum, ut noſter ſtantem exhibet, ejus cultum in hac urbe denotans.

Supereſt, ad quem ex Fabiis cum prænomine Quinti pertinere poſſit, nobis inquirendum. Sicilia ſub C. Lutatio Catulo an. [513. 4] conſtituta eſt Romanorum Provincia, excepto Hieronis regno, & Prætor in eam miſſus eſt [536. 7] ab eo tempore, nullum invenimus inter Fabios prænomine Quintos, uſque ad Civile bellum Julii Cæſaris, quis potuit eſſe Prætor Siciliæ, quàm Q. Fabius Servilianus an. [607. 8] ideo illi nummus adjudicari poteſt : nec te turbet, conſtrictæ voces Q. FAB. Civitates Græciæ & nummi ærei, prolixam cognominum epigraphen ſignare non erant ſoliti. Prætor quidem Syracuſis morabatur, & Panormitani, dum Sicilia conſtituta eſt Provincia, ob merita in P. Romanum obtinuerunt, ut ſine fœdere immunes, & libertate donati, hoc eſt, à Magiſtratus Romani Juriſdictione ſoluti eſſent. Sed ut eorum moneta eſſet apud Romanos in uſu, ideo Siciliæ Prætores nomen & deum Romæ tutelarem, cum Marte ſuo ex altera ſignabant, cum initialibus Urbis litteris, ut tunc moris erat.

XVI.

XVI.

Q. MAX. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex averſa parte cornucopiæ, annexum fulmini, in corona ex ſpicis & frugibus compacta.

Ut Q. Fabio Maximo, cognomine vulgari Eburno, denarium hunc tribuamus, fulmen in averſa parte ſignatum impellit. Pullus Jovis etiam dicebatur, apud *Feſtum*, cui, ait, Eburno cognomen erat, propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Ideo Fabius Jovem ſub figura fulminis, à quo in cunis conſervatus fuerat, exhibet, ejuſque caſus hoc lemmate memoriam revocat. Cetera ſunt Ædilitatis ejus monimenta, de quibus, quùm de quo credatur filius, dixerimus.

Antoninus Auguſtinus, lib. de Fam. Romanorum, Eburnum Fabii Allobrogici filium appellat, & ideo illum à Q. Pompeio Prætore Urbano bonis interdictum fuiſſe putat, ut refert *Val. Maximus*, de Allobrogici filio, *lib.* 3. Sed ille adoleſcens erat perditus & infamis, & non Conſularis, ut Fabius Eburnus. *Steph. Pighius Ann. Rom. lib.* 13. *pag.* 25. Eburnum Allobrogici fratrem facit, his verbis: „ Frater F. Allobrogici fuiſſe videtur, diſtinctus agno„ mine & non prænomine: *Glandorpius* autem *in Onomaſt. Rom.* illum Maximi Serviliani filium fuiſſe arbitratur. Ut ut ſit, Quæſturam Provincialem iniit an. 624.5 deinde Ædilitatem Curulem obtinuit an 629.30 in qua, ut munus Ædilium erat annonam curare, ſe Quintus Eburnus per cornucopiæ & coronam ex ſpicis & fructibus contextam, rerum omnium ex terra naſcentium ubertatem & abundantiam, ex omnibus regionibus procuraſſe, his ſymbolis demonſtrare voluit.

XVII.

Q. MAX. Caput Apollinis, muliebri effigie, & laurea coronatum, ante quod lyra, & pone ROMA. Typus averſi lateris, idem ac ſuperior, fulmen, & cornucopiæ in corona ex ſpicis & fructibus contexta.

Eadem circa Apollinis caput inſcriptio, & idem in averſa parte typus, denarium ad eumdem Q. Fabium Maximum, cognomine Eburnum, etſi illa deſit appellatio, ſpectare nos edocet,

&

& ut ex Ædilitate Curuli ad Præturam Urbanam pervenerat an. [634/5] in illa Ludos Apollinares, qui celebrabantur pridie Non. Quintiles, ſumptibus ſuis edidit, cujus memoriam per caput Apollinis in denariis expreſſum, typo Annonæ P. Romano tam gratæ repetito renovare voluit. Apollo muliebri effigie, & juvenis, ut Bacchus, ſemper exhibetur: nam ſic à Poëtis fingitur. *Ovidius*:

Solis perpetua eſt Phœbo, Bacchoque juventus.

Laurea coronatur, ut Vates & Vaticinii deus exiſtimabatur. Seu quod laurus eſſet, in ejus tutela, teſte *Fulgentio*, & converſa ſit in hanc arborem Daphne ab eo adamata. Lyra autem ejus eſt ſymbolum, à Mercurio inventore, pro boum, quos illi dedit, compenſatione, Apollini datum.

Fabius Eburnus tandem Conſulatum obtinuit, cum C. Licinio Geta an. [637/8]

XVIII.

Caput Veneris, P. VATINI P. F. COS. ex altera parte Q. MAX. Q. F. Sella Curulis, ſupra quam corona, hinc caduceus, inde lauri ramus: inter Sellæ pedes nota S. C.

A Q. Maximo cognomine Eburno, ad Q. Maximum ejus nepotem deſcendimus, cujus Quintum patrem, ab avo ob impudicitiam, cognita licèt cauſa, necatum, ſuſpicamur ideo Quinti filius in hoc denario, & in ſequente Quinti nepos, ut in Faſtis indigitatur Quæſturam Urbanam an. [698/9] Prætor verò Quæſtionem Publicam ſortitus eſt [706/7] quo denarium ſignavit, quùm eſſet Vatinius Conſul, ut fert illius epigraphe. Hic verò fuerat Legatus Julii Cæſaris, quem redacta in poteſtatem Ægypto, Romam reverſus, Conſulem cum Q. Fufio Caleno etiam ſuo Legato, in reliquum anni nominavit. Caput Veneris in gratiam Cæſaris, ex qua ſe originem traxiſſe gloriabatur, ſignata eſt; eundem caduceus, felicitatis illius ſymbolum, ut & laurus, victoriarum ejus inſigne, reſpiciunt. Sella Curulis Magiſtratum utriuſque, & Conſulis & Prætoris inſigne: S. C. denotat, in memoriam Conſulis denarium eſſe cuſum Senatuſconſulto, quem creaverat Julius Cæſar.

XIX.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex averſo laere Q. MAX. Q. F. Q. N. Fabius togatus, in quadrigis triumphalibus vectus, d. habenas equorum, ſ. ſcipionem eburneum, in cujus apice aquila.

Q. Fabius Maximus, poſt Præturam Urbanam, legatus pro Prætore in Hiſpaniam Citeriorem, à Julio Cæſare miſſus eſt an. $\frac{707}{8}$ ut refert *Dio*, *lib*. 43. „ Qui enim Cæſaris in Hiſpania „ erant Legati, Q. Fabius Maximus, & Q. Pedius, quùm ſe „ ſatis inſtructos ad confligendum cum Pompeio non putarent, „ nihil aliud agebant, quàm quod Cæſarem, ut adventum „ ſuum maturaret, hortabantur. Cæſar ex Hiſpania Romam victor reverſus, abdicavit Conſulatum, Dictatura contentus, & Q. Fabium cum Trebonio Conſules pronuntiavit, an. $\frac{708}{9}$ & quùm ille de Hiſpania triumphaſſet, voluit etiam, ut ſui Legati de illa triumphum agerent: teſtibus *Capitolinis Marmoribus*.

Q. Fabius. Q. F. Q. N. MAXIMVS. COS. AN. DCCIIX. DCCIX. *Varr.*
EX HISPANIA. III. IDVS. OCTO.

Quintus autem Fabius Maximus, extrema Conſulatus ſui die, mortuus eſt; uti narrat *Dio*, *lib*. 43.

XX.

Caput Apollinis, radiatum: in averſa parte, PAVLLVS. FABI. MAXIM. Luna bicornis, inter quinque Triones. In media area S. C.

Nullum eſt dubium, quin hic denarius ad Paullum Fabium Maximum pertineat; ejus inſcriptio id apertè demonſtrat. *Goltzius* autem, qui nummum profert, illum Paullo Fabio Maximo, quem reperit Conſulem cum Q. Ælio Tuberone an. $\frac{742}{3}$ adjudicat: ſed forma & typus denarii huic ſententiæ repugnant. Forma quidem antiquior videtur, typus autem caput Apollinis eſt; & illo tempore denarii argentei, cum Auguſti effigie tantùm ſignabantur. Apollinis caput & Luna bicornis cum Trionibus ſæpiùs à nobis exhibentur, pro ſolito Ludorum Apollinarium, à Prætore Urbano editorum, monimento. Nota autem S. C. illos celebratos

lebrato ex impensis à Senatu factis indicat, quod Reipublicæ stantis, potiùs quàm Augusti ævo convenit. Nam, postquam monetæ cudendæ divisa cum Provinciis inter Augustum & Senatum potestas fuit, an. 726/7 huic ærea cum nota S. C. & quidem cum Augusti effigie, aut ejus symbolis, cessit, illi verò aurea & argentea: unde ab illo tempore, nulli ampliùs Consulares denarii vulgò dicti, occurrunt.

Cui igitur tribuendus est denarius? Paullo, ut opinor, Fabio Maximo, hujus Consularis patri, quem nos Prætorem fuisse edocet illius typus, in quo Apollo & Diana, quibus erant dicati ludi Apollinares, exhibentur. Paulli Æmilii filium majorem à Q. Fabio Maximo V. Consule adoptatum produximus; qui in denariis Q. Fabius Maximus Æmilianus inscriptus est. Ejus filius Allobrogicus, se in suis Q. Maximum Æmiliani filium appellavit; at hujus Quintus Allobrogici filius, ob luxuriam, à Q. Pompeio Prætore Urbano, ut refert *Val. Maximus*, bonis paternis interdictus, filium reliquisse videtur; qui, ut adoptionis proavi memoriam recoleret, Fabiæ cognomen *Paullus* in prænomen assumpsit, ut alter hujus ævi, qui Paullus Æmilius est appellatus.

XXI.

Caput velatum & turritum. EX A. PV. id est, *ex argento puro:* in aversa parte C. FABI. C F. Victoria in bigis, d. flagrum, s. habenas equorum. Sub ejus pedibus, Ibis avis. Diversæ litteræ, B. vel E. in variis similis typi denariis, sunt Monetariorum notæ.

Ad illorum stirpem, qui Pictoris cognomen in gente Fabia tulerunt, tandem ordine alphabetico pervenimus; & C. Fabius, C. Fabii Pictoris, qui ædem salutis apud *Plinium*, depinxit, filius, licèt illius cognomine non sit ornatus, prodit primus; huncque denarium percussit, postquam Quæsturam iniisset an. 474/5 Ædilitatem Curulem an. 480/1 Præturam an. 482/3 nempe in Consulatu cum Ogulnio Gallo an. 484/5 Nam *Plinius, lib.* 33. refert, C. Fabio Consule, argentum Romæ signatum, annis quinque ante bellum Punicum primum. Hic verò Consul in *Fastis* reperitur, an. 484/5 & bellum cum Pœnis primum est inchoatum, anno 489/90 ut omnes *Scriptores* memorant.

Caput muliebre velatum & turribus ornatum, non Roma est,

quæ ſemper galeata, ut bellatrix & dea, depingitur; ſed Alexandrea qualis exhibetur in denario gentis Æmiliæ num. 16. cum hac voce ALEXANDREA. Id confirmat Ibis, in averſa parte, peculiare Ægypti, ut omnes norunt, ſymbolum. Illud verò caput in denario ſignavit C. Fabius, ut legationem ſuam, cum fratre Numerio, ad potentiſſimum Ægypti Regem Ptolemæum Philadelphum, ante triennium initam, poſteris commendaret. Nam quùm Rex, ad petendam Senatus Populique Romani amicitiam, per legatos miſiſſet, anno 480. ſcribit *Zonaras*, *lib. Ann.* 2. Romanos, ea Regis comitate delectatos, viciſſim Legatos ad Regem miſiſſe. Eorum nomina profert *Val. Maximus*, *lib.* 4. *cap.* 3. Q. Fabius Gurges, Caius Numerius Pictor, Q. Ogulnius Legati ad Ptolemæum miſſi.

Ex eo quod *Zonaras*, loco citato, munera Regem tunc plane regia Romano P. miſiſſe refert, quidam argenti ſummam miſiſſe dicunt, & ex eo monetam argenteam fuiſſe primum cuſam; unde voces EX A. P. *ex argento publico*, explicandas arbitrantur. Quaſi verò Roma Regis dono opus habuerit, ad monetam argenteam cudendam: ſed quando decrevit eam ſignare, quùm peregrina uteretur, in qua Græci, & alii Populi eam adulterabant, *ex argento puro*, & ſine æris mixtione ſuam eſſe denotare, imo inſcribere in ipſis denariis voluit, quod ſemper ſequuta eſt; nam difficilibus temporibus ejus pretium augere, quùm denarios ex decem aſſibus ad ſedecim evexit, quàm adulterare maluit. In primis autem vel biga vel quadriga ut plurimum ſignabatur, unde denarii dicti ſunt bigati & quadrigati.

XXII.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte N. FABI. PICTOR. Figura galeata ſedens, d. apicem, ſ. haſtam, ad latera clypeus, in quo QVIRIN. in imo ROMA.

Numerius Fabius Pictor, Cai Fabii ſuperioris frater, & ipſi comes in legatione ad Ptolemæum Philadelphum, uti ſuprà ex *Val. Maximo* diximus, Quæſtor militaris extitit an. $\frac{477}{8}$. Legatus ad Regem Ægypti, $\frac{480}{1}$. Ædilis Curulis $\frac{482}{3}$. Prætor $\frac{485}{6}$. & tandem Conſul cum Junio Pera an. $\frac{487}{8}$. At quia Conſulibus primam curam argenti ſignandi fuiſſe datam novimus, hunc denarium, hoc anno,

à N.

à N. Fabio Conſule ſignatum pronuntiare poſſumus; cui adjuncta eſt littera numeralis x. ut in aliis ferè deinceps omnibus, ad denotandum denarii pretium, nempe pro x. aſſibus æreis mutari.

In averſa parte N. Fabius, quùm eſſet Flamen Quirinalis, expreſſit Quirinum: nam hoc Sacerdotium, ab inſtitutione illius, videtur in Fabia gente fuiſſe; quod Fabius fuiſſet Quirini ſeu Romuli ab intimis, & ejus imperio plurimum addictus, & inde tota gens Fabia. Videmus autem apud *Livium*, Fabium Dorſonem Flaminem Quirinalem anno $^{370}_{1}$ & poſt Numerium ipſum, alterum ejus gentis Q. Fabium pariter Flaminem Quirinalem, ex ipſo *Livio*, an. $^{564}_{5}$ nam, inquit, *lib. 6. Dec:* 1. ſacrificium erat ſtatum in Quirinali colle Genti Fabiæ.

Numa autem, apud *Plutarchum*, „ id Sacerdotium inſtituit, „ his verbis, Inde duobus Flaminibus, Diali & Martiali, tertium „ Romuli addidit, quem vocavit Quirinalem. Flamen verò Quirinalis ex majoribus erat Sacerdotiis & Patricii generis, cujus erant Fabii. Vox QVIRIN. in clypeo, nihil aliud quàm *Quirinus* explicari poteſt, ergo Quirinum ſedentem denotat; quamvis autem prolixa barba non ſit ornatus, ut in Memmia exhibetur, juvenis etiam depingi poteſt. Tenet apicem, ut Quirinalis Flaminis ſymbolum, ſiniſtra haſtam ſeu quirim, unde Quirinus eſt dictus, galea armatus eſt, ut inſignis bellator.

XXIII.

Caput Dianæ, ſupra cujus frontem creſcens Luna; ſupra humerum lævum arcus & pharetra: pone ROMA. In averſa parte, N. FABI. C. F. PICTOR. Victoria in quadrigis, d. flagrum.

Quin ad Numerium Fabium Pictorem pertineat etiam hic denarius, illius epigraphe dubitare non ſinit: ſed cur Diana Venatrix in anteriore parte? quùm deperdita ſint illius ævi monimenta, conjicere poſſumus, dum nomen Pictoris, quod non tulit frater, aſſumit, patris gloriæ æmulum, forſan Dianæ fanum in Aventino monte, ut parentem Salutis templum, ut ſcripſit *Plinius*, depinxiſſe, in cujus memoriam ejus effigiem in denario exhibuit. Niſi dicamus illius templi reſtaurandi curam habuiſſe: nam illis temporibus tantum in denariis repræſentabant, quæ ad ipſorum geſta ſpectarent. Victoria in quadrigis cum flagro, ſolitus eſt denariorum typus; unde illi denominabantur quadrigati; ut quando Victoria in

 bigis

bigis erat, appellabantur bigati : ſed ſi coronam aut palmam illa præferebat, aliquam victoriam denotare videbatur, & forſan propter quam ipſi triumphum egerant : itaque licèt N. Fabius bis triumpharit, an. 487/8 nempe de Saſſinatibus in Umbria, V. Cal. Octob. & de Sallentinis & Meſſapiis verſus Apuliam, Kal. Febr. denarius nihil de illis ſignificat.

XXIV.

Caput Romæ galeatum : in averſa parte C. F. L. R. Q. M. in area ROMA. Victoria in bigis, d. habenas, ſ. coronam.

„ *Fulvius* de hoc denario, ait, aliquem Fabiorum, Cai quoque „ & ipſum prænomine uſum, qui cum L. Roſcio, vel L. Rubrio, „ & Q. Marcio, Triumvir fuerit monetæ cudendæ, deſignari opinor : ſed inter incertos relegandus eſt, quùm ad C. Fannium, C. Fulvium & alios pertinere poſſit.

Obſervandum eſt, nos ex Fabia gente nummum, quem *Goltzius*, *in Faſtis pag.* 215. *num.* 6. ad Q. Fabium Maximum Africanum Conſulem cum L. Arruntio refert, an. 743/4 qui ad Duumvirum Cæſarauguſtæ in Hiſpania ſpectat, ut integrum Lector videbit in Auguſto, *lib. noſtri de Coloniis pag.* 26. *tom.* 1. cum hac inſcriptione CAESARAVGVSTA. Q. MAXIMO ITER. C. VALENTINO II VIR. Colonus agit boves. Q. ille Maximus ad alteram quam Fabiam gentem etiam ſpectare poteſt, quùm illud cognomen aliis conveniat Familiis.

FABRI-

FABRICIA.

FABRICIA gens Plebeia; ſiquidem Q. Fabricius, Tribunus plebis ſtuduit revocando Ciceroni. Deſumptum videtur eſſe nomen ejus à fabro. Paternus cognomen à voce *Pater*, & Aſpaſiis, Oviniis, & Taruſiis familiare.


L. FABRICI. in tabella, per medium nummi poſita, in vertice PR. id eſt, Prætor: ex averſo latere, PATERNVS. Serpens, in gyros circumvolutus, caput erigens.

Fabriciam gentem reperimus, cognomine Luſcinæ, à Luſco dictæ, & quidem Conſularem. Caius autem Fabricius ter Conſul & Cenſor fuit: ab eo opinor Paternos originem traxiſſe, & nummum ſpectare ad L. Fabricium patrem ejus, qui Fabricium pontem faciendum curavit; unde *Inſcriptio* in arcu pontis adhuc extat.

L. FABRICIVS L. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM COERAVIT
IDEMQVE PROBAVIT.
Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS M. F. COS.
EX S. C. PROBAVERVNT.

L. Fabricium fuiſſe Prætorem indicat nummus; ſed quùm ille Romæ non eſt cuſus, Provincialem extitiſſe neceſſe eſt. Et ſi nobis conjecturæ locus, ob ſerpentem Epidaurium, Achaiæ: nam Corintho diruta à Mummio an. $^{607.}_{8}$ illa Romana facta eſt Provincia, cui Prætor Romanus quotannis mandabatur. Serpens ille, ob ſolemne Æſculapii templum, ab Epidauro v. mil. diſtans, Achaiæ Provinciæ ſymbolum fuiſſe videtur, quia ille in ejus erat tutela, & quod deus ille Romam allatus ſit, ſub ejus figura.

FABRI-



FABRINIA.

I.

Caput Herculis, pelle leonina amictum, cum tribus globulis: in aversa parte M. FABRINI. in vertice ROMA. in imo ad latera tres globuli, in media area Navis.

FABRINIÆ gentis, etsi nummi sint triti & vulgares, nulla apud veteres *Scriptores* mentio reperitur. M. hic Fabrinius ex Romæ inscriptione, in qua signatus est nummus, illum Quæstorem Urbanum, cui commissa erat nummorum cudendorum cura, extitisse demonstrat: sed quo tempore vixerit, incertum est. Nummi forma & pondus, eum secundo bello Punico, quando As libralis ad unciam reductus est, ut sæpe diximus, videntur denotare ex tribus globulis tres uncias designantibus, illum percussisse. Hercules autem, quùm minuta moneta est facta, tunc in signari iis cœpit. Navis solitus est æreorum nummorum typus.

II.

Caput Mercurii cum pileo, cui adjuncta hinc & inde ala, pone tres globuli: ex averso latere. M. FABRINI. ROMA. ad latera tres globuli. Navis.

Fulvius ad FABRINI insciptionem, dubitavit de epigraphe, sed *Patinus* hunc nummum addidit, cum effigie Mercurii pileo ornati cum alis. Quùm autem minuta cusa est moneta, introductæ sunt in ea variæ deorum, quos præcipue Romani colebant, effigies. Mercurius varias ædes & templa in Urbe habuit, ut legere est apud *P. Victorem*. Mercurius cum alis depingitur, quia, ut credebatur, negotiorum omnium deus, per aëra volucrem ferri sermonem significare volebant. De quadrante & Navi dictum est.

III.

Caput Romæ, pone quod tres globuli: ex averſo M. FABRINI. in imo ROMA. Navis.

Romæ caput in minuta moneta, ut in denariis argenteis ſignari cœpit. Æquum ſane erat, ut Romana moneta, etiam ipſius imaginem præferret, quùm latè ita dominaretur, & apud Aſianos ut dea coleretur: tres autem globuli in nummo, quartam aſſis partem denotant, ut ſextertius in argento, ſic in æreis nummis quadrans, de quo *Juvenalis*, *Satyr.* 7.

Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in arca
Oſtendatur.



FADIA.

FADIA gens Plebeia; ſiquidem apud *Ciceronem* T. Fadius perperam Fabius, revocationem ejus ab exilio juvit, &, ſi nobis conjectura vera eſt, ex Arpino Latii oppido oriunda.

I.

Caput Romæ galeatum, ex altera parte L. FAD. L. SAT. Duæ dexteræ junctæ.

Patinus hunc minutum nummum ex ære, in additis protulit. Illam ex Arpino Latii urbe in Samnii confinio gentem fuiſſe oriundam diximus, quod T. Fadium, Cicero in Conſulatu Quæſtorem ſuum ut Arpinatem accepiſſe videtur, & L. Fadium Arpinatum Ædilem appellat, *lib.* 15. *Ep.* 15. *ad Atticum,* cui noſtrum denarium „ ex eo loco tribuimus, Tu, inquit, nummos Arpinatium, ſi L. „ Fadius Ædilis petet, vel omnes reddito. Ut Ædilis cum L. Saturnino hunc percuſſit, ad denotandam inter eos concordiam, cum dexteris ſimul junctis. Caput Romæ, an illam Arpini cultam denotat? & Municipiis Italiæ minutam monetam ſignare conceſſum.

II.

AVGVSTVS DIVI. F. Caput Auguſti, laureatum: ex averſa parte M. PORCI. CN. FAD. II. VIR. CAESARAVGVSTA. Vexillum ſuper aram.

Fadii nomen, non ita vulgare, ſuaſit ut hunc nummum, etiamſi Cæſarauguſtæ cuſum, hic proferamus, ad ejus gentis nummorum ampliationem. Cn. ille Fadius, cum M. Porcio, Duumviri renuntiantur, qui Conſulum ut Romæ dignitatem replebant, & ideo Roma, quùm deducta eſt Colonia, Cæſarauguſtam profecti, tanquam illius urbis cives. Ara & Vexillum ad Coloniæ originem ſpectant, dum illa deducebatur, aram primùm extruebant, ſupra quam ſacra fierent; quibus peractis, Vexillum, legionis in ea deductæ nomen præferens, imponebant. Vide & alterum horum Duumvirorum nummi typum, *in noſtro lib. Colon. pag.* 26.

FAN-



FANNIA.

FANNIA gens Plebeia, ſed Conſularis; uno *Ciceronis* teſtimonio, *ad Attic. ep.* 13. *lib.* 16. „ in præſentia mihi velim ſcribas, „ quibus coss. C. Fannius M. T. Tribunus plebis fuit. An ejus cognomen à Fano, duplicata conſonante? Illius gentis cognomen fuit Strabo, id eſt, qui oculos habet diſtortos.

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA : in averſa parte M. FAN. C. F. Victoria in quadrigis decurrentibus, d. coronam, ſ. habenas equorum.

M Fannius qui denarium cudit, Caii filius perhibetur, & Caii Fannii, qui cum M. Nonio Suffenate. Propræt. cum imperio Conſules & Cn. Pompeium ſequuti ſunt in Græciam an. 704; frater fuit, quorum pater videtur fuiſſe L. Fannius Strabo, quem Luculli Legatum narrat *Dio*, *lib.* 35. in cujus aliquam victoriam M. Fannius, ejus filius memor, in denariis, quos Quæſtor Urbanus percuſſit, Victoriam in quadrigatis ſolitis, coronam ex lauro gerentem, expreſſit.

II.

AED. PL. Caput Cereris, corona ex ſpicis ornata, in averſo latere M. FAN. L. CRITO. Duæ Figuræ ſupra ſellas ſedentes: pone eas P. A. id eſt, *Primi Ædiles*.

M. Fannius iterum prodit; ſed Ædilis plebis, ut indicat epigraphe ex parte Cereris in ea haud dubiè expreſſa ex *Dionis* verbis, *lib.* 43. qui narrat an. 709. Cæſarem Dictatorem Magiſtratus ordinaſſe, &, inquit, „ eodem anno primùm ſex „ Ædiles ſunt conſtituti, duo Patricii, qui Cereales voca„ rentur, quatuor Plebei. *Appianus*, Critonium ex iis unum „ fuiſſe nos edocet, *Bel. Civil. lib.* 3. Jam inſtabant, inquit, quos editu-

„ editurus erat Ædilis Critonius, & Cæſar junior in Ludos patri „ ſellam auream, atque coronam parabat; id quod ex S. C. „ illi in perpetuum, Ludis omnibus decretum erat. Quumque „ Critonius negaret ſe paſſurum honorari Cæſarem in iis Ludis, „ quos ipſe ſuo ſumptu faceret &c. Hujus Ædilis Critonii, ſolus meminit *Appianus*; ſed illius prænomen Lucium nos edocet denarius, ut M. Fannium etiam hujus anni 709. 10. Ædilem Cerealem Critonii Collegam fuiſſe nos monet: unde litteræ initiales P. A. Primos Ædiles Cereales fuiſſe illos denotant, ut & tertius ex iis Memmius ſcribit etiam in ſuis denariis. MEMMIVS AED. CEREALIA PREIMVS FECIT.

FARSV-



FARSULEIA.

FARSULEIÆ gentis nulla mentio nisi in *Inscriptione Coloniæ Juliæ Sutrinæ*, in qua inter Pontifices numeratur L. FARSVLEIVS RVFVS: unde ex hac urbe oriundam illam fuisse suspicamur; sed cognomen Mensor, ab eo qui agros aut castra metitur.

Caput Monetæ, pone quam typus monetalis. MENSOR. S. C. in aversa parte bigæ, in quibus Roma galeata, dextram Figuræ togatæ ad conscendendum in illas, porrigit: s. hastam, in imo L. FARSVLEI. in area scorpius, Monetarii nota.

L. Farsuleius exprimere videtur, quod ille ex Colonia Romam venit, & ad Magistratus accessit, puta ad Quæsturam Urbanam, in qua hunc denarium cudit, ut nota S. C. denotat. *Appianus, lib. 2. Bel. Civil.* „ Latinitatis, inquit, jus „ hoc fuisse, ut cives Romani fierent, qui in Latinis Coloniis „ Magistratum gessissent, vel quod Julia Lege an. 664. civitas data sit Sociis P. Romani ad Sociale bellum finiendum. Quare Farsuleio civi facto Romano, Roma manum ad Quæsturam ascendendum porrigit, quam sic expressit, quod illi denarios argenteos bigatos signari curarent. Ideò Junonis Monetæ caput expressit, & pone eam typum Monetalem. At quùm in variis Farsulei denariis, variæ litteræ numerales & caracteres occurrant, in *Patiniano* CXT. in meo TX. in altero ⸸XXV. & uno tantùm anno in Magistratu permanebat qui eo fungebatur, denariorum qui ex hac gente cudebantur, numerum designare videntur, tam diversus enim numerus solo anni curriculo, aliam causam respicere nequit.



FLAMINIA.

FLAMINIA gens Plebeia, à Flamine nomen habet desumptum, & ei cognomen Cilo: dicti autem sunt Cilones, quorum capita oblonga & compressa sunt; vel quibus frons eminentior, ita ut à dextra sinistraque recisa videatur.

I.

Caput Romæ galeatum, ante quod ROMA: in aversa parte C. FLAMIN C F. Victoria in bigis, d. flagrum.

C. Flaminius perhibetur in denario filius Caii, qui Tribunus plebis fuit an. $^{495.}_{6}$ & iter. an. $^{499.}_{500}$ & Ædil. an. $^{502.}_{3}$ Ille verò Quæsturam Urbanam iniit, an. $^{515.}_{6}$ in qua denarios cum Romæ effigie, Victoria bigatos agente cum flagro, cudit. Deinde Quæstor Provincialis an. $^{516.}_{7}$ Tribunatum plebis accepit, an. $^{522.}_{3}$ ex *Polybio*, & Legem Agrariam tulit, & factus est Ædilis Plebis an. $^{524.}_{5}$

II.

Capita jugata Penatium laurea coronatorum. Ante verò illa duæ litteræ initiales, D.P. id est Dii Penates: in averso latere Sella Curulis Prætoria, supra quam bilanx, in cujus medio cornucopiæ, ad d. latus Caduceus, ad s. EX. S. C. in imo C. FLAMINIVS C. F.

Ex Ædilitate Plebis C. Flaminius Præturam Provincialem adeptus est, sortitumque Siciliam, quam primus rexit, nos edocet *Julius Solinus cap.* XI. „ Post Sardiniam, inquit, res vocant Siculæ, „ primò, quod utraque Insula in Romanam potestatem redacta, „ iisdem temporibus Provincia facta est, quùm eo anno Sardi- „ niam M. Valerius, alteram C. Flaminius Prætores primi sor- „ titi sunt.

C. Flaminius ad Præturam indicandam, Sellam Curulem expressit, cui jus illius competebat, & lances apposuit, quod Prætori Juris dicundi partes incumbebant, Justitiæ enim insignia; at quia ex justitia nascitur abundantia & pax, ideo cornucopiæ sub bilan-

bilancibus expressum est; & ad latus Caduceus, pacis symbolum, quod requirebatur in Provincia recens redacta. Ideo denarius ex Senatusconsulto cusus, ut indicat nota EX. S. C. Dii Penates Siciliam respicere possunt: nam in ea colebantur: Æneas autem in Siciliam cum Palladio & Penatibus advenit, Segestaque urbe condita, horum cultum in ea commendavit: imo ante ejus adventum, Acestes summo honore illos prosequebatur, teste *Virgilio*, *Æneid.* 5.

Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in naves. Adhibete Penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.

Romæ etiam Dii Penates colebantur, si quidem eorum templum in 8. regione Fori Romani apud *P. Victorem*.

III.

Caput Jovis Capitolini in laurea: ex aversa parte C. FLAMINI. C. F. ROMA. Victoria stans coronam imponit trophæo, s. palmam gerit.

C. Flaminius Consulatum adeptus est, cum P. Furio Philo an. 530/1 ambobus decreta Gallia, insignem ad Adduam flumen de Gallis illi victoriam reportarunt. *Florus*, *lib.* 2. *cap.* 4. „ Gallos in eodem prælio Marti suo de hostium præda torquem vovisse narrat, sed intercepit, inquit, Jupiter hoc votum: nam de torquibus eorum Flaminius aureum trophæum Jovi erexit, in cujus memoriam Consul illius figuram in quinariis forsan exprimere voluit, ad denotandum non illud esse magnum, quod in loco victoriæ erigitur; & ex altera parte Jovem ipsum signavit, cujus auxilio victoriam retulerat, & illum in corona laurea exhibuit, in memoriam illius quam ei obtulit. *Marmora Capitolina* ex ea victoria triumphum egisse testantur.

C. FLAMINIVS C. F. L. N. COS. ANNO. DXXX. DXXXI. *Varr.*
DE GALLEIS VI. IDVS. MART.

Magister Equitum C. Flaminius creatus fuit comitiorum habendorum causa an. 532/3 sed vitio creatus cum Dictatore abdicarunt. Censuram gessit cum L. Æmilio Papo, an. 522/3 & lustrum fecerunt

runt XLIII. Tandem Consul iterum creatus cum Cn. Servilio Gemino, Flaminio an. 536/7 provincia contra Annibalem bellum secundum fuit, spretisque, ut ante, contra Gallos, auspiciis, ad Thrasymenum lacum cum Annibale congressus, exercitu pene deleto, occisus est. Reliquit filium prænomine Caium Consularem, qui viam Flaminiam stravit 566/7

IV.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in aversa parte L. FLAMINI. CILO. Venus victrix seminuda in bigis, d. coronam, s. equorum habenas.

L. Flaminius videtur ab altera stirpe, quàm à superiore ortus, nempe à L. Flaminio ejus patruo, & ideo Cilonis vel Chilonis (nam utroque modo, ut Graccus & Gracchus scribitur,) ut se distinguerent, nomen accepisse. De L. Flaminio loquitur *Cicero, lib. 6. ad Torquatum, ep. 20.* „Multa præterea metuo, quæ „cum Chilone nostro communicavi. Sed forsan de patre hujus qui denarium cudit, nam hic eum, ut Quæstor Urbanus in ætate florente signasse videtur, cum solito Romæ galeatæ capite, & Venerem victricem, quæ coronam gerit, in bigis decurrentibus, in gratiam Julii Cæsaris, ut nunc dicturi sumus, qui à Venere originem ducere se jactabat.

V.

Caput Veneris Erycinæ, corona myrtea ornatæ, C. CONSIDI. NONIANI. S. C. in aversa parte L. FLAMIN. CHILO. Venus victrix seminuda, in bigis, d. coronam, s. habenas equorum.

Duo Magistratuum nomina, nempe C. Considii Noniani & L. Flaminii Chilonis, eos quemdam simul gessisse denotant, & quidem ex Senatusconsulto, ut indicat nota S. C. Sed in hac rerum antiquarum caligine illum fuisse Duumviratum sacris reficiendis ædibus, & Veneris Erycinæ templum eos restaurasse, haud dubie ignoraremus, si illius effigies cum eodem C. CONSIDI. NONIANI nomine, & eadem S. C. nota in Considia gente exhibita non fuisset; & quam etiam haud novissemus, si ejus templi, in Capitolio à Q. Fabio Maximo Dictatore excitati, prospectus in aversa ejus parte, non esset signatus, quem ibi oculis tuis subjecimus.

Ille

Ille quidem denarius Considium Nonianum tantùm exhibet, hic verò ejus Collegam fuisse nos edocet. Venus verò victrix in gratiam Cæsaris, ut nunc dicturi sumus, in bigis percussa est.

VI.

Caput Veneris, cum epigraphe IIII. VIR. PR. FL. in aversâ parte L. FLAMINI. CHILO. Bigæ decurrentes, in quibus Victoria, d. coronam, s. equorum habenas.

L. Flaminius Chilo rursus prodit, sed novo Magistratu ornatus; nempe inscribitur Quatuorvir: nam *Suetonius*, *in Julio*, inquit, „ Senatum supplevit, Patricios allegit, Prætorum Ædi-„ lium Quæstorum, minorum etiam Magistratuum numerum „ ampliavit: Triumviri autem Monetales inter minores erant „ Magistratus, Prætores 14. facti, Ædiles 6. Quæstores 40. & „ nummi nos edocent Quatuorviros Monetales ab eo constitutos. Aliam enim Cæsar rationem non reperiebat præstandi ea, quæ multis multa pollicitus erat. Sed denarius L. Flaminium fuisse primum Quatuorvirum denotat, dum scribit PR. FL. *Primus flavit*, ille primus designatus ex quatuor anni initio Magistratum iniit. In gratiam igitur Cæsaris, Venerem ex qua se ortum prædicabat, percussit, & Victoriæ bigas agenti, coronam, ob Cæsaris victorias accommodavit.

VII.

Caput Julii laureatum: in aversâ parte L. FLAMINIVS. IIII. VIR. Felicitas matronali habitu, stans, d. caduceum, s. hastam.

Quatuorvir L. Flaminius primùm Veneris effigiem, ut Julii Cæsaris tutelarem deam & parentem, in denariis expressit; sed quùm *Dio* inter honores, qui illi à Senatu decreti, hoc narrat *lib.* 44. *Ipsius imagine pecuniam signaverunt*. Primi illi denarii videntur cusi, cum sola ejus effigie, & sine ejus adjuncto nomine: unde L. Flaminius primus flavisse confirmatur, quùm ejus denarii nomen non inscribant, nec ille PR. FL. id est, Primus Flamen Julii fuit, ut suspicatur *Fulvius*, quùm nulla adsint Sacerdotii symbola, sed Magistratum Quatuorviratus illæ voces

IIII. VIR. ante alias PR. FL. exaratæ penitus arguunt. In aversa parte Felicitas signata est, quod Senatus, in ejus honorem Felicitatis templum jussisset extruendum, ut indicat ipse *Dio*, *lib. laudato*. Ei mandatum est, utque novam Curiam extrueret. „ Erat enim Curia Hostilia, quùm refecta fuisset, denuò destru- „ cta : eo verbo, quod ibi templum Felicitatis ponere insti- „ tuissent : quod Lepidus, quùm Magister Equitum esset, absolvit. Felicitas gerit caduceum, ipsi tributum symbolum, quod post victorias, pax sit optanda.

FON-

F L A V I A.

FLAVIA gens Plebeia, ſed Conſularis; nomen habens à cognomine Flavo, id eſt, à colore ex viridi & rufo & albo concreto, qui fulvo clarior, qualis eſt color auri & mellis & ariſtarum, quùm jam maturuerunt. Cognomen in nummis eſt Fimbria. *Nonius* cujuſlibet rei extremitatem hoc nomine ſignificare tradit; Hemicyclus à ſedis forma, & Sævinus à ſævo, diminutivum.

I.

Capita Caſtoris & Pollucis laureata. FIMBRIA : in averſa parte Aquila legionaria inter duo ſigna militaria C. FLAVIVS T. F.

C. Flavius T. filius Fimbria Quæſturam accepit, an. $^{631.}_{3}$ & hunc denarium cudiſſe videtur in memoriam deductæ hoc anno Carthaginis, ut narrat *Plutarchus, in Tib. & C. Gracchi vit.* Porro „ in Africa, quùm deduceretur Carthaginem Colonia, quam „ Caius Junoniam appellavit. Nemo legit *noſtrum de Coloniis librum*, qui non ſciat, Aquilam legionariam & ſigna militaria Coloniæ deductæ, ex veteranis militibus eſſe ſolita ſymbola. At quùm ante paucos exciſa fuiſſet, ſex civium millibus, uti viritim ager Pœnicus divideretur, Lege Rubria latum eſt, & præſertim ex veteranis militibus, quùm eſſet tranſmare, in terra dudum hoſtili urbs. Expreſſi ſunt Caſtor & Pollux, ad proſperam obtinendam navigationem, quùm ipſi tempeſtates depellere & navigantes ſervare crederentur. Quidam eorum templum fuiſſe, ubi nunc ſunt SS. Coſmi & Damiani ædes.

Ex Quæſtura ad Tribunatum, ſed non ſine repulſa, tandem pervenit C. Flavius an. $^{638.}_{9}$ Ædilis Plebis fuit an. $^{641.}_{2}$ Prætor Urbanus an. $^{644.}_{5}$ Provincialis an. $^{645.}_{6}$ Reverſus Romam reus repetundarum factus, tamen abſolutus an. $^{647.}_{8}$ Conſulatum obtinuit cum Mario an. $^{649.}_{50}$ Flavio Italia remanſit pro Provincia, Cinnano tumultu quùm Marius exul à Cinna revocatus eſt, an. $^{666.}_{7}$ in Penatibus domi ſuæ trucidatus eſt, teſte *Floro, lib.* 3. *cap.* 21.

II.

L. FLAVI C. F. SAEVINVS Caput Romæ galeatum, ex altera parte Caduceus, in medio duorum Cornucopiæ, cum vocibus EX S. C. in corona è lauro composita.

L. Flavio C. filio, qui nummum percussit Sævini cognomen, ob crudelitatem insignem Caii patris Fimbriæ, qui ab *Aurelio Victore, in ejus vita* sævissimus Cinnæ satelles appellatur, inditum videtur. Ille Tribunus Plebis fuit an. $^{693}_{4}$ in quo Legem Agrariam promulgavit, de agro militibus Pompeianis dividundo, sed non rogata fuit. Prætor Urbanus, Quæstionem inter sicarios sortitus obtinuit, an. $^{695}_{6}$ cui Tigranis Regis filius datus est in custodiam, ex *Dione lib.* 38. Prætor Provincialis an. $^{696}_{7}$ Tandem, *ex Tabulis Capuanis*, Consul suffectus, P. Autronio ex Cal. Maiis ad Julias an. $^{720}_{1}$

Hoc anno, quùm ex fœdere, inter M. Antonium, Cæsarem, & Sex. Pompeium, per quadiennium coss. fuissent designati, ut sæpe diximus, ex *Appiano, lib.* 5. *Bel. Civil.* Pompeius ob bellum renovatum non iniisset, Antonius & Cæsar vicissim Consules suffecisse videntur: nam in iis *Tabulis Capuanis* numerantur octo Consules; at quùm L. Fulvius Pompeio fuisset addictissimus, ad Antonium confugisse apparet, ut ex *Dione colligitur, lib.* 49. „ Consulatumque simul & dedit L. Fulvio, quem secum habebat, & ademit, illum male Χλαούϊον pro Φλαούϊον nominat.

L. Fulvius in Consulatu suo, ut opinatur *Goltzius*, hunc denarium percussit. Per duo Cornucopiæ alludit M. Antonio & Cæsari, ex quibus abundantia, dum pax, per caduceum expressa, inter eos permanet; & Corona ex lauro utriusque victorias denotat: nam hoc anno Antonii & Cæsaris inimicitiæ in apertum bellum non eruperant: itaque Senatus, qui pacem inter eos maximè optabat, hæc pacis & abundantiæ symbola, & eorum victoriarum insigne laurea, Senatusconsulto in hoc denario exprimi censuit.

III.

III.

C. FLAV. HEMIC. LEG. PRO. PR. Caput Apollinis, ante quod lyra: ex averso latere. Q. CAEP. BRVT. IMP. Victoria coronam imponit trophæo, s. palmam gerit.

C. Flavius, si nobis conjicere liceat, ex ratione temporis fratrem fuisse L. Flavii Sævini auguror: sed nec dictus est Hemis, ut *Fulvius* scripsit, sed constanter HEMIC. Vocula autem Hemi extra compositionem non usitata est, sed addita altera potest dici Hemicyclus, ut Cassius dicebatur Hemina. Ille verò à sedis semirotundæ, in medii circuli formam factæ, de qua ait *Cicero in Lælio: Tum memini domi in hemicyclo sedentem.* Unde corruit *Cl. Perisonii* sententia, *Diss.* 3. cui excogitata est dea THEMIS, pro Apolline, in denario percusso.

Tribunatum Plebis accepit C. Flavius an. $\frac{694.}{5}$ quem frater iniit an. $\frac{693.}{4}$ Ædilis Plebis fuit an. $\frac{696.}{7}$ Prætor Urbanus Quæstionem de ambitu sortitus obtinuit, an. $\frac{698.}{9}$ Provincialem Præturam, an. $\frac{699.}{700}$ At quùm uterque frater Pompeio esset addictissimus, nihil mirum, si Bruti Legatus Proprætore fuit, in cujus honorem hunc denarium percussit, cum titulo Imperatoris, quem obtinuit Bessis devictis, ut innuit *Dio. lib.* 47. „ In Bessorum ingressus regio„ nem, eo animo, ut & eorum maleficia vindicaret, & no„ men sibi Imperatoris (quo faciliùs contra Cæsarem & An„ tonium bellum gerere posset) adipisceretur; utrumque, Rhes„ cuporide, ex *Nummis*, regulo magnopere adjuvante, perfecit. Ideo trophæum, in terra Bessorum erectum, Flavius signavit, cui Victoria coronam imponit. M. autem Brutus appellabatur Q. Cæpio, quod fuerat in Serviliam gentem, à Q. Cæpione avunculo adoptatus, cujus erat cognomen Cæpio.

Ex anteriore parte expressa est Apollinis effigies, cum cithara, cujus est symbolum, ut sparsim retulimus; in memoriam Ludorum Apollinarium à Bruto editorum ob Præturam suam; quæ cithara ad id denotandum, in altero Bruti denario, exhibetur apud *Ursinum*, *Tab.* 3. *num.* 1. uti in Junia gente ampliùs explicaturi sumus.

C. Flavius, ut inimicissimus erat Cæsari, Lucii Antonii in bello Perusino partes amplexus, & pace inter hunc & Cæsarem truci-

datus eſt, ut tradit *Appianus*, *Bel. Civil. lib.* 5. „ Tamen tumultuari contra quoſdam non deſiit, donec interfecti ſunt, qui erant inimiciſſimi Cæſaris, Canutius, C. Flavius, Clodius Bithynicus, & ceteri.

IV.

Primus *Fulvii* denarius à nobis ut incertus, ad calcem aliorum appoſitus eſt, ceu ſit Flaviæ gentis, ſed quem indicare nemo poteſt, velut cognomen; ſicuti ſuſpicatur *Urſinus*. In Quæſtura videtur cuſus, ad indicandam Prætoris vel Proconſulis victoriam, ut coronam gerit Diana bicornis in bigis.

FON-



FONTEIA.

FONTEIAM gentem Plebeiam fuiſſe, ut inquit *Fulvius*, ex hoc intelligere poſſumus, quod P. Clodius Ciceronis inimicus, qui ut Tribunus Plebis fieret, ad Plebem traduci volebat, P. Fonteio Plebeio homini ſe adoptandum dedit. Hujus nomen alii à fontibus defluxiſſe, alii à Fonto Jani filio, originem habuiſſe exiſtimant. Capito cognomen, à capite, cui autem magnum caput erat, Capitonis cognomen eſt inditum: Fonteiam verò gentem Tuſculo, ex clariſſimo municipio profectam, tradit *Cicero*, *in Orat. pro. M. Fonteio.*

I.

P. FONTEIVS CAPITO IIIVIR. CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: in averſa parte T. DIDI. IMP. VIL. PVB.

Jam prodiit hic in gente Didia; quod T. Didius, qui de Scordiſcis Thraciæ populis triumphaverat, anno $^{640.}_{1}$ ex manubiis ejus belli Villam Publicam reſtauraverat. In cujus memoriam P. Fonteius Triumvir, hoc anno muris, turribus, ædificiiſque publicis reficiendis creatus. Hujus operis curam habens, Villæ illius Publicæ proſpectum in denario exhibuit: at quùm muneris Triumviri titulus ex parte Concordiæ, cum ejus deæ nomine adſcriptus, ſuadet, ut Concordiæ etiam templum reſtituiſſe opinemur.

II.

P. FONTEIVS P. F. CAPITO III VIR. Caput galeatum juvenile & lanugine decorum, pone quod trophæum: in averſa parte Eques galeatus decurrens, d. haſtam in Barbaros humi proſtratos vibraturus. M. FONTEIVS TR. MIL.

Quin ad eumdum P. Fonteium Capitonem pertineat etiam hic denarius, Publii prænomen ut & adhuc Triumviri Magiſtratus, dubitare non ſinunt: ille Publii filium in eo ſe nominat, cujus patrem

patrem, P. Fonteium Capitonem fuisse opinamur, qui apud *Livium*, *Dec. lib.* 52. Prætor anno 584. Sardiniam sortitus obtinuit: in aversa autem parte M. Fonteium Tribunum militum barbaros in aliquo prælio, quod ignoramus, prosternentem exhibet; cujus insignis facti memoriam non modò revocat, sed Martem exhibet cum trophæi symbolo, ut M. Fonteium, à quo originem se trahere hoc denario demonstrat, in hoc prælio, quasi alterum Martem, inter alios enituisse denotet.

III.

Caput Jovis laureatum & barbatum, pone quod nota s. *semissis*. in aversa parte C FONT. Navis, ad latus nota s.

Si P. Fonteius in superiore denario, M. Fonteium Tribunum militum barbaros in pugna olim conculcantem, ad antiquitatem Fonteiorum indicandam expressit, forma hujus nummi & ejus unciale pondus, C. Fonteium qui eum percussit, jam primo bello Punico Quæsturam iniisse demonstrat: nam illo As libralis ad sextantarium reductus, ut ex *Plinio* sæpe diximus, & sic semissis ille uncialis factus est. De Jove, in nummis æreis pro Jano solito in iis signato, sparsim egimus. C. Fonteii nummus ejus Quæsturam tantum nobis indicat, de aliis ejus Magistratibus nihil reperimus. *Cicero* tamen in *Oratione pro M. Fonteio*, continuas huic familiæ Præturas tribuit, sed plurima *Historiæ Romanæ* monimenta cum libris sepulta jacent.

IV.

Caput Romæ galeatum, supra quod quatuor globuli, in aversa parte C. FONT. in imo ROMA. Navis.

C. Fonteius, ut Quæstor Urbanus, quod indicat vox ROMA, hunc Trientem percussit: quatuor globuli, seu notæ, illum esse arguunt: nam olim quatuor uncias denotabant, quæ tertia libræ pars est, unde Trientis nomen. Licèt autem moneta ærea primo bello Punico esset imminuta, tamen pondere tantum, & non pretio; quatuor enim illi globuli in ea semper impressi sunt, ad illud denotandum: imo quando secundo bello Punico sextantarius est factus uncialis, semper in Triente quatuor illi globuli remanserunt. Romæ caput in minutis nummis, quando imminuta

imminuta eſt moneta, ſignari cœpit, ut ab initio argenti ſignati, in denario, ad denotandam pecuniam eſſe Romanam, expreſſum eſt.

V.

Capita Caſtoris & Pollucis jugata, & corona inſignita, cum aſtro ſuper ea: in averſa parte M. FONTEI. Triremis, cum remigantibus.

Manius Fonteius, ut opinamur, C. Fontei, qui ſuperiores nummos percuſſit, filius fuiſſe videtur, ut ratio temporis indicat, nec alterum M. Fonteium, Galliæ Prætorem, quem defendit *Cicero*, fuiſſe ignoramus. Sed totus denarii typus ad rem navalem ſpectat. Hinc Caſtor & Pollux, tutelares navigationis dii ab antiquis habiti, & inde Triremis Claſſem demonſtrat. De re navali ſub M. Fonteio, à *Cicerone* defenſo, in tota *Romana* ejus ævi *Hiſtoria* nihil habetur. M. igitur Fonteium, qui denarium ſignavit, Duumvirum Navalem fuiſſe opinor an. $^{571.}_{3}$ qui ad tutelam oræ maritimæ, quod Piratæ Italiam infeſtarent, creati ſunt, ex *Livio Decad.* 40. Alter ex Duumviris cum denis navibus verſus Maſſiliam, alter totidem circa Tarentum & Brunduſium; in cujus memoriam videntur cuſi denarii, cum trireme Prætoria & nomine M. Fonteii, qui uni præerat; & in parte anteriore Caſtor & Pollux ſignati ſunt, quod ipſi mare Piratis liberarint, & ob id dii maris habiti ſint; & ſtella inſigniuntur, quod felix omen ſit navigantibus in tempeſtate.

VI.

Caput Jani bifrontis, imberbe & coronatum, in area littera Q. id eſt *Quæſtor*: in averſa parte C. FONT. in imo ROMA. Triremis, cum remigantibus.

Ad C. Fonteium, M. Fonteii ſuperioris filium, pertinet denarius, quem cudiſſe videtur in Quæſtura ſua an. $^{642.}_{3}$ quo bellum Jugurthinum, ex *Salluſtio*, cœptum eſt, dum L. Calpurnius Piſo Beſtia exercitum in Numidiam tranſtulit: quam ob rem C. Fonteius triremem in denariis, ad denotandam Romanorum Claſſem, expreſſit; ſeu illos ac uſum ad impendia Claſſis illius inſtituendæ eſſe ſignatos. Vox *Roma*, Fonteium Urbanum Quæſtorem fuiſſe arguit.

Janus in hoc denario, ad indicandam Fonteiorum originem, (nam Fonteia gens ambitiosa, ut illo sæculo moris erat, genus suum à Fonto Jani filio deducere volebat,) expressus est; de quo ita *Arnobius, lib.* 2. „ Janum ferunt Cælo & Hecate procreatum, in Italia „ regnasse primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem *Fonti*, „ Vulturni generum, Juturnæ maritum. Semper corona ornatur, quia coronarum inventorem Veteres eum existimarunt, quod *Dracon Corcyræus*, apud *Athenæum* plurimus docet. Imberbis depingi cœpit, quando Romani barbam deposuerunt: nam *Ovidius* ita canit:

Sic apud intonsos nomen habebat avos.

Ex Quæstura Fonteius Tribunatum Plebis gessit an. 647/8. Ædilis Plebis fuit an. 650/1. Prætor Urbanus 653/4. Provincialis autem, 654/5.

VII.

Caput Vejovis laureatum, sub quo fulmen, in area litteræ AP. in monogrammate M. FONTEI C. F. In aversa parte puerulus alatus insidet Capræ, in vertice pilei Dioscurorum, astris insigniti, in imo acrostolium trifidum, corona laurea omnia cingit.

M. Fonteius Caii filius fuit ille, qui Prætorius à *Cicerone* defensus est, qui ut Duumvir sacris reficiendis ædibus, templum Vejovis in 8. regione, inter arcem & Capitolium extructum prope Asylum, restituit; quare in anteriore parte illius caput expressit, cum fulmine sub eo; additis duabus litteris AP. simul junctis, quæ APOLLO exponuntur, ut nos docet *Gellius, lib.* 5. *cap.* 12. „ Simulacrum „ igitur dei Vejovis, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas te- „ net, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter „ Deum plerique Apollinem esse dixerunt. Similem typum vide „ in gente Cæsia.

Nonis Martii, qui est dies septimus, Vejovis templum consecratum est ad duos lucos Asyli, de quo ita *Ovidius*:

Una nota est Martis nonis, sacrata quod illis,
Templa putare lucos Vejovis ante duos.

Restaurato templo, Capra in aversa parte Vejovi sacrificium esse factum indicat; nam ait, loco laudato, *Gellius, immolaturque illi ritu humano capra*; quare puerulus capræ insidet; & addit *idem Autor, ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat.* In vertice autem

autem ſuper capram adſunt pilei Dioſcurorum aſtris inſigniti, & in imo acroſtolium trifidum, quæ ad rem navalem ſpectant, forſan in memoriam patris, quem ſuprà Claſſi præfuiſſe diximus.

Nobis ſupereſt ut M. Fonteii Magiſtratus enumeremus, à Quæſtura Provinciali incœpit an. 664/5. ad Tribunatum Plebis pervenit an. 669/10. factus eſt Ædilis Plebis an. 671/2. Prætor Urbanus Quæſtionem Publicam ſortitus eſt an. 675/6. Provinciam Galliam Narbonenſem obtinuit an. 676/7. ex qua redux de repetundis reus factus eſt, quem defendit *Cicero*.

VIII.

Caput Veneris, in averſa parte C. FONTEI CAPITO III VIR. Tripus, ſupra quem corona, in laurea.

C. Fonteius, qui denarium aureum cudit, videtur eſſe is, qui Conſul ſuffectus eſt, cum M. Acilio Aviola Kal. Juliis an. 720/1. At Caii filius perhibetur in *Faſtis Conſularibus*. Quùm autem M. Fonteius Prætorius, de quo nobis ſupra ſermo erat, fratrem, in *Oratione Ciceronis*, habuerit legatum ſuum, qui, ut arbitramur, Caii prænomen, ut huic Familiæ peculiare, tulit, hic ejus filius fuit, qui Triumvir Monetalis, poſt pugnam Pharſalicam, in Julii Cæſaris gratiam Veneris effigiem, ex qua ſe originem traxiſſe jactabat, expreſſit, & in memoriam Ludorum Apollinarium Tripodem, hujus dei inſigne, cum corona, quæ in ſacris quæ ante Ludos in ejus honorem fiebant, illi porrigebatur, exhibui. Laurea autem, quæ ambitum occupat, ad Cæſaris victorias ſpectat.

IX.

C FONTEIVS CAPITO PROPR. Capita M. Antonii & Cleopatræ jugata: in averſa parte M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III VIR. R. P. C. Navis, cum velo expanſo & remigantibus.

X.

M. ANT. IMP. COS DESIG. ITER. ET. TERT. Eadem capita jugata C. FONTEIVS CAPITO. PROPR. Eadem Navis Prætoria.

Antonii partes in diviſione Imperii cum Cæſare ſequutus erat C. Fonteius, & inter ejus amicos numerabatur, de quo *Horatius*, *in Hodœporico*:

—— Capitoque ſimul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonî non ut magis alter amicus.

Nam unius ex ejus Provinciis in Oriente factus est Proprætore, ut fert denarii inscriptio, & Classis, seu Siciliæ seu Phœnices, jam Præfectus erat, quùm eum an. $\frac{717}{8}$ ex *Plutarcho*, ad Cleopatram in Syriam adducendam sibi in Parthos properanti adduceret : qua de re in eorum honorem hunc nummum cudit, in quo Antonius Cleopatræ sociatus, & Triremem, ad ejus Præfecturam Classis denotandam, signavit. M. Antonius, ex *Appiano*, cum Cæsare & Pompeio Consulatus in quadriennium destinaverant, sic in nummis Antonius appellatur, cos. designatur *iter* & *tertium*. „ Sequenti die, inquit, coss. designati sunt in quadriennium, „ ante omnes Antonius & Libo, ut tamen Antonio liceret „ alium pro se substituere, quod successit an. $\frac{719}{20}$ Post illos, Cæsar & Pompeius, nempe 720. At quùm Sex. Pompeius bellum renovasset, Cæsar L. Volcatium sibi Collegam sumpsit. Abdicavit Cæsar & Autronium nominavit, Kal. Maiis. Antonius L. Flavium suffecit, ut in gente Flavia diximus : & huic Kal. Juliis iterum C. Fonteium suffecit; anno verò $\frac{721}{2}$ Ænobarbus & Sosius, ut designati eran, tinierunt. Deinde rursum, an. $\frac{722}{3}$ Cæsar & Antonius; sed hic Romæ non iniit, sed se Consulem Alexandriæ appellavit, ut videre est de illo & de Fonteio, in *nostra Ptolemæorum Ægypti Regum Historia.*

Observandum, quod ex Fonteia gente nummum *Patini* septimum Capitone iter. & Cytheronte II VIR. cum Augusti effigie, quod Fonteii nomen non habeat, & ad aliam gentem referri possit, quùm plurimi Romani, ut videre est apud *Glandorpium*, illud tulerint, prætermisimus.

FVFIA



FVFIA.

FUFIA gens Plebeia, ſed Conſularis, nova licèt: ſi quidem L. Fufius Calenus primus Tribunatum Plebis obtinuit, an. 662/3 Cognomen Caleni, quod Calibus, urbe Campaniæ, oriundus eſſet. Eam vocat Strabo, *lib.* 5. Καλησίων πόλιν, unde in ſuis nummis inſcribitur CALENO*rum*.

I.

HO. VIRT. Capita Honoris, cum laurea, & Virtutis cum galea jugata; ſub quibus vox KALENI. Ex averſo latere ITAL. RO. Duæ mulieres, dextras junguntes, pone dexteriorem, ſ. cornucopiæ gerentem caduceum, ſiniſterior pedem d. globo imponit, ſub iis vox CORDI.

Duo nomina duas familias denotant: cognomen Kaleni priorem ad gentem Fufiam revocat, cui peculiare eſt, de qua nobis nunc erit ſermo; alterum *Cordi*, ad Muciam ſpectat, de qua in ejus gente loquemur. In quo verò Magiſtratu ſimul denarium percuſſerunt, difficile eſt pronunciare. L. Fufius Kalenus pater fuit Prætor Urbanus an. 668/9 ſed typus ad eum ſpectare nequit; ſi quidem pacem, poſt diſſidia civilia inter Italiam & Romam, quod ſub Mario non obvenit; ſed ad Q. Fufium Kalenum ejus filium, qui ſub Sylla cum C. Mucio Cordo Quæſturam iniiſſe videtur, quando Lege Cornelia viginti Quæſtores ſunt creati an. 673/4 Ideo Calenus, ex una parte, Italiam & Romam, poſt diſſidia inter Marium & Syllam, priore mortuo, altero victore, dextras ſibi jungentes exhibuit, & Mucius Cordus Honoris & Virtutis capita, in patris ſui memoriam, expreſſit, ut in gente Mucia dicturi ſumus.

II.

LEIBERTAS. Caput Libertatis velatum: in averſa parte Q. CA-

 LENVS

LENVS. COS. & aliud nomen circa ambitum videtur eraſum. Apex, ſecuris, & culter.

Non ad eumdem Q. Calenum ſpectat denarius. Superior L. Kaleni Prætoris an. $\frac{668.}{9}$ filius fuit, hic verò C. Fufii ejus fratris fuit filius. Præturam Urbanam geſſit, ex *Dione*, *lib.* 38. in qua Legem de ſuffragiis tulit an. $\frac{694.}{5}$ Prætor fuit Provincialis an $\frac{695.}{6}$ Deinde in Civili bello Julii Cæſaris Legatus fuit; & quùm ille ex Ægypto, pacatis ibi rebus, poſt Pompeii mortem, reverſus eſt Romam, Q. Fufium Calenum cum P. Vatinio, illius etiam Legato, nominavit Conſules in paucos dies, anno nempe $\frac{706.}{7}$ De quibus ipſe *Dio*, *lib.* 42. narrat. „ Hæc, inquit, à Cæſare eo anno geſta ſunt, quo „ re ipſa Dictaturam iterum geſſit, quùm Conſulum nomen Ca- „ lenus & Vatinius extremo anno conſtituti ferrent. Nomen P. Vatinii in ambitu denarii, quod eraſum eſt, forſan ſcriptum erat, vel qui illum ſub ipſius nomine percuſſit.

In anteriore nummi parte expreſſa eſt dea Libertas, quaſi per Pharſalicam pugnam, profligato & deinde occiſo Pompeio, aliiſque ſeditioſis extinctis, Cæſar libertatem P. Romani vindicaſſet. Apex, ſecuris & culter, ſacrificiorum inſignia.

III.

C I. N. C EX. PER. Caput Antonii Triumviri, in averſo latere T FVFIO. M AIMILIO II. VIR. Caput Auguſti.

Ex integriore nummo Antonii Triumviri caput agnovimus, & ut Calenus ſuperior ejus partes tenebat an. $\frac{713.}{4}$ ſicut ex *Appiano* diſcimus *lib. Civ* 5. Erant & aliæ ſub Alpibus Antonianorum co- „ piæ, quibus Calenus præerat, ſed cum ipſe fato functus eſt, „ Cæſar occaſione arrepta profectus eò, tum exercitum occupavit, tum Galliam, Hiſpaniamque Antonii Provincias, Fufio Caleni filio, per metum omnia dedente, ſine certamine, aliquis ex Fuſia Familia Duumvir Coloniæ Juliæ Carthaginis novæ, Antonio & Cæſari, dum concordes erant, nummos dedicaſſe videtur.

FVL-

FVLVIA.

FVLVIA gens è Tuſculo oriunda, ut innuit *Cicero Philip.* 3. etſi Plebeia, honoribus tamen & rebus geſtis clara. Nomen deſumpſit à Fulvo colore. In tres Familias cognominibus diſcretas, diviſa eſt: nam Nobiliores & Pætini primam, Centumali ſecundam, & Flacci tertiam obtinent. At quùm nobis denarii ex earum antiquitate non ſuperſint, ordine alphabetico illos exponemus. Centumali cognomen *Ant. Auguſtinus* potuiſſe deduci à centum manibus; primum itaque fuiſſe centimanum dictum ſuſpicatur. „ Litteram verò, inquit, N in L. mutari Mallii pro Man- „ liis, gemelli pro geminis, exemplo ſint. Sed ſi conjicere liceat, Centumalus à centumallis, quod allus, ex *Feſto*, ſit pollex, ſcandens proximum digitum, & ſic ab hoc defectu, ut ſolebant antiqui cognomen imponere. Flacci dicebantur, qui aures latas haberent, & ob magnitudinem deorſum reflexas. Nobilior, dictus videtur ab excellentia.

I.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte CN. CENTVMAL. in imo ROMA. Caſtor & Pollux, in equis decurrentes, cum haſtis, & aſtris ſupra capita inſigniti.

Ad Cn. Centumalum pertinere hunc denarium *inſcriptio* docet: ſed quùm plurimi ejus prænominis & cognominis fuerint, ad formam & typum illius refugimus: primis enim temporibus, quibus moneta argentea ſignata eſt, eam Conſules ſignare curabant, & breves nominis ſui notas in iis ſcribere ſolebant: qua de re hunc Cn. Fulvium, Cn. Fulvii Centumali Conſulis cum L. Scipione, an. 455/6 filium, denarium cudiſſe exiſtimamus. Is Quæſtor Provincialis fuit an. 511/2 Tribunus Plebis an. 516/7 Ædilis Plebis an. 518/9 Prætor Peregrinam Juriſdictionem ſortitus eſt an. 522/3 & tandem Conſul cum L. Poſtumio Albino an 524/5 quo illum ſignavit cum ſolita Romæ galeatæ effigie, & typo Caſtoris & Pollucis

Pollucis decurrentium; quorum hiſtoriam & à Romanis cultum, iis poſt prælium ad Rhegillum lacum, in quo pro ipſis A. Poſtumio Dictatore decertaverant, adhibitum, ſparſim retulimus. Cn. verò Centumalus Procos. Illyricum obtinuit an $^{525.}_{6}$ & de Illyriis triumphum navalem edidit x. Kal. Quint.

I I.

Caput deæ Fidei corona oleagina ornatum: in averſa parte CN. FVLVI. CN. F. CN. N. MAX. CENTVMAL. Sella Curulis, ſupra quam corona, in vertice bilanx, in imo EX S. C.

Ad Cn. Centumalum Cn. Centumali ſuperioris Conſulis filium, ut arbitramur, denarius ſpectat, qui, ut ab antiquis Centumalis originem ſe trahere denotaret, Cn. Fulvius, Cn. filius, Cn. Nepos Maximus Centumalus inſcriptus eſt. Quæſturam Provincialem geſſit an. $^{531.}_{2}$ Tribunatum Plebis an. $^{536.}_{7}$ Ædilis fuit Curulis, ex *Livio*, an. $^{539.}_{40}$ quo denarium cudiſſe videtur. Ut eorum munus & officium cum ludis celebrandis, etiam ſacrarum ædium cura erat, caput Fidei in illo expreſſum, ut & corona ſupra Sellam Curulem, Ædilium inſigne, illius templum EX S. C. reſtauraſſe denotat. Ejus ædes erat in Capitolio, ut *Plinius* tradit, *lib.* 37. quod confirmat *P. Victor*, quo reparato ſacra in ædibus facta ſunt, & corona de more deæ oblata eſt, quæ omnia in denario expreſſa ſunt, ad ejus rei memoriam. Vide in Cæcilia & Licinia gentibus, Fidei effigiem.

Bilanx autem videtur addita, quæ eſt Juſtitiæ ſymbolum, ad denotandum Ædiles Curules jus etiam dicere: nam maximè ad eos pertinebat, cauſas & lites redhibitionum, in quibus agebatur de rei corruptæ vitio, quam quis aut vendidiſſet, aut commutaſſet, dirimere: ideoque ubi, Kal. Januariis Magiſtratum inierant, non aliter atque Prætores edictum proponebant, in quo, quemadmodum de ſingulis controverſiis jus dicturi eſſent, ad populum proponebant. Unde apud *Juriſconſultos* peculiaris *titulus* eſt *de Ædilitio edicto.*

Cn. Centumalus ex Ædilitate Præturam accepit an. $^{540.}_{1}$ deinde Conſulatum cum P. Sulpicio Galba an $^{542.}_{3}$ Procos. Apuliam obtinuit an. $^{543.}_{4}$ & ad Herdoneam, in prælio ab Annibale occiſus eſt, cum duodecim Tribunis.

III.

III.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte bigæ, aurigante Victoria, cum flagro. M. FLACC. in imo ROMA.

Simplex & compendioſa denarii inſcriptio, ſuadet ut eum M. Fulvio Flacco Q. filio M. Nepoti tribuamus, qui Conſulatum geſſit an. 489/90 ut notat *Gellius*: nam caput Romæ galeatum, & ſolitus bigarum typus iis primis quo ſignata eſt Romæ moneta temporibus argentea, planè id convincit. Is Quæſtor fuit Militaris an. 477/8 Tribunus Plebis an. 482/3 quo S. C. de puniendis octavæ legionis militibus interceſſit. Ædilis plebis an 485/6 Prætor ut videtur an. 487 Conſulatum geſſit, ut ſupra diximus, cum Appio Claudio Caudice, an. 489. an. primo belli Punici primi.

IV.

Caput Jovis laureatum: in averſa parte M. FLAC. in imo ROMA. Coronam imponit trophæo Victoria ſtans.

Eadem *Inſcriptio* eidem Marco Flacco Conſulari denarium adjudicat; quod ſuadet forma nummorum, quos vocabant tunc temporis Victoriatos, ob Victoriam in eo Quinario impreſſam, quæ tamen ſine cauſa in illis adhiberi non videbatur, aut quùm trophæi erigendi cauſa obtigebat, poſt omnes victorias: nam M. Flacco Conſuli Provincia contra Vulſinienſes obvenit, quibus devictis, & pacata tota Italia, de iis triumphavit, ut teſtantur *Marmora Capitolina.*

M. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. AN. CDXXCIX. CDXXCX. *Varr.*
COS. DE VVLSINIENSIBVS. K. NOV.

Quare M. Flaccus in loco victoriæ trophæum erexiſſe, cujus memoriam in denariis apud Poſteros commendare voluit; & in iis Jovem Capitolinum, in cujus templum triumphantes aſcendebant, ſacra facturi, expreſſit; & coronam ex lauro in averſa parte ambitum cingente, ad denotandam illam, quam huic deo ex hoſtium manubiis obtulit. Tandem Magiſter equitum factus eſt cum T. Coruncanio Dictatore, Comitiorum habendorum cauſa, an. 507/8

V.

FLACCVS. Caput Romæ galeatum : in aversa parte M. FVLVI. Q. F in imo ROMA. Castor & Pollux decurrentes in equis, armati lanceis, & astris supra capita insigniti.

Ad eumdem M. Fulvium pertinere putat *Goltzius* hunc denarium, quod Q. filius, ut ille vocatur, & quidem quùm ei Flaccus sit cognomen : sed obstat amplior quam in illo inscriptio ; & cum *Pighio*, alteri M. Fulvio Q. filio Flacco illum tribuimus, nempe fratri Q. Fulvii Proprætori Hispaniæ Citerioris, in quam simul missi fuerunt, ex *Livio*, & qui ejus Quæstor fuisse videtur, an. 566/7 & denarium percussit, cum solito Romæ & Dioscurorum typo. Eorum pater fuit Q. Fulvius Flaccus Consularis & Censor, qui Capuam cepit, & illorum avus M. Fulvius, ad quem spectant superiores denarii.

VI.

Caput Neptuni supra Delphinum, cum tridente supra humerum sinistrum, ROMA. ex aversa parte in imo M. FVL. Q. F. FLAC. Quadrigæ triumphales, in quibus Figura cum veste triumphali, d. habenas, s. lauream, Victoria in curru pone eam, coronam supra caput illius imponens, in vertice litteræ numerales XIIII. cum lineola supra eas ducta.

Eadem *inscriptio* ad eumdem M. Fulvium Q. filium Flaccum revocat hunc denarium ; sed typus fratris de Celtiberis triumphum exhibet, in cujus honorem illum percussit: quùm autem Celtiberi essent Provinciæ Hispaniæ Citerioris rebelles, ex una parte Neptunum cum ejus attributis signavit, ut eam Hispaniæ Tarraconensis Provinciam mari expositam ; ab Ulteriore distingueret. Tridentem nemo nescit Neptuni esse insigne, quod, ut ait *Fulgentius*, aquarum triplici virtute fungatur, id est, liquida, fœcunda, potabili. Alii illum ferre tridentem volunt, quod inter cœlum & inferos regnans, tertiam elementorum portionem habeat. Delphin verò quod ei gratissimus sit, ex *Hygino*.

Fulvius toga triumphali, quam purpuream fuisse ferunt, antequam picta gereretur, indutus, quadrigis lento passu gradientibus, ut decet triumphalem, vehitur : lauri ramum tenet,

Victoriæ

victoriæ ſymbolum. Victoria ipſa ei coronam imponit, ob illuſtrem quam de hoſtibus retulit. Litteræ numerales $\overline{\mathrm{XIIII}}$. an ad pretium denarii hoc anno, quùm in eo deſit X nota denarii? an ad numerum cæſorum hoſtium, urbiumve in Celtiberia captarum? an alia de cauſa? non facile eſt pronunciare. M. Fulvii Magiſtratus non reperiuntur, ſed *Livius* narrat, miſſum eum à Senatu fuiſſe cum Con. Cethego & P. Marcio Rege Legatum ad C. Caſſium Longinum Conſulem, ne extra Illyricum progrederetur, an. $^{584}_{5}$ & anno ſequente an. $^{585}_{6}$ cum M. Caninio Rebilo pariter ad res inſpiciendas miſſum.

VII.

Caput Nemeſeos tutulo divinitatis ornatum, cum monili FLACCVS: in averſa parte caduceus alatus, M. CLAVD. M. F. MARCEL. Q. FVLVI. M. F.

Jam deſcriptus eſt hic denarius in gente Claudia, num. 28. quùm M. Claudius M. filius Marcellus creatus fuiſſet Conſul iterum, in locum A. Poſtumii Albini, mortui in prælio, Conſulis deſignati, an. $^{538}_{9}$ & Prætor Urbanus Q. Fulvius M. F. extra ordinem factus eſſet, ob bellum ab Annibale renovatum. Conſul ineunte Magiſtratu, ſacra fecit Nemeſi, facinorum impiorum ultrici, de qua *Ammianus*, *lib.* 2. „ Romani, inquit, pro-
„ fecturi ad bellum, Nemeſi ſacrificabant, & munus gladiato-
„ rium edebant, quod non ſine ratione factum arbitramur.
„ Virgo & Victrix Nemeſis Numen fuit, quo, qui malefactis
„ delinquebant, puniebantur: unde Romani Nemeſim non fru-
„ ſtra invocabant; Romani enim ſemper juſta movere arma: Annibal contra pacem, cum Aſdrubale patre initam, fœdera violaverat, & Romanos bello laceſſebat: qua de re Fulvius Prætor deam Nemeſim, tamquam aſſiſtricem, in denariis exhibuit: & in averſa parte caduceum, pacis ſymbolum; ut eam ab Annibale fractam denotaret.

VIII.

Caput Jovis laureatum: in averſa parte Q. FLAC. in imo ROMA. Victoria ſtans, d. coronam imponit trophæo, ad cujus imum ſedet humi barbarus, manibus poſt terga revinctis.

Ad Q. Fulvium Flaccum, de quo ſupra diximus, hic Quinarius pertinet, licèt M. filius in eo non appelletur: compendioſa enim ratio primis temporibus, qua ſignabatur moneta argentea, id demonſtrat. Ut autem Q. Fulvii Magiſtratus producamus, & qua occaſione ſit percuſſus iſte Victoriatus, ab ejus Quæſtura Provinciali ordiemur, quam iniit an. $^{504.}_{5}$ Tribunus Plebis deinde factus eſt, an. $^{509.}_{10}$ Ædilis Plebis $^{511.}_{2}$ Conſul cum L. Corn. Lentulo Caudino creatus eſt an. $^{516.}_{7}$ Conſul iterum Cenſor cum Q. Manlio Torquato vitio factus abdicavit $^{522.}_{3}$ cum eodem Conſulatum iter. creatus an. $^{529.}_{30}$ Præturam Urbanam extra ordinem, ut ſupra diximus, habuit an. $^{538.}_{9}$ Abſentibus Conſulibus, ob temporum difficultatem, iterum extra ſortem Urbanus Prætor & Urbis Præfectus factus eſt an. $^{539.}_{40}$ Magiſter equitum Comitiorum habendorum cauſa, à Claudio Centhone Dictatore nominatus an. $^{540.}_{1}$ Conſul III. cum Appio Claudio Pulchro creatus $^{541.}_{2}$ quo anno Fulvius Hannonem, Pœnorum Ducem, ad Beneventum caſtra habentem, ingenti prælio devicit, & ejus caſtra expugnavit: in quo loco trophæum erexit, ut nobis indicat Quinarius, ut poſt victoriam moris erat. At cum 7000. hoſtium capta fuiſſent, occiſis 6000. ideo trophæo barbarus humi deſidet, manibus poſt terga revinctis. Quidam trophæum in terra ſua non erigi opinantur, etiamſi victoriæ inſigne ſit: ideo illum Quinarium ad Q. ejus filium revocant. Opinionis meæ non adeo tenax ſum, ut ſi Eruditi id probant, lubens non aſſentiar. Procos Campaniam obtinuit cum exercitu an. $^{542.}_{3}$ Capuam cepit, & Senatum Capuanum ſecuri percuſſit. Dictator tandem, Comitiorum habendorum cauſa, dictus an. $^{543.}_{4}$ & prorogatum eſt ei in Campania imperium. Conſul IV. factus eſt cum Q. Fabio Maximo V. anno $^{544.}_{5}$ Procos. Capuanam Provinciam obtinuit an. $^{545.}_{6}$ prorogato imperio Brutios habuit an. $^{546.}_{7}$

IX.

Caput Romæ, galeatum, pone quod ROMA. In averſo latere, Q. FVL. Q. F. FLAC. PRO. PR. Victoria in bigis decurrentibus, d. lauream, ſ. equorum habenas.

Q. Flaccus Q. filius patri ſuccedit, numeratiſque ejus Magiſtratibus, ad illum veniemus, in quo hunc bigatum denarium percuſſit: itaque Quæſturam Provincialem iniit an. $^{562}_{3}$ Tribuna-

tum

tum Plebis an. 567. 8. Ædilitatem Curulem an. 569. 70. Prætor Peregrinus Hſpaniam Citeriorem ſortitus eſt an. 571. 2. Urbicum Celtiberorum urbem, ipſis repulſis, tandem cepit. Prorogata ei eſt Provincia an. 572. 3. & res proſperè geſſit; qua de re in denariis, in quibus *Proprætore* inſcribitur, Victoria gerit coronam, ad indicandam celebrem illam, quam de Celtiberis retulit.

X.

Caput Romæ galeatum, pone quod FLACCVS: in averſa parte, Q. FVLVI. Q. F. Jupiter in quadrigis triumphalibus, d. palmæ ramum, ſ. fulmen & habenas equorum.

Ejuſdem eſt Q. Fulvii denarius, illius triumphi memoriam recolens; ſed quùm bis triumphaverit, nempe de Hiſpania, & deinde, in altero Conſulatu, de Liguribus, alii ad ultimum revocant denarium, quùm titulus PRO. PR. in eo non ſit ut in ſuperiore. Sed Jupiter in quadrigis, ut priori illum adjudicemus potiùs, quam ſecundo, ſuadet: nam Fulvius ad ſaltum Manlianum Jovi ludos voverat, & quùm ejus ope & auxilio victoriam retulerat, videtur eum in quadrigis triumphalibus, palmæ ramum gerentem, exhibuiſſe; cui poſt triumphum ludos per decem dies fecit: nam ſi vox Proprætore non adſit, altera cos. etiam non ſignata eſt; nec triumphus ſecundus adeo celebris fuit: nam *Livius*, *lib.* 40. illum magis gratiæ quam rerum geſtarum magnitudini datum fuiſſe tradit: de priore *Columnæ Capitolinæ* hæc habent.

Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. ANN. DLXXIII. DLXXIIII. *Varr.*
PROPR. EX HISPANIA CITERIORE. ... ...

Q. Fulvius Comitiorum tempore ex Hiſpania redux, ipſi & triumphus, ut dictum eſt, decernitur, & Conſul creatur cum L. Manlio Acidino Fulviano fratre ejus germano, in gentem Manliam in adoptionem dato. An. 574. 5. Ambobus decretum eſt contra Ligures bellum; Quintus cum iis pugnavit & eos profligavit eorumque caſtra diripuit, de iiſque triumphavit: ut teſtantur *Marmora Capitolina*.

Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. ANN. DLXXIV. DLXXV. *Varr.*
COS. DE LIGVRIBVS. ... ...

Cenſor tandem factus eſt Flavius, cum A. Poſtumio Albino an. $^{579.}_{80}$ & luſtrum fecerunt LI. *Val. Maximus, lib.* 1. *cap.* 2. cum poſtea, duobus bello amiſſis filiis, mente captum deceſſiſſe tradit.

XI.

Caput Romæ galeatum : in altera parte, Victoria agit quadrigas decurrentes, d. flagrum, ſ. habenas, SER. FLAC. in imo ROMA.

Ad ſtirpem Flaviorum Flaccorum pertinet adhuc hic denarius, Servius inſcribitur, quod fuit prænomen, ut in Galba Imperatore legitur, *Servius Sulpicius Galba.* Neſcimus cur doctiſſimus ille *Ant. Auguſtinus, lib. de Fam. Romanis*, illum appellat Quintum Serv. Flaccum; mendum forſan ibi eſt. Quinti Fulvii Conſulis, an. $^{566.}_{7}$ filius & Cnei nepos fuit, ut ferunt *Faſti.* Quæſturam Provincialem iniit an. $^{603.}_{4}$ Tribunatum Plebis an. $^{607.}_{8}$ fuit Ædilis Plebis an. $^{610.}_{1}$ Prætor Urbanus an. $^{613.}_{4}$ Provincialis an. $^{614.}_{5}$ & tandem Conſul cum Q. Calpurnio Piſone, an. $^{618.}_{9}$ Servio Illyricum obtigit; illud vaſtabant Vardæi Dalmatiæ populi, quos Italiæ populatores vocat *Plinius*; illos uno prælio victor non ſolum ſummovit, verum etiam ſubegit. *Liv. epit. lib.* 56. *Sigonius*, Servium de illis triumphum egiſſe, auguratur. Sed ſi vera res eſt, hic denarius nihil de illo triumpho indicat, Quadrigatus, ſolito more, cum Victoria illas agente cum flagro : ſed quùm is Romæ ſit cuſus, illum potiùs in Quæſtura, quam pro diſtributione militibus, ante triumphum à Servio Fulvio ſignatum, arbitramur.

XII.

Caput Romæ galeatum; pone quod ROMA : in averſa parte CN. FOVL. T. TORQ. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. habenas equorum.

Typi elegantes, aut dignitates Magiſtratuum in denariis inſcriptæ, ad eorum explanationem plurimum proſunt: ſed in hoc ſolitum Romæ caput, & in averſa parte, ſolitæ bigæ, nihil aliud, quam monetam augurantur: ſed quùm in ea duo Familiarum legantur nomina, & quidem compendioſè & ſine cognomine, qui

qui ſint illi, inquirendum. Cn. Fulvius videtur eſſe Centumalus, qui Ædilis Plebis recenſetur anno $^{518.}_{9}$ quùm T. Manlius Torquatus Conſulatum gereret, tempore coæanei. Qua occaſione factus ſit denarius ignoratur. Si nobis conjecturæ locus, in denario amborum nomina ſunt inſcripta, ob Ludos magnos, quos T. Manlius voviſſe videtur, dum contra Sardos bellum gereret, & Cn. Foulvius ut Ædilis fecit; de Sardis quidem hoc anno triumphavit T. Manlius cos. ut videre eſt in gente Manlia num. 2.

XIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in averſa parte CN. FOVL. M. CAL. Q. MET. *Cn. Fulvius, M. Calvinus, Q. Metellus.* Victoria in bigis, d. coronam.

Iterum prodit Cn. Fulvius Centumalus, quem eadem epigraphe indicat, ſed duobus aliis Magiſtratibus ſtipatus, quos ideo Triumviros fuiſſe auguramur, & quidem Menſarios. Hi autem uno anno ante ſcilicet 537. priuſquam Cn. Fulvius T. Torquati Quæſtor fuiſſet, ex *Livio*, „ creati ſunt, & Romæ, inquit, quo„ que propter penuriam argenti Triumviri Menſarii, rogatione „ Minucii Tribuni Plebis facti. L. Æmilius, qui Conſul Cen„ ſorque fuerat, & M. Attilius Regulus, qui bis Conſul fuerat, „ & L. Scribonius Libo, qui tum Tribunus Plebis erat. Non ignoro hos Triumviros extra ordinem creatos; ſed quùm hi à diſpenſatione pecuniæ Menſarii erant dicti, & eorum creandorum cauſa fuit improbitas fœneratorum, & æris alieni Plebis Romanæ magnitudo; credibile eſt per aliquot annos eſſe quotannis creatos, præſertim quùm moneta ærea ex aſſe librali ad unciam eſſet reducta, & denarius argenteus ex decem aſſibus ad ſedecim auctus erat.

Itaque Cn. Fulvius Centumalus, qui cos. fuerat an. $^{539.}_{40}$ & M. Domitius M. F. C. N. Calvinus Tribunus Plebis fuerat an. $^{537.}_{8}$ & Q. Cæcilius Metellus, L. Metelli Pontificis Maximi filius, qui Tribunus Plebis etiam fuit an. $^{541.}_{2}$ Comitiis Tributis creati videntur Triumviri Menſarii, ex denario quem ſimul ſignaverunt. Victoria coronam gerit, ad indicandum hoc anno inſignem aliquam à P. Romano eſſe relatam.

XIV.

XIV.

Caput Romæ galeatum: pone quod ROMA. in averſa parte CN. FOVL. Q. METELLVS. M. SALINATOR. Victoria in bigis, d. flagrum, ſ. habenas equorum.

Ad Triumviros Menſarios ſpectat & hic nummus, Cn. Fulvii & Q. Metelli in eo nomina id confirmant, ut & typus idem qui prior; ſed pro M. Domitio Calvino, M. Salinator expreſſus eſt. Salinatoris autem cognomen ad M. Livium pertinet, quod ita appellatus ex illius Familia primus ſali qui vectigal impoſuerat; at M. Calvinus in hoc Magiſtratu mortuus videtur: nam in nullis ampliùs Magiſtratibus nomen ejus deinceps occurrit. In Calvini locum ſuffectus videtur Salinator, ſed poſt ſecundum ejus Conſulatum, quia primo depoſito reus factus eſt damnatus, an. $^{535.}_{6}$ & rus miſſus, ubi per octo annos manſit, unde invitus ad Conſulatum iterum evectus eſt, an. $^{546.}_{7}$ quùm decretum Senatus de Triumviris Menſariis, an. $^{538.}_{9}$ factum eſſet: Nullique, niſi viri Conſulares, & dignitate celebres, hunc Triumviratum implebant.

XV.

NOBILIOR. Victoria pectore tenus alata: in averſa parte, SER. PAETIN. M. F. PR. COS. Neptunus in quadrigis triumphalibus, d. erecta, ſ. tridentem & habenas equorum.

Ad Fulvios tandem pervenimus cognomine Pætinos & Nobiliores, qui primam gentis Familiam componunt, ſed quos ordine alphabetico in hunc locum adducimus. Hi primùm Corvi cognominati ſunt, ſed omnes, antequam ſignaretur argentum, periere; deinde ab iis adoptatus ex gente Ælia, qui Pæti cognomen ferebat, in hanc ſtirpem, dictus eſt PAETINVS. Ex hac prodit Servius Fulvius NOBILIOR Pætinus, M. filius, qui Quæſturam Militarem aſſequutus an. $^{486.}_{7}$ Tribunus Plebis fuit an. $^{491.}_{2}$ Ædilis Plebis an. $^{494.}_{5}$ Prætor Urbanus an. $^{496.}_{7}$ & tandem Conſul cum M. Æmilio Paullo an. $^{498.}_{9}$ ambobus Sicilia & Claſſis obtigere.

Dum ſe ad bellum accingunt Conſules, Romæ M. Attilii clades in Africa nuntiatur, in eam proficiſci jubentur; obviam eunt Carthaginienſes in mare. Nihil mirum, ſi Fulvius in anteriore

parte

parte Victoriam deam exhibet, quæ ipsis tantam tulit opem, ut, non procul à Mercurii promontorio, ut tradit *Polybius*, navali prælio Pœnos illi contuderint, centum quatuordecim mersis navibus & triginta captis, ad hoc 15000. hostium cæsis, &, si fides *Orosio*, 36000. Deinde in terram profecti, iterum prælio duos Hannones, Pœnorum Duces profligarunt, 9000. hostium occisis; eodem teste *Orosio*, ut & *Zonara*. Rebus omnibus in Africa constitutis, Romamque regredientibus coss. tempestas oborta est, quæ navium tertiam partem demersit, & triumphum iis decretum distulit, ut colligitur ex *Marmoribus Capitolinis*.

SER. FVLVIVS. M. F. M. N. PAETINVS. AN. CDXCIX. / CDXCX. *Varr.*
NOBILIOR. PRO. COS. DE COSSVRENSIBVS ET
POENEIS. NAVALEM. EGIT. XIII. KAL. FEBR.

In cujus memoriam signatus est currus triumphalis in aversa denarii parte; sed ad denotandum triumphum fuisse, ex rebus in mari prosperè gestis, Neptunus cum tridente, illum agens, expressus est. Ceterum Cossura erat in ostio Selinuntis Siciliæ, Insula in Mari Africo objecta, distabat à Sicilia LXXV. P. M. patebat ambitu suo XIX. M. P. Urbem habebat ejusdem nominis, cives dicti Cossurenses.

XVI.

M FVLVI. M. F. NOBILIOR. Caput Jovis Capitolini, barbatum & laureatum: in aversa parte EX. S. C. in imo ROMA. in vertice Victoria, ad cujus pedes prora Navis; scribit in clypeo, trophæo appenso, in imo hinc temo, inde ancora decussatim inversi.

M. Fulvius M. filius in denario inscribitur, & in *Fastis* Servii nepos vocatur, unde temporum ratione videtur habuisse Servium Pætinum, de quo in superiore nummo diximus. Ille verò quùm supra majorum suorum triumphos & Consulatus adjecisset ovationem, in denariis Nobilioris cognomen, rejecto Pætino, tantum scripsit, quasi jure nobilior ceteris diceretur. Quæsturam Provincialem adeptus est an. 549./550. Tribunatum Plebis an. 554./5. Ædilitatem Curulem an. 557./8. Prætor Hispaniam Ulteriorem sortitus obtinuit an. 560./1. Apud

Toletum Vaccæos, Vectones, & Celtiberos ingenti prælio profligavit, & Regem Hilernum cepit, teste *Livio*. Prorogatum est in Provincia Fulvio imperium, duos hostium exercitus fudit, plurimas urbes expugnavit, redux Romam ingressus est ovans.

M. FVLVIVS. M. F. SER. N. NOBILIOR. ANN. DLXII. DLXIII. *Varr.*
PRO. PR. OVANS. EX. HISPANIA. VLTERIORE. ... ...

Consulatum obtinuit cum Cn. Manlio Vulsone, an. 564/5 Fulvio Ætolia obvenit, Ambracia capta, Ætolos ad deditionem compulit, transmissoque exercitu ad Cephaleniam Insulam, cujus urbes cepit an. 565. prorogata illi in annum Ætolia: tandem redux, ad Apollinis ædem à Senatu Triumphum obtinuit, quem egit splendidissimum; ut videre est apud *Plinium*, de quo *Tabulæ Triumphales*.

M. FVLVIVS. M. F. SER. N. NOBILIOR. ... AN. DLXVI. DLXVI. *Varr.*
PR. COS. DE. ÆTOLEIS. ET. CEPHALENIA. X. KAL IAN.

Quùm Ambracia Pyrrhi Regis quondam fuerat regia, ex ea an. 285/6 signa marmorea & ænea adduxit, & in triumpho auri & argenti, ut & hostium armorum copiam magnam transtulit 27. duces captivos duxit, & plurima exercitui largitus est, qua de re Ludos, quos Jovi Opt. Max. voverat, Magnos edere illi concessum est ex S. C. Igitur ejus effigiem, laurea ornatam, in anteriore expressit, in aversa Victoria, scribit in clypeo illam quam de Ætolis retulit; & imo temo, prora, ancora, insignia sunt captæ Insulæ Cephaleniæ: nota EX S. C. ea omnia ex Senatusconsulto facta fuisse denotant.

XVII.

NOBILIOR. Caput Pietatis: in aversa parte, M. FVLVI. M. F. Simpulum, lituus, tripus, securis, & culter.

Eadem M. Fulvii M. filii epigraphe, ad eumdem Fulvium spectare potest; sed nescimus qua fiducia ad illius ejusdem nominis filium cur potiùs revocemus hunc denarium. Totus illum Pontificem fuisse denotat, hinc caput Pietatis, inde instrumenta Pontificia. Pietas à Romanis dea putata est; quæ ædem habuit Romæ, in eo loco, ubi postea Marcelli theatrum, in Foro nempe Olitorio, extructum est, apud *Plinium, lib. 7. cap. 36. Julius* item

item *Obsequens*, *in Prodigiis*, Pietatis ædem fuisse, ait, in Circo Flaminio. Pietatis effigies in Cæcilia gente cum ciconiæ symbolo exhibetur, sed hæc Pietas erga parentes illam denotat, sed hanc esse erga deos, instrumenta sacrificii demonstrant. De Pietate sic loquitur *Cicero, lib. 1. de Nat. deorum.* „ Pietas est justitia adver- „ sus deos, & cultus erga majores, aut sanguine conjunctos. De signis Pontificalibus seorsim ita abundè diximus, ut hæc repetere sit supervacuum.

XVIII.

NOBILIOR. Caput Jovis barbatum & laureatum: in aversa parte M. FVLVI. M. F. in area ROMA. Victoria coronam trophæó porrigit.

Ad M. Fulvium Nobiliorem filium ipsius, qui ovationem egit, extra controversiam pertinet: trophæum à patre diversum cum eadem M. filii epigraphe id omnino arguit. Ille Quæsturam Provincialem iniit an. 577/8. Tribunatum Plebis an. 582/3. Ædilis Curulis fuit an. 587/8. Prætor Provinciam sortitus est an. 590/1. Consul tandem cum Cn. Cornelio Dolabella an. 594/5. Fulvio Ligures obvenerunt, de quibus triumphavit, ut denotant *Columnæ Triumphales*.

M. FVLVIVS. M. F. M. N. NOBILIOR. PROCOS. A. DXCV. / DXCVI. *Varr.*
DE LIGVRIBVS. ELEATIBVS. XII. K. SEPT.

Fulvio prorogata est Provincia in successoris adventum; & ille in loco, ubi victoriam de Liguribus Eleatibus retulit, trophæum erexit: in cujus memoriam, ex anteriore parte Jovis Capitolini caput, in cujus templum ascendebant, ad sacra facienda die quo triumphabant, expressit; & in aversa, Victoriam ipsam, trophæo à se erecto, coronam porrigentem, exhibuit.



FVNDANIA.

FVNDANIA gens ex plurimis *Livii* teſtimoniis Plebeia; ſiquidem C. Fundanius, Ædilis Plebis, mulctam dixit Claudiæ Appii Cæci filiæ, fuit Conſularis. Nomen illi ex Fundis, Campaniæ urbe, deſumptum *Fundanus* videtur; unde *Fundanius*. Cognomen autem *Fundulus*, diminutivum à Fundo, ſed in denariis ſuperſtitibus deeſt.

I.

Caput Jovis laureatum & barbatum: in averſa parte C. FVNDAN. Q. Victoria coronam porrigit trophæo, cui alligatus barbarus genuflexus, pone eſt baculus, in cujus apice caput aſininum.

Duo Caii Fundanii in *Hiſtoria Romana* referuntur, uterque Tribunus Plebis; ſed alter, de quo ſupra, Conſul an. $^{510.}_{1}$ nullam victoriam retulit, ex qua trophæum erigere potuit, nec in ejus Quæſtura, an. $^{497.}_{8}$ Conſul vel alius Magiſtratus, cujus Quæſtor fuerit, victoriam niſi navalem reportavit: ita ut ad ejus pronepotem confugere debeamus, qui Quæſtor P. Cornelii Scipionis Africani Æmiliani Conſulis iter. an. $^{619.}_{20}$ cui Hiſpania Citerior & bellum Numantinum extra ſortem decreta ſunt; prorogata igitur Fundanio Quæſtura in annum uſque $^{621.}_{2}$ quo Scipio Numantiam delevit; in cujus memoriam ejus Quæſtor C. Fundanius hos Quinarios, quos vocabant Victoriatos, percuſſit in Hiſpania, quùm Scipio in urbis loco trophæum erexit, ad cujus pedes Numantinus, manibus poſt terga revinctis, alligatus; & pone ejus arma baculus, in cujus apice caput aſininum eſt, quo Hiſpani pro armis, ut ſparſim in hoc opere obſervare eſt. De Jove infra.

II.

Caput Romæ galeatum, pone quod littera H. id eſt, *Hiſpanienſis*, ſub moneta: in averſa parte C. FVNDAN. Q. Jupiter in quadrigis

drigis triumphalibus, cum fulmine, Figura in equo currum ducens.

Alterum victoriæ in Hiſpania Citeriore & Numantiæ deletæ à Scipione monumentum, nempe ipſius triumphus; ille Romam reverſus triumphum petiit, & illi decretus eſt ſecundus; jam enim de Pœnis triumphaverat an. 607/8. & hunc egit 621/2. ut teſtantur *Marmora Capitolina*,

P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO. ANN. DCXXII / DCXXII. *varr.*
AEMILIANVS, PRO. COS. DE. NVMANTEINEIS. EX.
HISPANIA. CITERIORE. II. KAL. IANVAR.

Sed votum Jovi feciſſe videtur; quare ipſi potius triumphum quam ſibi deberi exiſtimans, Jovem ipſum fulmine armatum in quadrigis triumphalibus expreſſit, & ipſe in equo eas ducit: in cujus memoriam C. Fundanius ejus Quæſtor in uſum triumphi in Hiſpania percuſſit, qùum in iis vox ROMA deſit, quod confirmare videtur littera H. id eſt, *Hiſpanienſis*, ſubaud. moneta.

C. Fundanius è Quæſtura ad Tribunatum Plebis venit an. 624/5. ut videtur: fratrem habuit M. Fundanium, Tribunum Plebis & Prætorem; ſed illius Magiſtratus non occurrunt; ſocer M. Varronis fuit, quem & ipſe Præceptorem habuit.

FVRIA.

FVRIA gens antiquiſſima in Patricias & Plebeias, ex *Livio*, diviſa, Fuſios primùm dictos, ut Valeſios & Auſelios, deinde Furios, ſive Fourios, à Fuſo dictos, ut tradit *Ant. Auguſtinus*. Multis diſtincti ſunt cognominibus, ſed qui nobis in denariis ſuperſunt, ordine Alphabetico recitabimus. Brocchi, qui ſunt producto ore & dentibus prominentibus; Camilli, à Camillo ſacrificiorum Miniſtro; Craſſipes, à pedis tumore; Philus, à verbo Græco Φίλος, id eſt, amicus. Purpureo, à Colore.

I.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte PVR. in monogrammate, in imo ROMA. Caſtores in equis pileati & aſtris inſigniti decurrunt cum haſtis.

Ex Furiorum cognominibus, ab illo inchoamus, ex quo antiquiores nobis ſuperſunt denarii argentei: compendioſa illa vocis inſcriptio PVR. *Purpureo*, eorum vetuſtatem abunde redolet, præſertim quùm ſine prænomine & filii appellatione, occurrit: ideo eum Spurio Furio Purpureoni Quæſtori Provinciali an. $^{504.}_{5}$ adjudicamus: quo tempore Caſtor & Pollux in denariis Romanis exhiberi cœperunt pro eorum inſigni. De iis ſparſim egimus. Sp. Furius pater fuit L. Purpureonis Prætoris, de quo poſt eum ſumus dicturi.

II.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte Diana, cum creſcente luna in capite, d. arcum, in bigis, ſ. habenas equorum. PVR. in imo ROMA.

Alterum ecce Sp. Purpureonis denarium damus, quem rectè *Patinus*, cum Diana Lunam bicornem in fronte gerente, d. arcum, & leva bigas agente, ſignavit: ſed cur ipſa pro Victoria in bigis expreſſa eſt? Hæc ſane Ludos ſæculares hoc anno tertium factos

factos indicat; ipsi deæ præsertim erant dicati, si *Zozimum* legas, & post eum *Onuphrium*. Hi celeberrimi erant, quùm post centum annos celebrarentur, unde Sæculares dicti. Eorum origine, ut extra nostrum institutum, prætermissa, de quibusdam ceremoniis, quæ ad Dianam spectant, dicemus. Itaque illis instantibus Populus coibat in Dianæ templum, quod erat, ut sæpe diximus, in Aventino monte, cui triticum, faba, hordeumque dari mos erat. Ubi advenerat dies festus, sacrificia per triduum Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ & aliis fiebant: his peractis, mane Capitolium ascendere ad sacra, & deinde ad theatrum conveniebant, ad Ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciendos.

Denarius hic Furii *Censorino* favet, qui, *de die Natali*, *cap.* 14. Sæculares Ludos tertium P. Claudio Pulchro L. Junio Pullo Consulibus an. 504/5 factos fuisse scribit; quemadmodum *Livius* & *Val. Antias* computarunt, *Alii* licèt aliter tradant.

III.

Caput Jovis imberbe laureatum: in aversa parte L. PVRPVREO. Victoria in bigis, d. flagrum, s. equorum habenas.

L. Furius Purpureo solo cognomine contentus, ut tum temporis notus in denario adscribitur, filius fuit Sp. Furii Purpureonis, de quo supra egimus. Quæsturam Provincialem suscepit, an. 546/7 ejus Ædilitas ignoratur; Prætor an. 553/4 Galliam sortitus obtinuit; ab Arimino adversus Gallos, post Placentiam captam, Cremonam tum obsidentes, profectus est, eos adortus, Jovi ædem vovit, si eo die hostes fudisset; quare iis debellatis & ad 35000. captis vel occisis, in denariis ex hostium manubiis signatis, Jovis caput expressit, & ex aversa parte bigas solitas. De Gallis Romæ triumphavit, ut ferunt *Marmora Capitolina*.

L. FVRIVS SP. F. SP. N. PVRPVREO AN. DLIII. / DLIIII. *Varr.*
PR. DE GALLEIS. ... ...

Ex Prætura Purpureo ad Consulatum pervenit cum M. Claudio Marcello an. 557/8 & in Consulatu ædem, quam Jovi voverat, in Insula Tiberina extruxit: inter decem Legatos in Asiam missos numeratur à *Livio*, sed Censuræ repulsam passus est.

IV.

IV.

PHILVS. Caput dei Triumphi, pone quod ancora inverſa: ex poſteriore parte P. FVRI. SP. F. in imo ROMA, Cos. in quadrigis decurrentibus, d. habenas, ſ. lauri ramum, pone eum Victoria illi coronam imponens.

Purpureoni ſuccedit Philus. Is P. Furius Spurii filius, in denario vocatur, in *Faſtis* M. Nepos. Quæſturam Provincialem iniit an. 520/1. Ædilitatem Curulem an. 525/6. Præturam ex conjectura an 528/9. Conſulatum cum C. Flaminio an. 530/1. ambobus Gallia decreta eſt. Ad Adduam flumen Gallos illi ingenti prælio profligarunt, utriſque decretus eſt triumphus ex *Columnis Capitolinis*.

P. FVRIVS SP. F. M. N. PHILVS. COS. ANNO. DXXX./DXXXI. *Varr.*
DE GALLEIS ET LIGVRIBVS. IIII. IDVS. MART.

In uſum triumphi, ad denarios ex hoſtium manubiis militibus diſtribuendos, P. Furius, in anteriore eorum parte caput dei Triumphi, qui Græcè Θρίαμβος dicitur, caput expreſſit. Illud erat Bacchi cognomen, qui primus triumphum bellicum duxit, & ex parte averſa ipſe, à Victoria coronatus, vehitur in quadrigis decurrentibus, ad celeritatem victoriæ denotandam: nam vix in hoſtium terram ingreſſi erant, quam ob prodigia poſt initum eorum Magiſtratum obſervata, Romam per litteras revocati ſunt, licèt non reverſi ſint.

P. Furius tandem cum M. Atilio Regulo Cenſor creatus eſt an. 539/40. ſed in Magiſtratu mortuus eſt, & ob ejus mortem Atilius, ut moris erat, abdicavit.

V.

Caput Jovis Capitolini ſub quo fulmen EX. S. C. In averſa parte P. FVRIVS CN. F. PHILVS. Duæ Sellæ Curules, ſupra quamque corona.

P. Furius Conſularis, de quo ſupra, tres habuit filios, Publium, Lucium, & Cneium, ex quo natus eſt Cn. Furius, pater hujus P. Furii, qui denarium percuſſit; ut temporum diſtantia indicat: nam is Proquæſtore fuit an. 613/4. Ædilitatem Curulem geſſit cum L. Cor-

L. Cornelio Cinna an. $^{618}_{9}$ in quo Magiſtratu hunc denarium ſignavit, ad denotandum cum Collega Ludos Magnos edidiſſe. Ii Ludi Magni dicti ſunt, quod in honorem Jovis, qui Maximus deorum credebatur, exhiberentur: qua de re ejus effigies in anteriore illius parte expreſſa eſt; fulmen ſub ejus capite, tamquam ejus ſymbolum adjicitur: voces EX S. C. illos Senatus decreto celebratos fuiſſe denotant. Sellæ Curules, ad arguendum eos Ædiles Curules celebraſſe, quorum jus erat Sellis Curulibus pro inſignibus uti, & Ludorum in honorem deorum & dearum curam habere, ut Ædilium Plebeiorum munus Ludos Plebeios ſeu Scenicos exhibere. Coronæ ſupra Sellas poni ſolebant, in honorem dei, pro quo Ludi edebantur, aliquando etiam honoris tantùm cauſa.

VI.

M. FOVRI. L. F. Caput Jani barbatum & coronatum. PHILI. ad latus ROMA. Trophæum, in cujus imo duo clypei, coronatur à Roma galeata, haſtam tranſverſam gerente, inde aquila legionaria.

Quis fuerit ille M. Fourius, L. filius, apud *Hiſtoriæ Scriptores* non reperitur. *Fulvius* de eo inquit: „ Tertius denarius cuſus „ à M. FVRIO L. F. PHILO fuit in memoriam ſine dubio ejus trium- „ phi, quem egit P. Furius Philus an. $^{530}_{1}$ de Galleis Liguribus. M. „ autem Furium, qui L. F. in eo denario inſcribitur, opinamur „ filium fuiſſe L. Furii Phili Prætoris an. $^{582}_{3}$ cujus meminit *Livius, lib.* 42. Ad illius illuſtrationem addemus, nos ſupra dixiſſe P. Furium, qui de Gallis triumphavit, tres filios reliquiſſe; primus fuit nempe Publius, qui ex Hiſpanienſi Prætura repetundarum damnatus; ſecundus fuit Cneius, cujus filius Publius ſuperiorem denarium cudit; tertius verò Lucius Prætor an. $^{582}_{3}$ & 3. poſt anno mortuus habuit filium Marcum, qui hunc in Quæſtura percuſſit, cujus tempus ignoratur, ſicut alii ejus Magiſtratus, ut memoriam victoriæ de Gallis avi ſui revocaret. Romam pro victoria trophæum coronantem exhibere videtur, quod Senatu triumphum coss. denegante, populus illis decreviſſet. In imo trophæi pro captivis clypei Gallorum adjecti ſunt, quod tanta fuit eorum armorum copia, ut M. Junius Dictator ſpoliis iſtis Gallicis poſt Cannenſem Cladem ſex millia hominum armaverit, teſte *Livio*. In anteriore parte Janum fortè expreſſit, quod, ut huic deo duo capita tribuun-

tur, ſic duo Conſules, in hoc Gallorum prælio quaſi unum corpus tes, adfuiſſent, & triumphus unam ob rem duobus fuerit conceſſus.

VII.

BROCCHI. III VIR. Caput Cereris, corona ex ſpicis ornata; hinc ſpica, inde frumenti granum: in averſa parte FVRI. CN. F. Sella Curulis inter duas ſecures.

Cn. Furius Cn. filius Brocchus Tribunus Plebis, perhibetur pater Cn. Furii Brocchi, Tribuni Plebis an. 572/3. & C. Furii Brocchi, Trib. Plebis. an. 578/9. Suſpicamur autem L. Furium, qui in denario Cnei filius inſcribitur, ejus etiam filium fuiſſe, ut epigraphe denotat; & quidem uſque ad Præturam perveniſſe, ut Sella Curulis ejus Magiſtratus inſigne indicat, & quidem cum ſecuribus, ut jus vitæ ſe habere ſignificarent, quas duo Lictores ante eos ferebant. Is autem, ex denarii inſcriptione, Triumvir fuit extra ordinem creatus ad frumentum emundum, in illius annonæ caritate: quod confirmat ſpica & granum in denarii area, ſed & caput Cereris ex ariſtis coronatum, ut deæ, frumenti ſerendi modum docuit, quam exhibuit in anteriore parte, quaſi Romæ ipſa providiſſet.

VIII.

AED. CVR. Caput Cybeles turribus ornatum, pone pedis figura: in averſa parte, Sella Curulis, ſupra quam P. FOVRIVS, in imo CRASSIPES.

A M. Furio Craſſipede, qui primus hoc cognomen in Furia gente tulit, & qui bis Prætor Galliam & deinde Siciliam rexit an. 560/1. Nullus cum iſta appellatione reperitur uſque ad Fourium Craſſipedem, Ciceronis generum, cui, poſt mortem Piſonis Frugi, Tullio eam ille filiam collocavit, Lentulo & Marcellino coss. ut ſcribit *Manutius in 5. epiſtolam, lib. 4. ad Atticum.* Sed an ille Publii prænomen habuerit? ut ut ſit, qui hunc denarium cudit, Ædilis Curulis fuit; ut ipſa epigraphe AED. CVR. & Sella Curulis illius Magiſtratus inſigne, arguunt. In anteriore parte, caput Matris Magnæ expreſſum eſt, ad demonſtrandum P. Furium Craſſipedem Ludos Megalenſes ſortitum eſſe & celebraſſe: De quibus *Feſtus* ait,

ait, „ Megalesia Ludos Matris Magnæ appellabant. Fiebant hi Ludi in Palatio, quod docet *Cicero, Orat. de Harusp. respons.* his verbis: Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio „ nostri Majores, ante templum, in ipso conspectu Matris Ma- „ gnæ, Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt. Pedis figura „ ad denotandum cognominis insigne; ut plurimi exhibuerunt, Malleoli, martellum; Flori, florem & alii.

IX.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quercea, inter duos lauri ramos. M. FVRIVS. P. F. CAMILLVS. III. VIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

M. Furius Camillus, si ex antiqua illa Camillorum stirpe oriundus, diu illa jacuit: ejus forsan patruus fuit M. Furius Camillus, qui Legatus Julii Cæsaris in Gallia fuit, quem illi *Cicero* commendat *ep. 5. lib. 7.* Is autem in nummo æreo illo, primæ magnitudinis, Triumvir appellatur, nempe Senatus, cui Augustus postquam Provincias cum illo divisit, sub Dominationis adhuc specie demandaverat: nam illo mortuo Duumviri evanuerunt, & Reipublicæ status cum Familiarum nomine in monetis extinctus est. Furius Camillus tandem ad Consulatum cum Sex. Nonio Quintiliano iniit an. 760. & sub Tiberio Africam Procos. obtinuit, Q. Cretico Silano datus an. 770. *Suetonius, in Claudio,* narrat eo tempore Camilli cognomen, ex genere antiquo Dictatoris esse.




FVRNIA.

FVRNIA gens Plebeia, si quidem C. Furnius Trib. Plebis, apud *Dionys Halic. lib.* 2. unus, ex Collegis omnibus, de communicando Plebi Consulatu dissentit, an. $^{310}_{1}$ Ex Furno nomen desumpsisse videtur; an primus artem fornacariam exercuerit?

Caput Africæ proboscide ornatum: in aversa parte C. FVRNI. P. F. Pegasus alatus.

Ad C. Furnium P. filium pertinere denarium docet epigraphe: sed quis ille Furnius fuerit; an C. Furnius, de quo sæpe loquitur *Cicero, in epistolis*? Typus denarii uem in Africa cusum denotat, sed non modo Africæ caput Elephante, sed Pegasus Africæ ipsius, ut norunt *Antiquarii*, symbolum. Caius autem ille Furnius Quæsturam Provincialem iniit $^{698}_{9}$ Tribunus Plebis fuit an. 703. Sequuto mox bello Civili, Cæsari adhæsit, ut indicant hujus litteræ ad *Ciceronem*. Post pugnam Pharsalicam animum erga Ciceronem immutasse videtur, nam *Cicero ad Atticum*, 11. *ep.* 8. „ Furnius, inquit, est illic mihi amicissimus. Si denarium cudit, sequutus sit in Africam Cæsarem oportet, & ibi pro eo denarios signaverit, ut Cæsaris hostes percussisse observavimus: nam vox ROMA, in hoc non est, & Africæ effigiem & symbola præfert. Furnius post cædem Cæsaris, Legatus L. Planci designati Consulis in Gallia, quùm Præturam petere vellet, & Cicero dissuaderet, se cum Antonio conjunxit, à quo Asiæ Proprætore factus est an. $^{717}_{8}$ & contra Sex. Pompeium in Asia bellum molientem missus est cum Titio an. $^{718}_{9}$ Post pugnam Actiacam an. $^{722}_{3}$ à Cæsare per filium suum veniam obtinuit, apud *Senecam, de Benef. lib.* 2. C. Furnius ejus filius Consulatum gessit an. $^{736}_{7}$ *Eusebius in Chron.* illum ante patrem mortuum esse narrat, apud quem Pater & Filius clari Oratores habentur.



G A B I N I A.

GABINIA gens Plebeia, ex qua plurimi fuerunt Tribuni Plebis. Inter eos A. Gabinius extitit an. $^{696.}_{7}$ Nomen desumptum videtur à Gabino, Gabiorum urbis Latii cive, vel à Gabino, togæ quadam specie, ex *Servio*; sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingeret. Consularis quidem gens fuit.

A. GABINI. A. F. Caput Jovis Capitolini, sub quo fulmen: in parte aversa caput bovis infula ornatum, in corona quercea.

Unum tantum in gente Gabinia Consulatum observamus, quem gessit is, qui aureum hunc denarium percussit. Is Tribunatum Plebis obtinuit an. $^{686.}_{7}$ in quo Legem de bello Piratico tulit; & contra illos qui oras maritimas deprædarentur electus est Cn. Pompeius; ideo Gabinium, bello Mithridatico hic Legatum accepit: è quo redux Præturam Urbanam gessit an. $^{692.}_{3}$ Provincialem an. $^{693.}_{4}$ & tandem Consulatum cum L. Calpurnio Pisone Cæsonino obtinuit an. $^{695.}_{6}$ in quo denarium cudit, in memoriam sacrificii, quod Jovi Capitolino fecit, eo die quo illum iniit: in anteriore parte caput illius dei laurea ornatum expressit: in aversa caput bovis infulati: Consules in Capitolium ascendentes duos juvencos injuges mactare Jovi solebant; de illis *Ovidius* sic loquitur.

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget.
Et nova constitutum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Phalisca tuis.

Corona quercea exhibetur in denario, quod illa à Consulibus Jovi proferebatur, ut ipsi summo civium servatori.

Gabinius Syriam obtinuit Procos. an. 696. 7 cum imperio extra ordinem extenſo, Ptolemæum Auletem reduxit in regnum, & flagitioſe Provinciam rexit; quare Romam redux, reus de ambitu factus eſt, ſed à Domitio Calvino abſolutus eſt. Morbo deceſſit in Illyrico, per tempus belli Civilis, quùm Cæſar eſſet Alexandriæ, cujus partes foverat.



GALLIA.

GALLIA gens Plebeia, si quidem C. Gallius Lupercus Tribunatum Plebis gessit an $^{672.}_{3}$ Gallii à Gallo dicti sunt, teste *Manutio.* Gallus autem à candore corporis nuncupatur, γάλα enim lac dicitur, *Isidor. lib. 9. 2.* cognomen *Lupercus*, quod fuerat Sacerdos Panos pastorum dei in Lupercalibus.

I.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. Caput Augusti nudum: in aversa parte C. GALLIVS LVPERCVS III VIR. A. A. A. F. F. in area S. C.

II.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. in laurea, ex aversa parte typus idem.

C. Gallius Lupercus avum habuisse videtur C. Gallium Lupercum, quem supra Tribunum Plebis fuisse diximus, an. $^{672.}_{3}$ & Senatorem appellat *Cicero, in Orat. 4. in Verrem.* Is in his duobus æreis nummis secundæ magnitudinis recensetur Triumvir Monetalis, à Senatu nempe factus, ut indicat nota S. C. & moneta ærea, quæ ab Augusto Senatui in Provinciarum divisione cudenda erat relicta, sed cum effigie, aut nomine suo, vel symbolo, ut in his nummis à Gallio percussis videtur. Nam tres monetæ æreæ signari formæ cœperunt, primæ verò magnitudinis tres species, una nempe cum effigie & nomine Augusti, in aversa cujus parte templum cum epigraphe ROM. ET. AVG. altera cum ejus etiam effigie, sed in aversa nomen Triumviri & nota S. C tertia verò cum inscriptione OB CIVIS SERVATOS, & ex altera nomen item Triumviri; secunda species, ut eam Gallius expressit, tertia minuta, in qua nomina tantùm Monetariorum.

In duobus hisce nummis Augustus dicitur cum Tribunicia potestate, quæ illi delata est an $^{730.}_{1}$ ut refert *Dio, lib. 53.* „ Ea propter Senatus Augusto hos honores decrevit, ut Tribunus Plebis perpe-

„ perpetuus esset, ut quoties Senatus haberetur, etiamsi Consu- „ latum non gereret, de quibuscumque rebus referre posset. In altero laurea exhibetur, quod hostium semper Victor diceretur.

III.

OB CIVIS SERVATOS. Corona ex lauro inter duos lauri ramos: in aversa parte C. GALLIVS. C. F. LVPERCVS. in area S. C.

Supra C. Gallium diximus avum habuisse C. Gallium Lupercum, Plebis Tribunum an. 672/3 quia ille in hoc primæ magnitudinis nummo se Caii filium inscribit: & id temporis ratio indicare videtur, quùm Augusti nomen Cæsar non acceperit ante annum 727/8 ut narrat *Dio*, *lib.* 53. „ Sed, inquit, posteaquam, ea „ quæ pollicitus fuit, re ipsa perfecit, ibi demum AVGVSTVS à „ Senatu populoque appellatus est: adde quod C. Gallius longè post factus sit Triumvir Monetalis.

Observandum quod corona quercea, OB CIVES SERVATOS, concedebatur, & in plurimis Triumvirorum Monetalium nummis qui ejusmodi Augusto cuderunt, exhibetur, tamen in hoc, ut in Carpurnia, Cassia, Licinia, & quibusdam aliis, laurea expressa est: de iis *Dio*, *loco laudato*: „ Cæsari, ait, multi erant hono- „ res delati, nempe ut ante ipsius domum in Palatio lauri poneren- „ tur, ac super eas coronæ querceæ suspenderentur; nimirum „ quod perpetuus hostium victor, ac civium esset servator. Typus idem semper in aliis Triumviris Monetalibus, qui tantùm sub Augusto, nomen suum in nummis exhibuerunt, nam sub Tiberio nulla ampliùs eorum mentio.

GEL-

GELLIA.

GELLIA gens Conſularis, cujus nomen, an ἀπὸ τοῦ γελᾶν, id eſt *videre*, dictum eſt? ſi nomen à Græca voce, an illi cognomen Græcorum more, qui binam haberet ſignificationem, inditum *Poblicola*, qui populum colit? nam Latina cognomina non compoſita ſunt, & inter eos, qui ejuſmodi habuerunt, pauci occurrunt, niſi alter qui Agricola dictus eſt.

I.

EX. S. C. Caput Jovis laureatum: in averſa parte L. GELLI. L. F. POBLICOLA AED. CVR. Aquila inſiſtens fulmini, in area Præfericulum.

L. Gellius L. filius Poblicola, qui denarium hunc aureum cudit, ille eſt, de quo ait *Val. Maximus*, *lib.* 5. *cap.* 9. ,, L. Gellius, omnibus honoribus ad Cenſuram defunctus, Quæſturam Pro- ,, vincialem iniit an. 665/6 Ædilis Curulis factus an. 671/2 Ludos ,, Magnos ſeu Romanos ſortitus, ex iis quos Ædilis Curuls munus erat edere, obtinuit. *Cicero* de iis inquit, *lib.* 5. *Act.* 2. *in Verrem.* Mihi Ludos antiquiſſimos, qui primi Romani appellati ſunt, maxima ,, cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque eſſe fa- ,, ciendos. Illos appellat antiquiſſimos, quod hi Ludi primùm à Regibus, ex *Livio*, tum à Conſulibus, inde ab Ædilibus Plebis, tandem à Curulibus, poſtquam ii creati fuerunt, celebrati ſunt. Gellius in eorum memoriam numum cudit, in cujus anteriore parte Jovem, cui erant dicati, expreſſit: & quùm erant Senatuſconſulto decreti, ideò nota EX S. C. adjecta eſt. In averſa Aquila, ut Jovis ales, quam ſibi ſacram eſſe voluit, quod in bello contra Titanas futuræ victoriæ in Naxo augurium attulerit. Hæc Fulmini inſiſtit, quod pugnanti illud ſubminiſtrarit. Præfericulum ſacrificiorum vas, aut ſacra ante Ludos facta, vel Gellium fuiſſe Pontificem, denotat.

II.

Caput Libertatis velatum, Q. LVTATI. Q. F. Q. N. CATVLVS AED. CVR. EX S. C in aversa parte Sella Curulis inter duos lauri ramos, supra eam corona.

Ex Ædilitate Curuli L. Gellius ad Præturam Urbanam ascendit an. $^{676.}_{7}$ Ex Prætura Provinciam sortitus obtinuit, an. $^{678.}_{9}$ Consulatum verò adeptus est cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano an. $^{681.}_{2}$ testis est hic denarius aureus, in quo L. Gellius L. Filius Consul perhibetur. Illum cudit Q. Lutatius Catulus, ut Ædilitatem Curulem se gessisse denotaret: res enim aliæ ad ea quæ sub ejus Magistratu gesta sunt, spectant, ut Libertatis caput, quod ejus templi restaurandi curam habuerit Gellius: duo lauri rami ad duos Ludos, quos in Ædilitate edidit, pertinent; Corona Sellæ Curuli imposita, aut honoris causa, aut deo, cui Ludi erant sacri, oblata. Vide in Lutatia gente. Tandem Censuram cum eodem Cn. Cornelio Lentulo gessit an. $^{683.}_{4}$ quæ gravissima fuit apud *Historiæ Scriptores*.

III.

Caput Romæ galeatum in laurea: ex aversa parte Figura paludata, læva clypeum, in quadrigis decurrentibus, coronatur à Muliere. CN. GEL. in imo ROMA.

Ad ejus denarii explanationem *Fulvius* hæc profert: „ Primus „ ad Gellium fortasse pertinet, Cn. Pompeii Legatum in bello ma- „ ritimo contra Piratas, cujus meminit *Florus*, Ille, inquit, *lib.* 3. *cap.* 6. Gellius Tusco mari impositus. Etsi cognomen Gellio desit, typus huic facto favet, nam Pompeio in quadrigis decurrentibus, clypeo insigni, Roma coronam navalem supra ejus caput imponere videtur, quam quibusdam legatis concesserat, teste *Plinio*. Corona verò ex lauro, in anteriore denarii parte, ubi Romæ caput expressum, ea quæ Romæ semper Victrici debetur. Denarius quidam ex Quadrigatorum solitorum specie est, quem, ut Legatus Pompei percussit an. $^{314.}_{5}$ quo cœptum & confectum est bellum Piraticum. An verò ille Cneius fuerit ex Publicola gente, an ex alia stirpe, incertum est: nam Q. Gellius Canus condiscipulus & familiaris Attici fuit, ex *Nepote in vita Attici*.

IV.

IV.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. L. GELL. Q. P. Caput M. Antonii, pone quod præfericulum; in aversa parte CAESAR. IMP. PONT. COS. III. VIR. R. P. C. Caput Cæsaris junioris, pone quod lituus.

Patri succedit Filius ejusdem prænominis, L. Gellius dictus est in denario, M. Brutum secutus est ut amicum in Asiam post Cæsaris cædem; sed quùm Gellius, inquit *Dio*, *lib.* 47. ei insidiaretur, licèt convictus, Brutus illum dimisit, & ad Cassium, cui erat conjunctissimus M. Messala frater ejus, se recepit, cui pariter insidias struxit, his verò à matre Cassio detectis, illa filii salutem pro præmio habuit; relictis ergo benefactoribus ad Antonium & Cæsarem transfugit. Denarius illius, in quo utrumque expressit, illum M. Antonii Quæstorem Provincialem fuisse nos edocet. Præfericulum ut Auguri datur, ad Auguratum ejus notandum; Lituus autem solitum Auguris symbolum, Cæsari ut Pontifici tribuitur: ista igitur Pontificalia sine discrimine, modo Auguri, modo Pontifici, in denariis exhibentur.

L. Gellius tandem Consulatum cum M. Cocceio Nerva, Antonii & Cæsaris pariter amico, obtinuit. Sed illorùm inimicitiis in apertum bellum eruptis an. $^{721}_{2}$ Gellius adhæsit totus Antonio; Antonius eum præfecit Classi, & uni ex Provinciis, ut testantur non modo *Dio*, *Velleius*, & *Plutarchus*, sed & nummi, quos Consules in Antonia gente cuderunt: tandem pugna inter Antonium & Cæsarem ad Actium commissa est, Antonius cum Poplicola in dextro cornu egit, apud *Plutarchum*.

HELVIA.

HELVIA gens Plebeia, tres enim fratres Helvii ex Magiſtratuum curſu Tribuni Plebis fuerunt, apud *Livium.* Nomen ejus deſumptum videtur ab Helvo colore, medio inter rufum & album, de quo *Varro de Re Ruſt. cap.* 5. Blaſio cognomen à lingua blæſa, ut auguratur *Sigonius de Nom. Rom.* Vide in gente Cornelia.

I.


BLASIO. Caput Victoriæ pectore tenus cum alis: in averſa parte M. HELVI. P. F. Victoria in quadrigis decurrentibus, d. flagrum, ſ. habenas equorum.

M. Helvius P. filius Blaſio duos habuit fratres, Cn. natu majorem Trib. Plebis an. 546/7. & Caium ex fratribus minimum, an 553/4. Marcus autem Quæſturam Provincialem iniit an. 547/8. Tribunus Plebis fuit an. 552/3. Ædilis Plebis an. 555/6. Prætor Peregrinus Hiſpaniam Ulteriorem ſortitus obtinuit primus an. 556/7. nam hoc anno ex quatuor Prætoribus, ſex creati ſunt, qui alter fuit Hiſpaniæ Citerioris. Q. Fabius Buteo ſucceſſor fuit Helvii in Provincia an. 557. ſed hic æger non potuit diſcedere, & ferè biennio tantùm poſt rediit longo & gravi morbo detentus. Claudius Nero, novus Hiſpaniæ Ulterioris Prætor, an. 558/9. Helvio Romam abeunti, uſque ad Caſtra Conſulis ſex millia militum in præſidium dedit. Ille ad oppidum Illiturgim, duodecim millia Celtiberorum in prælio interfecit, & oppidum cepit, deinde Romam reverſus triumphum petiit: ſed quùm exercitu alieno, & in aliena Provincia pugnaſſet, Ovatio tantùm illi decreta eſt, ut legitur in *Columnis Triumphalibus.*

M. HELVIVS. P. F. ... N. BLASIO. PROPR. AN. DLVIII. DLVIIII. *Varr.*
OVANS. EX. HISPANIA. CITERIORE..... ...

Ex manubiis denarios Helvius confeciſſe videtur; nam *Livius* narrat eum in ærarium detuliſſe argenti infecti 14732. pondo, ſignati Bigatorum 17023. Oſcenſis argenti 120438. In iis caput Victoriæ, ad recolendam illam quam de Celtiberis retulerat: in averſa parte Victoria in quadrigis, ſolito more cum flagro, qui denarii ex eo vocati erant Quadrigati, & non ob Ovationen, ut *quidam* putant; quùm ovantes pede Romam, aut, ut volunt, equo vecti ingrediebantur.

HEREN-



HERENNIA.

HERENNIA gens Plebeia fuit, ſed Conſularis; Herennius etiam fuit cognomen Bæbiis & Octaviis.

I.

Caput galeatum, pone quod ROMA: in averſa parte M·HERENNI. C. F· Caſtor & Pollux equites, cum haſtis & aſtris inſigniti, in diverſa abeuntes.

M. Herennius C. filius in denario perhibetur, obſcuræ ſortis homo creditus, cujus pater nullis Magiſtratibus ornatus occurrit. Inter mediocres Oratores à *Cicerone* numeratur, *in Bruto*. Quæſturam iniit an. 645/6 in qua videtur hunc denarium cudiſſe, cum ſolita Romæ effigie; in averſa parte Caſtor & Pollux, non eodem modo, ut ſolent, decurrentes, ſed in diverſa abeuntes. Herennius forſan alludens eorum ſtellis; nam quùm Caſtor diem ſuum obiiſſet, Pollux fratris deſiderio à Jove, cujus erat filius, & tantùm eſſent ex Læda fratres uterini, ut immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri; qua re impetrata, alterni mori traduntur & reviviſcere. Quod ideo fingitur, ait *Servius*, quia horum ſtellæ ita ſe habent, ut occidente una, oriatur altera. Sic Equites in diverſa abeuntes videntur expreſſi.

II.

PIETAS. Caput Pietatis: in averſa parte. M. HERENNI. Homo nudus alterum brachiis effert, in area littera P. in aliis Q.

Poſt Quæſturam Herennius Tribunatum Plebis adeptus eſt an. 649/50 Ædilis Plebis fuit, an. 652/3 Præturam Urbanam geſſit an. 655/6 Provincialem quidem an. 656/7 & ſi nobis conjecturæ locus, Siciliam ſortitus, ut indicare videtur denarius, qui Romæ non fuit cuſus, & Pietatis caput exhibet; nam ipſa pro dea habita eſt, ut diximus. Et in averſa parte Pietatis erga parentes ſymbolum, in hac Inſula uſurpatum. Non exiſtimamus juvenem illum, ut *quidam*

putant, Æneam Anchiſem ferentem, quem humeris geſtare ſolet, aut comitem habet Iulum, vel Æneas Palladium tenet, ad eum indicandum; ſed videtur eſſe Amphinomus Siculus, qui, Ætna incenſa, patrem ex urbe Catana brachiis è periculo ſubducit, qualem videre eſt in gente Pompeia.

Herennius tandem Conſulatum iniit cum C. Valerio Flacco an. 659. 60. *Quidam* denarium ad M. Herennium ſpectare putant, qui Conſul ſuffectus ex Kal. Novemb. id in *Collotiano Fragmento* reperitur, ſed non eſt denariorum hujus temporis forma. Litteræ P. vel Q. Monetariorum notæ ſunt.

HIRTIA.



HIRTIA.

HIRTIA gens Plebeia, ſed Conſularis; nomen deſumpſiſſe vult *Sigonius*, *lib. de Nom. Rom.* ab Hirto, id eſt, ſquallido.

I.

C. CAESAR. COS. TER. Caput Pietatis velatum: in averſa parte. A. HIRTIVS PR. Lituus, urceus & ſecuris.

A. Hirtius, A. filius, Magiſtratus per Quæſturam Urbanam, ut moris erat, incœpit an. $\frac{699.}{700}$, deinde Legatus Julii Cæſaris fuit in Gallia, cujus partes ſequutus eſt in bello Civili, eidem amicus & familiaris. Tribunatum Plebis geſſiſſe an. $\frac{705.}{6}$ colligitur ex Lege quam tulit, uti Pompeiani ex Magiſtratibus excluderentur. Sed probabilius eam tuliſſe, quùm Prætor Urbanus eſſet an. $\frac{707.}{8}$ à Cæſare factus, poſtquam ille auxiſſet Prætores ad decem; in cujus gratiam videtur hunc aureum nummum cudiſſe, in quo, ſub vultu Pietatis, epigraphen Cæſaris poſuit; non conceſſa illi à Senatu cudendi cum imagine ſua adhuc facultate: initio nempe ejus tertii Conſulatus, ut præfert inſcriptio: Pius voluit videri in eum, qui ab omnibus PARENS PATRIAE vocatus eſt. Pietatis imago modo velata eſt, modo ſine velo effingitur, ſed ut erat Pontifex Maximus, ideo Pietas velata eſt, quia ſic illi exhibebantur, & ſigna Pontificalia ad Pontificatum Maximum Cæſaris etiam ſpectant. Vox PR. exponitur *Prætor*. Quidam *Præfectus*. Sed vide Regulum in gente Livineia, in cujus denario vox PR. & altera PRAEF. occurrunt.

II.

PIETAS. Caput Pietatis: in averſa parte Sacerdos, d. pateram ſuper aram ignitam, pone eum Camillus tenet ambabus ſuffimenmenta pro ſacris: adſtant ex adverſo duo Conſules togati, haſtis cum pendulis inſignes.

Cæſar cum bellum Parthicum moliretur, Hirtio & Panſæ Conſulatum

ſulatum deſignavit in an. $^{710.}_{1}$ quem, etſi à Conjuratis Id. Mart. occiſus ſit in Curia Pompeii an. $^{709.}_{10}$ inierunt, ſed M. Antonius, quùm in Macedoniam Provinciam ſibi decretam ire debuiſſet, in Galliam Ciſalpinam, quam D. Brutus obtinebat, profectus eſt, & eum Mutinæ obſedit. Novi Conſules Magiſtratum ineuntes in Senatu de Republica retulerunt; Senatuſconſultum, ut Legati ad Antonium mitterentur, factum eſt; at quùm ille, conditiones accipere, & Senatus illius reſponſa approbare nollet, hoſtis judicatus, & bellum contra eum Conſulibus decretum eſt: mox ad ipſum ſe accinxere & ſacris, quæ initio belli habere conſueverant, ut refert *Dio*, *lib.* 46. in cujus memoriam hunc denarium aureum cudi curavit.

Ab anteriore parte viſitur caput Pietatis; ſed illius quæ in patriam debetur; ideo velata non eſt, ut manifeſta deſit, & in averſa parte ambo Conſules, ad aram ſtantes videntur haſtis armati, licèt togati ſacris aſſiſtentes, quæ Sacerdos faciebant aſſiſtente Camillo: ſed *Dio* tradit, *loco citato*, exta ab Aruſpicibus, propter multitudinem ſanguinis dijudicari non potuiſſe, quod malum omen cum aliis, ipſis portendit; & Conſules quoque, ante ferias Latinas, Urbe profecti, quod quotieſcumque factum fuit, pernicie ipſorum fuit: nam ambo in prælio ad Mutinam, etiam ſi victores, ceciderunt; Hirtius quidem in pugna, Panſa verò poſt paucos dies ex vulneribus, Bononiæ. Hirtii corpus Romam perlatum, publica in Campo Martio ſepultura conditum fuit. Cæſaris *Commentaria de bello Gallico & Pompeiano* complevit, quemadmodum ipſe fatetur.

HORA-




HORATIA.

HORATIA gens Patricia & Conſularis, valde antiqua. De eorum nomine ſic ait *Glandorpius*. Horatios volunt ab „ orando dictos, ſed conſuetudine factum ut adſpiratio adjiciatur. „ Cognomen Cocles ab oculi defectu, is dicitur qui unum tantùm habet oculum, quaſi ocles.

COCLES. Caput Romæ galeatum: ex averſa parte IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. in imo ROMA. Caſtor & Pollux decurrentes, cum equis & haſtis, inſignes aſtris.

Horatia gens primis Reipublicæ temporibus plurimum enituit. Teſtis eſt Horatius ille Tergeminus, qui, Curiatiis Albanis cæſis, victoriam Romanis reliquit. M. Horatius Pulvillus, ducto genere ab Horatiis Tergeminis, ut ſcribit *Dionyſius*, Conſul Capitolium dedicavit, & P. Horatius Cocles M. Pulvilli frater patruelis, qui in eo bello quod Porſena Hetruriæ Rex pro reſtitutione Tarquiniorum cum Romanis geſſit, quùm Janiculum jam captum videret, hoſteſque inde in urbem irruere, ſolus hoſtium impetum ſuſtinuit, donec à tergo pons à ſociis frangeretur: quo facto ſe cum armis præcipitavit in Tiberim, & incolumis ad ſuos tranavit. Ei ob hoc factum decreta eſt in foro Romano ſtatua; apud *Plutarchum in Poplicola*.

Licet verò ab an. $\frac{375}{6}$ nullus Horatiæ gentis inter Magiſtratus majores in *Hiſtoria Romana* reperiatur, aliquis tamen poſtquam argentea moneta ſignari cœpit an. $\frac{484}{5}$ Horatii Coclitis nomen denario imponendo ſe ab illa originem duxiſſe poſteris denotare voluit; ſed quùm tantùm Coclitis cognomen in eo inſcribatur, & typus ſit Caſtorum ſolitus, ad alteram etiam gentem ſpectare dubitat *Amicus*, qui ejuſmodi cognomen habuerit. *Cicero* ſuo tempore etiam Horatii nomen revocat, *epiſtola ultima, lib.* 12. *ad Cornificium*. Trajanus verò qui denarium reſtituit, hoc dubium tollere videtur, qui tam celebris Familiæ memoriam renovare voluit.



HORTENSIA.

HORTENSIA gens Plebeia, nam L. Hortensius Trib. Plebis perhibetur jam ab an. $^{331.}_{2}$ Nomen ab Horto diriva-tum *quidam* existimant.

I.

Caput Romæ galeatum : in aversa parte L. HORTEN. L. F. in imo ROMA. Victoria in bigis, d. coronam, s. equorum habenas.

Ad L. Hortensium L. filium spectat hic denarius, Q. Hortensii Oratoris patrem. Is verò Quæsturam Provincialem iniit an. $^{644.}_{5}$ & ad impensas Provinciæ solvendas Romæ denarios percussit, ut ROMA vox indicat; nam à Tribunis ærarii pro stipendiis militum & exercitus sumptibus monetam accipiebant, quæ eorum nomine cudebatur, & solito Bigatorum typo, vel alio, ut quæque Provincia Quæstoris monetam nosceret. Victoria pro flagro aliquando coronam gerit, ut insigne, ut existimamus.

Post Quæsturam, quam per tres annos gessisse reperio, ad Tribunatum Plebis accessit Hortensius, an. $^{649.}_{50}$ Ædilis Plebis fuisse videtur an. $^{652.}_{3}$ Prætorque Provincialis Siciliam sortitus obtinuit an. $^{656.}_{7.}$ ut ex *Cicerone* colligitur.

II.

Caput Romæ galeatum : in aversa parte Q. HORTENSI. in imo ROMA. Castor & Pollux, astris insigniti, decurrunt in equis cum hastis.

Goltzius ad Q. Hortensium, celeberrimum Oratorem, revocat hunc denarium, quem Lucii filium *Cicero* nominat, in *Bruto*, sed quùm patrem in denario non appellat Hortensius, ex forma illius eum antiquiorem suspicamur, & ad Q. Horten-

Hortenſium , Q. filium Prætorem Urbanum an. $^{639.}_{40}$ pertinere auguramur. In re dubia libera eſt ſententia ; ut ut ſit , in eorum Quæſtura percuſſus videtur , ad impenſas Provinciæ. Si ad Hortenſium Oratorem ſpectat anno $^{673.}_{4}$ cuſus eſt , quo primum Lege Cornelia Quæſtores viginti creati ſunt , inter quos ille locum habuit. Caſtor & Pollux ſæpe in denariis Romanis occurrunt , ut ſolitus eorum typus , ut à nobis ſparſim dictum eſt.



HOSIDIA.

HOSIDIA gens Plebeia an Patricia fuerit, incertum eſt: Hoſidii nomen à quo deſumptum ſit non invenimus. Geta cognomen & Didiis & Liciniis familiare fuit.

I. II.

GETA III VIR. Caput Dianæ, pone quod arcus & Pharetra: in averſa parte C. HOSIDI. C. F. Aper telo transfixus, quem canis inſectatur, & alius typus ferè idem; ſed litteræ circa caput vario modo poſitæ.

C. Hoſidius C. Filius in denario appellatus, patrem habuiſſe videtur C. Hoſidium, de quo fit mentio inter proſcriptos apud „ *Dionem*, *lib.* 47. Hoſidium autem Getam filius, funere ejus „ parato, nece ſubtraxit, finxit enim ſe laqueo vitam eripuiſſe, rus deinde ſeceſſit, ubi ſenex pelliculam induxit oculo, qua pace reddita, deinde amota, oculus longo otio redditus eſt inutilis, ex *Appiano*, *Bel. Civ. lib.* 4. Hoſidius filius Triumvir inſcribitur, nempe Monetalis: idem verò Apri typus telo transfixi à Durmiò pariter Triumviro ſub Auguſto, ſimul hunc Magiſtratum minorem & eodem anno iniiſſe ſollicitat. Hic Auguſti caput exhibet, in cujus natalibus, apud *Dionem*, ab Ædilibus Curulibus venationem fuiſſe editam legimus, an. 634/5 M. Apuleio, P. Silio Coſſ. Hoſidius vero Dianam, cui ſacra fuerant facta ut venationis deæ, exhibuit. *Amicus* denarium in Ludorum Sæcularium celebratorum an. 736/7 memoriam cuſum exiſtimabat; quod hi in Dianæ honorem celebrarentur: ſed Ludi in honorem Apollinis & Dianæ exhibebantur, & aper telo transfixus, quem canis perſequitur, venationem potiùs, quam Ludos deſignare videtur: Meſcinius autem Triumvir eos in denariis ſcripſit LVD. SAEC. imo & addidit Trib. pot. VI. in qua celebrati ſunt.



HOSTILIA.

HOSTILIA gens videtur Plebeia, quùm in ea multi Tribuni Plebis numerentur: nomen ejus ab Hoſtio diminutivum eſt, & Hoſtius ab Hoſto; & quod primus fuiſſet ex Herſilia Sabina in Hoſtico procreatus Hoſtus Hoſtilius à matre fuit appellatus ex *Macrobio*. Ex nummis nobis ſuperſunt cognomina Mancinus & Saſerna: Mancinus diminutivum à Manco, qui altera manu caret.

I.

MANCINVS. Caput Honoris laureatum, ante quod ſcutum: in averſa parte A. HOSTIL. L. F. Caſtor & Pollux, in equis decurrunt, cum haſtis, pileis & aſtris ornati.

A. Hoſtilius Lucii, qui ab Annibale cum 400. equitibus occiſus dicitur apud *Livium*, filius fuit. Is Quæſturam Provincialem iniit, an. $^{567.}_{\ \ 8}$ Ædilis Curulis extitit an. $^{571.}_{\ \ 2}$ Præturam Urbanam geſſit an. $^{573.}_{\ \ 4}$ Tandem Conſul cum A. Atilio Serrano creatus eſt an. $^{583.}_{\ \ 4}$ Hoſtilio obtigit Macedonia cum bello contra Perſeum Regem: at quùm pro exercitus impenſis Conſul plurimos denarios ſignaret, *Livius* nobis hujus explanationem ſuppeditare videtur. Plurimæ civitates Aſiæ Legatos Romam miſerant, ut aliquid Romanis, pro bello Perſico offerrent; inter eos Alabandenſes coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi Opt. Max. attuliſſe, & ſcuta equeſtria 300. ea cui juſſiſſent tradituros. Alabandenſes ſcuta reportare ad A. Hoſtilium Conſulem in Macedoniam juſſi. Quare Hoſtilius, ad eam rem ſignificandam, in anteriore parte caput Honoris coronati, ut videtur in gente Fuſia, & ante eum ſcutum, exhibuit. In averſa parte ſolitus eſt denariorum typus, cum Caſtore & Polluce; unde in neutro latere vox ROMA legitur. At quùm nihil proſperè in Macedonia à Conſule gereretur, per Legatos ad Comitia ineunda redire juſſus eſt. Hoſtilius duos reliquit filios Caium & Lucium, de quibus mox dicturi.

II.

L. HOSTIL. MANCIN. Caput Tulli Hoſtilii Regis diademate ornatum, pone quod TVLL. in averſa parte SER. SVLPIC. GALBA. Triremis Prætoria cumque remigantibus.

A. Hoſtilio Mancino patri ſuccedit L. Hoſtilius Mancinus natu major filius, in memoriam avi dictus Lucius. Is Quæſturam Provincialem ſuſcepit an. $\frac{597}{8}$ Ædilitatem Curulem an. $\frac{602}{3}$ Prætor Peregrinus claſſem ſortitus eſt an. $\frac{609}{10}$ & ejus Quæſtor Servius Sulpicius Galba factus denarios ad claſſis ſumptus percuſſit, ut & hunc, in cujus anteriore parte caput Tulli Hoſtilii, ut L. Hoſtilium ab eo Romanorum Rege tertio originem traxiſſe denotaret. Ille autem diademate ornatus eſt, ut Rex Numa in gente Pompeia, & Ancus in Marcia obſervantur. Magno deſiderio hunc videre denarium tenebatur noſter *Seguinus, de Num. Pompeianis*; nam cum ſpe eum recuperandi ſemper vixit; ſed ut in Provincia extra Romam cuſus fuit, eximiæ raritatis habetur, & à *Goltzio* tantùm obſervatus eſt. Galba L. Hoſtilii nomen verſus imaginem Regis, pone quam TVLLIVS eſt, expreſſit; ſuum verò in averſo latere, ubi depicta eſt Navis Prætoria, cum ſuis remigantibus ad indicandam claſſem, cujus Prætor L. Hoſtilius, & ipſe Quæſtor ſorte fuiſſent. De *Galba in Sulpicia gente.*

Anno $\frac{506}{7}$ Hoſtilius claſſem in ſucceſſoris adventum obtinuit, & quùm anno præterito nihil, ad Carthaginem cum L. Piſone Conſule profectus, memorabile geſſiſſet, hoc urbem qua mare ſpectat, obſedit, ſed fruſtra, Romam redire juſſus eſt, & in foro obſidionis iconem expoſuit, qua comitate Populum ita delinivit ut Conſulatum cum Q. Fabio Maximo Æmiliano obtinuerit an. $\frac{608}{9}$

III.

Caput Cereris Corona ex ſpicis ornatum: in averſa parte. C. MANCIN. A. F. SEX. ATIL. M. F. SERRAN. Duo Æediles ſedent, ante dexteriorem modius cum ſpicis, pone alterum ſpica.

Ex ordine C. Hoſtilius Mancinus fratrem majorem ſequitur, & Quæſturam Provincialem adeptus eſt an. $\frac{602}{3}$ Ædilitatem Plebeiam cum Sexto Attilio Serrano, de quo in gente Attilia diximus, obtinuit an. $\frac{609}{10}$ licèt Patricius fuerit; nam Ædiles ſeu Curu-

Curules ſeu Plebeii ſine diſcrimine erant creati, denarius verò ſub eorum nominibus percuſſus, illos hoc anno annonam largiter Romæ procuraſſe nos edocet. Ii autem in Sellis exhibentur, quæ Ædilibus Plebis peculiares erant; & modius cum ſpicis illum tritici plenum modico pretio eſſe diſtributum denotat: in anteriore parte Cereris caput, ut dea frugum, & prima earum inventrix, & cultum terræ docuit: unde *Virgilius*, 1. *Georg.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit.

Poſt Ædilitatem C. Hoſtilius Præturam Urbanam ſortitus eſt an. 612/3. denique Conſulatum cum Æmilio Lepido Porcina obtinuit an. 616/7. Mancino Hiſpania Citerior obtigit, pacem cum Numantinis pernicioſam poſtquam feciſſet, revocatus eſt, & abdicavit; ſed per Feciales abolendi fœderis ſine autoritate Senatus facti, ante portas Numantiæ vinctus & nudus expoſitus eſt, quem quùm Numantini recuſaſſent, Romam reverſum Rupilius Tribunus Plebis è Senatu, ut non ampliùs civem ejecit; ſed Lex lata eſt, qua Civis eſſet Romanus ex *Pomponio tit. de Legat.* & Præturam Urbanam poſtea adeptus eſt an. 619/20. Provincialem verò an. 620/1. in Provincia verò illi ſubrogatum eſt imperium an. 621/2.

IV.

Caput Veneris laureatum: in averſa parte L. HOSTILIVS SASERNA. Victoria gradiens, d. caduceum, humero lævo trophæum.

Rectè opinatur *Fulvius*, à L. Hoſtilio Saſerna cuſum eſſe hunc denarium, quem Lepti cum præſidio ſex Cohortium Jul. Cæſarem reliquiſſe ſcribit *Hirtius lib.* 5. *de Bel. Africano*; ut & fratrem ejus P. Saſernam Ruſpinæ, ne loca maritima poſt ſe vacua relinqueret. Ut autem Adrumeti ex Scipionis juſſu Conſidius, eo tempore quo Saſerna Lepti à Cæſare præfectus eſt, monetam in illa urbe ab eo cudi obſervavimus; ſic hanc à Saſerna Lepti percuſſam auguramur; idque perſuadent nulla Romæ ſignatæ monetæ veſtigia, & Veneris, à qua Cæſar originem trahebat, imago, in denariis pro ejus uſu cuſis ſignari ſolita, parſque averſa, in qua

Victo-

Victoria caduceum Felicitatis ſymbolum, Cæſaris felicitatem denotans, & illa trophæum gerens, ad illud jamjam de adverſariis & hoſtibus erigendum.

V.

Caput Palloris deæ, prolixis capillis; pone quod baculus, in cujus apice caput aſininum, in averſa parte L. HOSTILIVS SASERNA. Diana velata, cum tutulo & veſte, cujus Laciniæ brachiis involutæ pendent, d. cornibus cervum, ſ. haſtam nodoſam.

Ad L. Hoſtilium Saſernam pertinere hunc denarium docet epigraphe, quem etiam Lepti cuſum opinamur, ob Dianam illam ſingulari modo & non alibi obſervatam, quæ ejus in hac urbe cultum denotat. Dianæ Epheſiæ ſignum exiſtimat *Fulvius*, ſed nullus eſt in Epheſiorum nummis tam peregrinus, qui hujus effigiem ab illa omnino diverſam non agnoſcat. Diana cervi cornua tenet, quia ille in ejus tutela erat. L. autem Hoſtilius, ut à Rege Tullo Hoſtilio ſe originem trahere denotaret, in denariis, Palloris deæ imaginem, ſub mulieris effigie cum prolixis & neglectis capillis, expreſſit, ad renovandam memoriam fani quod huic voverat, apud *Livium*, *lib.* 1. Baculus, in cujus apice videtur caput aſininum, armorum formam, qùibus Leptitani, ut & alii populi, utebantur, indicat.

VI.

Caput Pavoris dei, coma arrecta, pone quod ſcutum oblongum: ex averſo latere Figura, d. ſpiculum vibratura in partem adverſam, ſ. clypeum, ſtat in bigis, quas ſeſſor ducit, d. flagrum, ſ. habenas equorum gerens. L. HOSTILIVS SASERN.

Hic denarius ab eodem Hoſtilio Saſerna percuſſus, hinc & inde Tulli Hoſtilii Regis geſta continet; ut in ſuperiore Palloris effigiem, cujus fanum voverat Rex, ad indicandam ex illo Principe originem ſuam, exhibuit; in anteriore parte caput Pavoris coma arrecta, cujum fanum etiam vovit Rex Hoſtilius, ut & Palloris fecerat, ex *Livio*, nam, inquit, Tullus in re trepida duodecim „ vovit Salios fanaque Pallori ac Pavori; ad quod *D. Auguſtinus*, *lib.* 6. *de Civit. Dei*, *cap.* 10. Hoſtilius Pavorem & Pallorem, teter- „ rimos

rimos hominum affectus; quorum alter mentis territæ motus „ est, alter corporis, nec morbus quidam, sed color. scilicet deos dedicavit. Palloris ædes erant in regione Esquilina, ut & vicus Palloris; an Pavoris fanum esset collapsum, Pavor à Corinthiis cultus legitur apud *Pausaniam* in *Corinth.* & etiam Spartæ apud *Plutarch. in Agide.* Scutum pone caput, ad arma Leptitanorum, ut baculus in superiore pone Pallorem, Tulli Hostilii Regis. Pars denarii aversa Triumphi de Albanis memoriam exhibere videtur. *Livius*, nulla Triumphi facta mentione, Horatium Victorem, spoliis tergeminis prælatis insignem, Romam rediisse narrat. *Dionysius* tamen Tullum Hostilium Regem ex s. c. triumphasse scribit; cui adstipulatur *Macrobius*, *Saturn. lib.* 1. his verbis: Tullum Hostilium, quùm bis de Albanis, de Sabinis „ ter triumphasset. Rex armatus in hostes telum vibraturus, tanquam victor in curru depingitur. *Amicus* verò, quod pone se adspicit & arma jaculaturus sit, Horatium esse, & Regem Hostilium in curru sedentem exhiberi, existimat.

ITIA.

ITIA gens an Patricia an Plebeia sit, incertum, nomen ab *itu* videtur desumptum, de qua voce *Suet. in Tiber. cap.* 38. Ad extremum vota pro itu & reditu suo suscipi passus est. *Langius* monuit *Fulvium*, ad quem denarii misit ectypum, pro Iccio in antiquis codicibus reperiri. *Fulvius in Cæsare de Bel. Gall. lib.* 5. pro Portu olim Iccio posuit Itium. Sed Iccius, *lib.* 2. *Bel. Gall.* Remorum Legatus ad Cæsarem dicitur, unde ab ejus gente portus ille denominari potuit, nisi sit error etiam in nomine.

I.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte L. ITI. in imo ROMA. Castor & Pollux, pileis & astris ornati, decurrunt in equis cum hastis.

Quis fuerit L. Itius, qui hunc denarium inter raros adscriptum cudit, & cujus gentis solus hactenus occurrit, existimat *Fulvius* esse illum, ad quem *Horatii extat Ode.* 29. *lib.* 1.

Iti, beatis nunc Arabum invides
Gazis, & acrem militiam paras.

Sed quùm *Lyricus* ille *Poëta* insignis anno Imperii Augusti ætatis suæ 63. mortuus est, denarium L. Itii antiquiorem ex ejus forma & typo opinamur, & ita potiùs ad ejus patrem quam ad illum pertinere conjicimus. M. Itius, qui male Iccius nominatur apud *Ciceronem*, *Philipp.* 3. Cæsaris partium fuit, & Præturam obtinuit inter eos qui primum ex sedecim Prætoribus nominati sunt, an. 709. 10 postea anno sequente Siciliam administravit. Ille autem ex Itia gente fuisse videtur. Alter C. Iccius, pro C. Itius, ut arbitramur, citatur *à Plinio*, *Naturalis Historiæ lib.* 1. & 36. & ex illius *Lucubrationibus* quædam *in Historiæ suæ lib.* 6. se transtulisse fatetur. De Romæ capite, & solito in denariis argenteis Castoris & Pollucis typo, sæpe dictum est.

IVLIA.

IVLIA.

IVLIA gens Patricia eſt, majorum gentium, Libonis & Cæſaris cognominibus ex denariis nobis ſuperſtitibus diſtincta, cui addita ex iis Burſionis altera, ſed incerta. A Cæſaribus utpote Magiſtratibus inſignioribus ordiamur. Nomen Julium à Iulo Aſcanii Æneæ filii cognomine deſumptum *Græci* & *Latini Hiſto-ſtoriæ Scriptores* produnt, de quo *Virgilius*, *Æneid. lib.* 1.

Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium oceano, famam qui terminet aſtris
Julius, à magno deductum nomen Iulo.

Cæſaris cognomen vel cæſo matris utero, vel qui cum cæſarie nati, vel iis qui oculis ſunt cæſiis inditum, habere narrant; ſunt etiam qui de elephanto in Africa occiſo, quem Punica lingua *Cæſar* vocant, eamque ob cauſam datum hoc primum avo Dictatoris contigiſſe narrant. Sed multò antiquius eſt, ut infra videbimus.

Plebeiæ etiam gentis cognomen *Libo*, derivatum videtur à Libo dulciori cibi ſpecie ex farre, caſeo, melle, & oleo, confecta, qua delectabatur forſan primus qui illud tulit. De altero *Burſionis* cognomine inquit *Fulvius*, extant autem alii ejus generis denarii huic ſimiles, in quibus pone caput Mercurii, ſignum quoddam adjectum eſt, quod ad indicandum Burſionum cognomen, unde dictum fuerit, appoſitum eſſe facile dixeris. Burſa autem, ſeu potiùs crumena illa non occurrit, ſed bos apertè viſitur pone Mercurii caput: unde *Amicus* à Byrſa, quæ corium dicitur, derivatum auguratur, quod gentis autor Coriarius forſan fuerit.

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod litteræ numerales XVI. in averſa parte L. IVLI. Caſtor & Pollux, pileis & aſtris inſigniti, decurrunt cum haſtis.

A gentis Juliæ Patriciis, utpote nobilioribus, eorum seriem „ inchoamus. *Fulvius* hunc denarium ad L. Julium Cæsarem „ refert, qui cum P. Rutilio Lupo Consul fuit anno $^{662.}_{3}$ In eo, „ inquit, adjectus est numerus XVI. ob eam causam quod eo anno „ quo denarius hujusmodi signatus est, pressus ære alieno Po- „ pulus Romanus fecerat, ut denarius sexdecim assibus per- „ mutaretur, quod secundo non primo, ut ait, bello Punico, „ à Q. Fabio Maximo Dictatore factum fuisse *Plinius* scribit. „ Quapropter illum denarium ex forma, typo, & littera anti- „ quiorem esse, & eo tempore cusum arbitramur, quo monetæ „ illius auctio mansit, Lucium autem Julium Cæsarem superiore vetustiorem, eadem ætate vixisse indicat *M. Catonis*, quam pro illo habuit, *Oratio*. Citatur ea à *Prisciano lib.* 10. Sed nihil quicquam præterea de illo deprehendimus.

Fulvius ab aliis quoque in maxima æris penuria factam fuisse ejusmodi auctionem ex *Plinio* tradit, sed de illa tantùm loquitur, etsi in aliis denariis hanc Inscriptionem XVI. observavit; omnes ad illud tempus revocandi sunt. Castoris & Pollucis typus, utpote solitum denariorum symbolum, à nobis sparsim explanatus est.

II.

Caput Romæ galeatum, pone quod ancora: in aversa parte SEX. IVLI. CAISAR. Venus in bigis coronatur à Cupidine retrò stante: in vertice ROMA.

Sex. Julius Cæsar in *Fastis* Sex. Filius Sex. Nepos appellatus, Quæsturam suscepit an. $^{583.}_{4}$ quo A. Hostilio Mancino bellum contra Perseum Macedoniæ Regem obvenit; & ancora pone caput Romæ, denarios ad impendia classis instruendæ fuisse cusos denotat. Venus in bigis, cui Cupido retrò stans coronam imponit, ad indicandam Juliorum gentem à Venere originem duxisse expressa est. Sex. Cæsar è Quæstore factus est Ædilis Curulis an. $^{583.}_{9}$ cum Cn. Cornelio Dolabella, sub quibus *Hecyra P. Terentii Poëtæ* acta est Ludis Megalensibus, ut ejus *Comœdiæ vetusta tituli Inscriptione* colligitur. Tandem ille primus ex Juliæ gentis cognomine Cæsaribus Consulatum adeptus est cum L. Aurelio

Oreste

Oreste an. $^{596.}_{7}$ Romani aliquando Græca scribendi ratione usi sunt, ut CAISAR ita COILIVS & AIMILIVS.

III.

Caput galeatum, pone quod spica: in aversa parte L. IVLI. Victoria in bigis, utraque manu habenas.

L. Julius Cæsar Sexti superioris filius fuit, fratresque habuit Sex. Julium Cæsarem Prætorem, & C. Julium. Is Quæsturam accepit, deinde Ædilis Curulis fuit an. $^{628.}_{9}$ quo denarium cudisse videtur, ut indicat spica, pone caput Romæ, ob frumenti copiam in urbe procuratam; quo symbolo in denariis propterea utebantur Ædiles: nisi quis dixerit illum in Sicilia cusum. L. Cæsar in hac Provincia potuit esse Quæstor, & spica etiam symbolum est, præsertim quùm vox ROMA in denario solita Urbis nota desit: Lucius quidem Prætor fuit Provincialis eodem anno $^{631.}_{2}$ quo frater Sextus Julius; sed quas rexerint Provincias, ignoratur. Biga solitus denariorum Romanorum typus, unde illi dicti sunt bigati.

IV.

Duo capita jugata Jani, pro solito bifronte: in aversa parte L. IVL. L. F. SEX. N. CAESAR. Navis, in imo ROMA.

Filius est hic Julius, Julii Cæsaris superioris, & Sexti de quo supra, nepos, ut fert denarii *Inscriptio*. Is Quæsturam Urbanam gessisse videtur an. $^{649.}_{50}$ quo hunc nummum æreum percussit Romæ, &, pro Jano bifronte seu averso capite, Janum jugato capite expressit, qui Romanæ monetæ solitus erat typus, ut & Navis, de qua sæpe egimus. L. verò Proquæstore Provinciæ fuit an. $^{651.}_{2}$ Ædilis Curulis an. $^{655.}_{6}$ Prætor Urbanus an. $^{658.}_{9}$ ut testatur in *Scaurianam* scribens *Asc. Pædianus*. Prætor Provincialis an. $^{659.}_{60}$ Tandem Consulatum adeptus est cum P. Rutilio Lupo an. $^{663.}_{4}$ Bellum cum sociis decretum est ambobus Consulibus, & Rutilius in prælio occisus est. L. Cæsar an. 664. creatus est Censor cum P. Licinio Crasso, ut habent *Fragmenta Capitolina*. Exaustum penè ærarium hoc tempore testatur *Orosius*: quare L. Cæsar æreos nùmos tantùm cudisse videtur.

V.

CAESAR. Caput Romæ galeatum : in averſa parte L. IVLI. L. F. Venus in curru à duobus alatis amoribus vecta, d. haſtam divinitatis, ſ. habenas equorum.

Ut Sexti Julii Cæſaris ſtirpi finem imponamus, Lucium ejus pronepotem & ſuperioris filium producimus. Hic ſe Lucii filium inſcribit: in averſa parte currum Veneris, ex qua originem trahere ſe gloriabatur, exhibet; illa per aëra vehitur, à duobus alatis Cupidinibus tracta, de quibus inquit *Ovidius:*

Alma fave, dixi, geminorum mater amorum.

An verò cithara in imo, ſit Apollinis ſignum, nihil enim fruſtra in denariis ſignatur, vel ad Apollinares Ludos, quos in Prætura ediderit, deſignandos? Nihil autem de illius Magiſtratibus, per quos pervenerit ad Conſulatum cum C. Marcio Figulo an $^{689.}_{90}$ in *Hiſtoria Romana* ſupereſt.

VI.

SEX. IVL. C. F. SEX. N. CAESAR. Caput Cybeles ceu Matris Magnæ, turribus & velo ornatum: in averſa parte Ara, ad cujus imum hinc & inde aquila, laurea hæc omnia continet

A Sexto etiam Julio Cæſare, C. Julii Dictatoris proavi fratre, originem trahit hic Sextus, cujus denarium proferimus, ut ejus habet *Inſcriptio.* Sex. Julium reliquit Flaminem Quirinalem, ex quo natus eſt Sex. Julius, quem Dictator Syriæ præfecit. Sed ut ad noſtrum revertamur, Quæſturam Provincialem accepit an. $^{648.}_{9}$ Ædilis Curulis factus eſt an. $^{653.}_{4}$ quo denarius ex anteriore parte per Cybeles ſeu Matris Magnæ caput, illum Megaleſia exhibuiſſe nos edocet, quæ huic deæ erant dicata, ſic dicta à Græcis, quod ex libris Sibyllinis, ab Attalo Rege Pergami, Peſſinunte, ubi Megaleſion, templum Cybeles, unde advecta Romam, de quibus ait *Cicero.* Quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio ,, noſtri majores ante templum, in ipſo conſpectu Matris Magnæ, ,, Megalenſibus fieri, celebrarique voluerunt. Illi erant Scenici, & menſe Aprili celebrabantur.

Pars

Pars aversa denarii, per aram cum binis aquilis, Sex. Julium etiam Ludos Jovi Opt. Max. Romanos edidisse indicat. Illa erat ara supra quam sacra fiebant; aquilæ Jovis alites id denotant; illi in honorem Jovis, Junonis & Minervæ fiebant mense Septembri: primùm erant Circenses, deinde etiam Scenici fuerunt.

VII.

CAESAR. Elephas, ante quem draco dimidius: in aversa parte, capeduncula, aspergillum, securis, albogalerus seu apex.

VIII.

Alter similis typus à Trajano Imperatore restitutus.

Sex. Julius Trib. militum an. $^{572.}_{3}$ & Legatus an. $^{584.}_{5}$ duos reliquit filios, Caium nempe Dictatoris proavum, & Sextum natu minorem: at quùm nullos majoris & ejus posteritatis denarios usque ad Dictatorem reperimus, Sextum & illius posteros præmisimus, nunc adductis Julii Cæsaris, qui primus monarchiam Romanæ Reip. invexit, quorum hic geminus scenam aperit.

Diverso modo Elephantis typus in Dictatoris denario explicatur. *Alii* ad illius cognominis memoriam, *Spartianum* & *Servium* sequuti, revocant, & avum ejus in Africa Elephantem, qui Punica lingua *Cæsar* dictus est, occidisse memorant, unde illi cognomen inditum; & id confirmare contendunt, quod Trajanus Imp. ideò denarium restituisse voluerit, sed frustra; & *Spartianus*, *Serviusque* infimæ sunt autoritatis; nam Sex. Julius Prætor an. $^{545.}_{6}$ bello Punico secundo, jam *Cæsar* apud *Livium* appellabatur, unde ab eo, illius posteri illud semper tulere.

Alii denarium putant signatum, in Elephantorum certaminis spectaculi memoriam, quod Dictator, ex Hispania contra Pompeii liberos Victor, Romam reversus, P. Romano dedit, *Paterculi* autoritate freti. *Alii* denique ob victoriam in Africa, de Scipione & Juba Rege relatam (Africæ autem Elephas est symbolum, ut plurimi demonstrant denarii,) in iis expressum existimant, quorum sententiæ lubenter accedimus.

Super-

Supereſt ut dicamus ſerpentem eſſe in denario adjectum, ad indicandum immanis beſtiæ, pro ea occidenda illius induſtriam, quam *Lector* videre poterit apud *Ælianum*, *de Animalibus*, *lib.* 6. *cap.* 21. Capeduncula, aſperſorium, ſecuris, & apex inſtrumenta ſunt ſacrificiorum, de quibus ſparſim diximus, ad Pontificatum Maximum Julii Cæſaris ſpectantia.

IX.

Caput Veneris: in averſa parte CAESAR. Æneas nudus gradiens, d. Palladium, ſ. brachio patrem Anchiſem gerit.

X.

Alter ſimilis Typus à Trajano Imperatore reſtitutus.

Hi duo denarii, alter à Dictatore percuſſus, alter à Trajano Principe reſtitutus, haud dubie originem Juliæ gentis indicant: ſiquidem ab anteriore utriuſque parte caput Veneris exhibetur, & in altera Anchiſes ab Ænea filio humeris geſtatur: Æneas autem Iulum ex Creuſa genuit, unde nomen & originem ſe trahere jactabant Julii: illi Reges Albæ regnarunt, ex qua civitate per Tullum Hoſtilium Regem, ipſa diruta, Julii Romam ſunt tranſlati, & à Rege in patres cooptati; ſed ſero ad Magiſtratus emerſerunt, atque inter Patricios majorum gentium ferè poſtremi.

Æneas Anchiſem gerit, pius in patrem ſenio confectum humeris impoſuit, manu ducens Iulum, & Creuſa illos ſequuta eſt Troia diruta; & quo ſe reciperent, diù quæſivit Æneas, tandem in Italiam pervenit, ſecum Penates afferens. Porro Palladium, id eſt, Minervæ ſignum ille dextra geſtat. *Herodianus*, *lib.* 1. illud Romæ in ædibus Veſtæ aſſervatum narrat, id fuit è ligno compactum, movens oculos atque haſtam, quam manu ferebat, ut ſcribit *Servius*.

De Capeduncula, & aliis ad Pontificatum Maximum Dictatoris ſpectantibus inſtrumentis, ſupra dictum eſt; hic tantùm adjicimus denarium à Traiano Imp. reſtitutum, cum hoc typo inter rariores collocandum.

XI.

Caput Veneris: in averſa parte CAESAR. IMP. Trophæum, in cujus parte dextra ſunt ſpicula, à ſiniſtra clypeus; in imo hinc & inde clypei, litui militares & baculus cum capite aſinino.

Cæſar, antequam ipſi conceſſum fuiſſet nummos cum imagine ſua ſignare, Veneris caput ut originem ex illa ſe ducere perſuaderet, in iis cudere ſolebat. Hic verò in Hiſpania percuſſus videtur, poſtquam, ut tradit *Plutarchus in ejus vita*, Gallæcos & Luſitanos bello domuiſſet; ac progreſſus uſque ad Oceanum, gentes ante non pacatas Imperio Romano ſubegit, ubi trophæum extruxit, &, ut addit idem auctor, tum impletis præda,, militibus, Imperator eſt ab illis appellatus, quem titulum in denariis præfert.

XII.

Caput Veneris, pone cujus collum Cupido medio corpore; ex averſa parte trophæum, hinc & inde clypei & baculi cum capite aſinino; ad cujus imum hinc mulier mœſta flens, & inde barbarus, manibus poſt terga revinctis: in imo CAESAR.

XIII.

Caput Junonis Reginæ; ante quod lituus, pone ſceptrum: in averſa parte idem ferè trophæum, ad cujus imum, hinc barbarus genuflexus, manibus poſt terga revinctis; inde mulier pariter mœſta, caput ſuſtentans: in imo CAESAR.

Idem ferè trophæi typus, & eadem vox in imo CAESAR, ut ad eandem rem, denarium nempe ad trophæume Gallis & de Germanis ſpectare exiſtimemus. Hinc Gallia ſub mulieris effigie mœſta ad trophæi imum decumbit, & Germanus in bello captus, manibus poſt terga revinctis, ad illud alligatum, victoriam Cæſaris, de Arioviſto Germanorum Rege profligato, indicare videtur; de quo *Plutarchus* inquit. Fuſos ingenti ſtrage ,, 37000. quingentos paſſus, uſque ad Rhenum inſequutus, ,, campum hunc cadaveribus & ſpoliis totum complevit. Ariovi- ,, ſtus prærepta fuga Rhenum cum paucis trajecit. Cecidiſſe di- ,,

cuntur octoginta millia. Quo in loco videtur erectum trophæum. „

De Venere & ejus filio Cupidine in priore denario sæpiùs dictum est, in posteriore verò sceptrum pone caput, ad Junonem Monetam spectat, quam Cæsar illam esse, quæ monetæ dea haberetur, denotare voluit. Lituus Julii Cæsaris Pontificatum Maximum indicat.

XIV.

Caput Veneris IMP. ITER. ex aversa parte C. CAESAR. C. F. trophæum, cui hinc duo spicula, inde clypeus oblongus; ad imum duo rotæ fragmenta, hinc currus cum instrumento ferreo in serræ modum, inde Rex stans cum chlamyde, manibus post terga revinctis.

Cæsar in hoc denario Imperator iterum appellatur, quem titulum in Gallia accepisse videtur, siquidem ex *Plutarcho*, ut supra diximus, illum in Hispania obtinuit. Rex ille chlamyde ornatus, Vercingentorix est, Celtibri filius Arvernus, summæ potentiæ adolescens, qui, ut narrat ipse *Cæsar*, 7. *lib. Bel. Gall.* Rex à suis appellatur, & ad quem à multis aliis Gallis defertur imperium. Hic tandem post Alexiæ deditionem, ipse deditur, & in custodiam à Cæsare datus, ad triumphum reservatus: quare prope trophæum, manibus post terga revinctis, in denario expressus est; & inde machina tormentaria ferrea Gallorum singularis, quod illi plurimas ex ferro fodinas, unde arma quælibet fabricabant, haberent, ut ex *add. lib.* colligitur; nam & laqueis falces avertebant, quas quùm destinaverant, tormentis introrsus reducebant, & aggerem cuniculis subtrahebant; eò scientius, quod apud eos magnæ sunt ferrariæ.

XV.

Caput Pietatis, corona quercea ornatum, pone quod II. T. ex aversa parte Trophæum, ad cujus latus dextrum, clypeus oblongus, ad sinistrum baculus cum capite asinino, aliis lituus militaris juxta quem securis: per transversum CAESAR.

XVI.

Caput idem Pietatis quercea corona ornatum, & litteræ II. T. in aversa

aversa parte idem trophæum cum barbaro, manibus post terga revinctis, humi desidente ad illud.

Ut Cæsaris trophæa absolvamus, alios de Pharnacis trophæis typos proferimus; diversi sunt ab aliis; vox autem CAESAR per transversum in iis, & litteræ II. T. ut illi attribuamus, impellunt: si præsertim audiamus *Dionem*, qui illorum explanationem nobis indicat in *Pharnace lib.* 42. *pag.* 207. Ea victoria, quamvis non „ splendidissima, Cæsar magnopere sese jactavit, ut nulla alia „ magis, quod eadem die, & pervenisset ad hostem, & vi- „ disset eum, & vicisset. Manubias omnes, quamvis plurimæ, „ militibus donavit: quùmque trophæum eo in loco Mithridates de Triario statuisset, quia id consecratum belli diis evertere fas non erat, ipse de Phraate suum opposuit; atque ita Mithridaticum obscuravit, quodamque modo dejecit.

Trophæum igitur, ex *Dione*, Cæsar erexit, ubi Pharnacem vicit, & quia fas non erat, primum de Triario à Mithridate statutum tollere: ideo in denariis apposuit II T. quod interpretamur *secundum trophæum*; nemo nescit II. à *Manutio, Scaligero* & *aliis* exponi *secundus* & *secundum*; at quùm in hoc loco Mithridates, pater Pharnacis, unum erexerat trophæum, de Triario Cæsaris duce, Cæsar secundum de Pharnace Mithridatis filio, constituit. Ille Pietatis caput in anteriore parte exhibuit, quod hoc monumento pius in milites prælio superiore occisos, videri vellet; quapropter manubias post hoc, ut consolaretur suos de illorum morte, iis concessit, & quia civibus paucis vel nullis amissis victoriam retulerat, ideo in altero Pietas quercea corona est ornata. Securis ad sacrificia instrumentum, Pontificatum Maximum Cæsaris indicat.

Hic denarius nihil differt à superiore, quod barbarus, hirto capillo, manibus post terga revinctis, ad trophæum imum humi sedet, ut moris est; & quod desit in eo securis, Pontificis Maximi Cæsaris signum.

XVII.

Caput Vestæ velatum; pone quod Capeduncula, & litteræ II T. ex adverso latere trophæum, ad cujus d. latus parma rotunda, & ad s. gladius latissimus, hinc corona quercea, & inde clypeus oblongus.

Trophæum illud à ſuperioribus, etſi paulò diverſum, tamen ad Pharnacem reſpicit, & arma, quibus utebantur Ponticæ gentes; additæ ſunt in eo litteræ II. T. ſecundum trophæum de illo, quùm primum de Triario Cæſaris duce, in eodem loco eſſet ſtatutum; ut ex *Dione* obſervavimus. Corona quercea, qua cinctum eſt, in ſuperiore denario, Pietas ob Cives ſervatos, in hoc Cæſari ob rem eandem tribuitur. Caput velatum, primo intuitu Pietatis etiam eſſe, ut ſæpius effingitur, exiſtimabamus; ſed Capeduncula, Veſtæ ſymbolum, ut videre eſt in gente Caſſia, illam imaginem mox detexit. Hæc in Cæſaris denariis exhibetur, ad indicandum ejus Pontificatum Maximum, quod Veſtales eſſent illi Sacerdotio primario ſubjectæ; ſeu quod Æneas, à quo originem trahere ſe jactabat, Veſtæ ſacra Albam attulerit, unde Julia gens Romam venerat.

XVIII.

C. CAESAR. IMP. COS. ITER. Caput Veneris: in averſa parte A. ALLIENVS PROCOS. Mulier nuda, pede d. proræ impoſito, d. triquetram, ſ. demiſſa ſupra crura, ſtrophio involuta.

De Allieno Siciliæ Procos. in ejus gente, quùm hunc denarium protulimus, mentionem fecimus; nobis de Cæſare hoc loco dicendum. Ille Imperator & Conſul iterum perhibetur. Imperator quidem excellentia & dignitate, non autem ordine: nam Tertiùm ſaltem appellatus fuerat, quùm Allienus denarium percuſſit, quando Cæſar in Siciliam profectus eſt, in Africam contra Scipionem & alios partium Pompeianarum fautores bellum geſturus; quo tempore Cos. iterum adhuc erat, & Conſulatum illum cum Servilio Vatia ſuſceperat an. V. C. 705/6 tertium autem, poſtquam ex Africa rediiſſet, iniit an. 707/8

XIX.

COS. TER. DICT. ITER. Caput Cereris, corona ex ſpicis ornata: in averſa parte AVGVR. PONT. MAX. Capeduncula, aſperſorium, urceus & lituus.

Hic nummus Conſulatum Tertium Cæſaris conjungit cum ejus Dictatura ſecunda. *Pighius* ex hoc denario colligit Dictaturam tertiam poſt tertium Conſulatum, (ut & inquit, *Capitolini*

Faſti

Fasti volunt,) à Cæſare geſtam fuiſſe, aliamque *Dionis* opinionem putat, quùm dicat ille, *lib.* 43. Sequenti anno Dictatu- „ ram Conſulatumque, tertiò utrumque Magiſtratum, Collega in utroque Lepido, geſſit. Vera loquuntur nummi, ſed explanandus eſt *Dio.* Cæſar Dictaturam ſecundam inierat, quando tertium Conſulatum initio anni ſuſcepit, & poſt aliquot menſes ejuſdem anni, devictis in Africa Pompeianis, Senatus, ex eodem *Dione*, Dictatorem eum in decennium deinceps conſtituit, & tertiam inchoavit, ſicque in eodem anno poſtea Dictaturam Conſulatumque tertiò, ſecundùm *Dionem*, geſſit: nam Dictatura non eodem die quo Conſulatus ſuſcipiebatur: ut autem Cæſar in Conſulatu Lepidum aſſumpſit, eum etiam in Dictatura Magiſtrum Equitum dixit.

Denarius Augurem & Pontificem appellat, & eorum inſtrumenta Pontificalia exhibet, Capedunculam, aſperſorium, urceum, & lituum, Auguris præcipuum ſymbolum; ſed illius omnes dignitates Sacerdotales nominat: nam ex Augure factus eſt Pontifex Maximus. Oportebat illum ex Sacerdotum dignitate eſſe, ut à Collegio cooptari poſſet, ſed quùm Cn. Domitius Ahenobarbus Trib. Plebis Pontificibus offenſior, quod alium quam ſe in locum patris ſui cooptaſſent, Lege lata, jus Sacerdotum ſubrogandorum à Collegiis ad Populum tranſtulit; ideo Cæſar Populo carus Q. Catulo & P. Iſaurico prælatus eſt an. 690.

Fulvius ſuſpicatur Cererem in denario expreſſam eſſe, quod ex Africa, ſed & Sicilia frumentum collegerat, ut populo diſtribueret, ejus gratias aucupandi cauſa; fretus hoc *Dionis* loco. Ad hunc modum peracto triumpho magnificum Populo dedit epulum, addito extra ordinem frumento oleoque, ut ex alio *Plutarchi*, cui lubens aſſentimur.

XX.

C. CAESAR. COS. TER. Caput Pietatis velatum: in averſa parte A. HIRTIVS. PR. Lituus, urceus & ſecuris.

Jam hunc denarium in gente Hirtia, quam adire poteſt *Lector*, protulimus: ubi A. Hirtium Prætorem Urbanum in tertio Cæſaris Conſulatu cum Lepido, illum in hujus honorem cudiſſe ſub Pietatis effigie velata, diximus. De lituo, urceo, & ſecuri, Sacerdo-

tiorum, Auguris, & Pontificatus Maximi ſymbolis nimis obviis, ſat dictum eſt.

XXI.

CAESAR. P. M. DIC. TER. Caput Julii laureatum & velatum : in averſa parte. M. LEPIDVS IMP. Caput Æmilii Lepidi nudum.

Dio narrat, *lib.* 44. inter honores Cæſari decretos, ut ejus imago in monetis, quod nulli hactenus fuerat conceſſum, cuderetur his verbis : ipſius imagine pecuniam ſignaverunt. Hic autem denarius, ut & ſequentes, hunc honorem illi fuiſſe decretum, poſtquam ex Africa Victor rediit, quùm illi Dictatura in decennium, quæ tertia erat, data fuit. M. Lepidus, ab illo Magiſter Equitum creatus, primus in ejus honorem ſignavit denarios, in quibus illum laurea inſignem, quam lubens acceperat, quod calvitie laboraret. Ejus caput velatum eſt, tamquam Pontifex Maximus. Ipſe verò Lepidus ſe Imperatorem appellat, quem titulum in Hiſpania Citeriore obtinuerat, qua de re triumphum egerat an $^{706}_{7}$ ut videre eſt in *Faſtis Capitolinis*.

XXII.

CAESAR DIC. TER. Caput Victoriæ pectore tenus cum alis, pone quod ſtella : in averſa parte. C. CLOVI. PRAEF. Minerva galeata gradiens, d. humero trophæum, ſ. clypeum, in quo Ægis, ſerpente eam comitante.

Cæſar tertiam Dictaturam gerebat, quùm in Hiſpaniam contra Pompeii filios proficiſci decreviſſet, quare ad Vrbis cuſtodiam Lepidum ſuum Magiſtrum Equitum reliquit, cum octo, aliis verò „ ſex Vrbis Præfectis, ut refert *Dio*, *lib.* 43. Sed poſtquam „ Pompeii vires augeri, ſuos ad bellum ei faciendum non ſuffi- „ cere animadvertit, ipſe, Romæ cuſtodia Lepido, octoque ut „ nonnullis videtur, vel quod magis creditum eſt, ſex Vrbis Præ- „ fectis injuncta, in Hiſpaniam expeditionem ſuſcepit.

Hic nummus, cum epigraphe PRAEF*ectus*, Clovium ex illis Præfectis unum à Cæſare conſtitutum (quos *Dio* non recenſet,) fuiſſe nos edocet, de quo dictum eſt in gente Clovia. Victoria in

in anteriore nummi parte, victoriam de Pompeii filiis denotat; qua mox relata, nummum Clovius percussit; & in posteriore parte Minervam belli præsidem expressit, ut ea duce & trophæa ferente, victoriam ubique referret, & trophæum erigeret: additur comes serpens, tamquam Victoriæ symbolum; astrum, pone caput Victoriæ, ad stellam Veneris spectare videtur.

XXIII.

C. CAES. DIC. TER. Caput idem Victoriæ, pectore tenus cum alis: in aversa parte L. PLANC. PR. VRB. Urceus.

En alterum Urbis Præfectum à Cæsare in Hispaniam proficiscente constitutum L. Plancum, ex Munatia; de quo in illa dicturi sumus, licèt jam in Antonia aliquid protulerimus. Victoriæ effigiem, ut supra Clovius expressit, hic Plancus etiam signavit, ille verò in ære, Plancus in argento; eam diximus, quam Cæsar in Hispania de Pompeii filiis retulit: nec te turbet Dictatoris tertio titulus cum victoria Cæsaris Hispaniensi, quam retulit initio anni 708/9: nam, ut refert *Dio*, coactus est hieme bellum gerere, & à Lepido, ut Equitum Magistro, Populo convocato, Cæsar Consul quartum fuit creatus; sed Dictaturam tertiam nondum adhuc terminaverat; nam eam tantùm receperat, Romæ redux post victoriam Africanam, sed ut eam non depositurus erat, ipsi in decennium decreta est; annua quidem erat, & quotannis à die quo eam quis ceperat, numerabatur, quùm esset Magistratus non ordinarius, sed extra ordinem creatus; quare *Dio* hoc loco inquit, quibus rebus Cæsar, (eo autem tempore Dictaturam ,, gerebat,) & sub exitum anni Consul creatus fuit, eumque titu- ,, lum sibi Consul, contra Majorum instituta, sumpserat. Nam ,, ante eum neque Consul & Dictator simul fuerat. Urceus ad Pontificatum Maximum Cæsaris spectat.

XXIV.

CAESAR IMP. QVART. Caput Cæsaris laureatum, ante quod lituus: in aversa parte AVGVR. PONT. MAX. COS. QVAR. DIC. QVAR. in area.

Hic denarius omnes titulos & dignitates Cæsaris exhibet; primò Imperator quartum perhibetur, nam ex Hispania Proprætore,

apud *Plutarchum*, prima vice Imperator appellatus eſt; quare ad Urbem profectus triumphum poſtulare volebat, ſed quùm abſentis ratio non haberetur, triumpho Conſulatum præferens, Romam ingreſſus, eum obtinuit. Iterum Imperator in Gallia, ex qua triumphavit, appellatus eſt: ex pugna Pharſalica hunc titulum non habuit; nec ex Ægypto retulit, quùm acie non dimicavit, ſed tertio dictus eſt Victor de Pharnace, ubi trophæum poſuit, & tandem quartum in Africa obtinuit, contra Jubam Numidiæ Regem, de quo triumphum egit an. $\frac{707}{8}$. in Hiſpania erat initio anni $\frac{708}{9}$. quo Conſul quartum ſine Collega fuit, & Dictaturam poſtea quartam ſuſcepit; Augur etiam renunciatur, quod Sacerdotium, antequam Pontificatum Maximum obtinuiſſet, haberet; ut ſupra dictum eſt.

XXV.

CAES. DIC. QVAR. Caput Veneris: in averſa parte COS. QVINT. in laurea.

Hic aureus denarius controverſiam omnem dirimit, dum Dictaturas quartam cum Conſulatu quintum conjungit: nam apertè Dictatura Cæſaris non fuit ab eo ſuſcepta, eo die quo Conſulatum accipi ſolet; & noſtram confirmat ſententiam de Dictatura ejus tertia, quæ illi decreta eſt quùm Romam ex Africa victor rediit; & tunc illam iniiſſe diximus ita ut annus Dictaturæ quartæ non eſſet terminatus, quando Conſulatum quintum ſuſcepit, quùm hic Magiſtratus eſſet ordinarius, & primo Januarii die gereretur, & Dictatura Magiſtratus eſſet extra ordinem, qui inchoabat illo die quo creabatur, qui illo honore dignus cenſebatur: & ſic *Suetonius*, *Plutarchus*, & *Dio* ſunt de his intelligendi.

Caput Veneris in Cæſaris honorem erat expreſſum, quùm ille ſe ab ea originem ducere gloriabatur; & addit *Dio*, *lib.* 44. om„ nino vero Venerem totus colebat, à qua ſe etiam formæ quan„ dam venuſtatem habere, perſuadere omnibus nitebatur. Corona ex lauro, in memoriam illius, quæ à Senatu, die quo Conſulatum inibat, proferebatur.

XXVI.

XXVI.

CAESAR AVGVR. IMP. SEXT. COS. QVINT. Caput Cæſaris laureatum, pone quod lituus: in averſa parte PONT. MAX. DIC. PERP. Sella Curulis, ſupra quam corona; hinc & inde ſecuris.

Cæſar in hoc denario renunciatur Augur. Pontifex quidem fuerat ante Pontificatum Maximum adeptum, & *Dio, lib.* 42. narrat poſt ejus reditum ex Ægypto & Aſia, Augurum Collegio adſcribi voluit, uti ceteris quoque Collegiis, & ut quanti hoc Collegium faceret indicaret, in nummis ſe Augurem nominavit, & ſæpe lituum ejus Sacerdotii ſymbolum denariis adjecit.

In penultimo Cæſaris denario, titulum Imperatoris quartum, cum Conſulatu quarto & Dictatura quarta conjunctum vidimus; nam an. 708/9 Conſulatum ille quartum iniit, & ab eo die Imperator V. ob Hiſpanienſem victoriam appellatus eſt: ſed quandonam ſextùm vocatus eſt ſilent *Autores*. Porro non modo hic denarius, ſed plurimi alii proferuntur à *Mediobarbo*, cum titulo IMP. SEX. in *Faſtis* autem *Capitolinis* ejus Ovatio recenſetur an. 709/10 VII. Kal. Februarii.

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR. VI. DICT. IV. OVANS. A. DCCIX. DCCX. *Varr.* EX. MONTE. ALBANO. VII. K. FEBR.

Vox VI. de Imperatoris titulo intelligenda, qua occaſione eum tulit: ſed qua de cauſa hæc Ovatio apud *Autores* non reperitur. Si mihi conjicere liceat, ad montem Albanum pro feriis Latinis concipiendis profectus erat, in Parthos bellum illaturus ne ipſi malè cederet: nam ante expeditionem Conſules illas indicare ſolebant ita; utque feriis Imperator VI. ſalutatus forſan fuerat, ideo tradit *Dio* inter honores ei decretos, *ut ipſe feriis Latinis peractis ex Albano in Urbem curru veheretur*, tanquam jam de Parthis victor, ut prius decreverant de Juba triumphum, quùm ne quidem bellum Africanum futurum ſciret. Sella Curulis inter duas ſecures, cum corona deſuper, denotat ejus Dictaturam perpetuam: nam Sella ut erat Conſulum inſigne, ſic Dictatoris, cui aliquanto plus autoritatis & poteſtatis erat; ſed ut Conſuli duodecim, Dictatori viginti quatuor ſecures, ad majorem ejus po-

tentiam arguendam. Corona ſuper Sellam honoris cauſa apponebatur, qua in Magiſtratus abſentia ſemper ornabatur: & forſan ea erat de qua *Dio* loquitur his verbis: Sellam tamen Cæſaris auream, coronamque gemmis ornatam Antonii metu non intulit.

XXVII.

C. CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum: in averſa parte EX S. C. Cæſar ſedens, d. ramum, coronatur à Victoria pone eum ſtante, ante verò aquila legionaria.

Hic denarius ſtatuam in Cæſaris honorem publicè ex Senatuſconſulto erectam demonſtrat, ut fert ejus Inſcriptio EX S. C. Olivæ ramum tenet Cæſar, ad pacem, omnibus bellis Civilibus confectis, reſtitutam demonſtrandam; Victoria ei lauream imponit, tanquam perpetuo Victori; Aquila legionaria ante ſtatuam collocata eſt, ut ſummum belli imperium penes eum eſſe arguerent, nam decreverant, ne quis militiæ imperium cum Cæſare haberet, teſte *Dione*, qui de ejus ſtatuis ſic loquitur *lib.* 44. „ Utque in „ omnibus urbibus, omnibuſque Romæ templis ejus ſtatua „ poneretur: in ipſis roſtris duas ei ſtatuas collocarunt, civica „ unam, alteram obſidionali corona inſignem: quaſi & Cives „ ab interitu, & Urbem obſidione liberaſſet. Inſuper Concordiæ „ novæ templum ædificari, annuumque ibi feſtum celebrari „ juſſerunt, quod Cæſar ipſis pacem reſtituiſſet. Et *alio loco* ad- „ ditum eſt, ut Sella aurata uteretur; ſtatuaque ei poſita „ eſt, qualis Regibus quondam. De ejus Dictaturis ſic ait ipſe *Dio*, „ Poſt pugnam Pharſalicam, ut Dictator non ad ſeme- „ ſtre tantum ſpatium, (nam id ſolebat,) ſed in integrum annum „ diceretur. Cæſar quamvis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam „ accepit. Quod intelligendum de ſecunda: nam prima ei abſenti, Comitiorum habendorum cauſa, Lege à Plebe lata, fuerat data, qua ſe abdicaverat ad invidiam levandam; poſt verò victoriam Africanam, Dictaturam ei in decennium decreverunt; quare in denariis tertia & quarta numeratur, ſed *Plutarchus in ejus vita* inquit, „ Ad Cæſaris fortunam inclinantes Romani frænumque accipientes, atque à bellis inteſtinis arbitrantes dominatus reſpirationem, Dictatorem perpetuum eum dicunt. Erat vera ea tyrannis, quùm ad poteſtatem abſolutam acceſſiſſet perpetuitas.

XXVIII.

XXVIII.

Caput Cæſaris laureatum, pone quod lituus: in averſa parte AEGYPTO CAPTA. Crocodilus.

Qui hunc denarium aureum cudit, memoriam Ægypti à Julio Cæſare devictæ, an. 706/7 renovare voluit: illum autem cum aliis triumphis egit, & quidem ordine ſecundo, ut narrat *Dio*, *lib.* 42. Quatuor, inquit, continuis diebus de Gallis, Ægypto, „ Pharnace, & Juba ſingulos triumphos duxit. Crocodilus pro „ Ægypti ſymbolo adhibetur, quod hoc animal quadrupes, ex ge- „ nere amphibiorum, ſoli Ægypto, & iis regionibus quæ Nilo „ alluuntur, familiare ſit. Ex eo dictum autumant, quod κρόκον δειλιᾷ, id eſt, *crocum fugit*, ac ejus odorem reformidat. Similis typus in Auguſti nummis, cum eadem epigraphe, ex argento obvius occurrit; unde conjicit *Amicus*, in ejus memoriam pariter ab illo fuiſſe percuſſum; quùm nec Triumviri Monetalis, nec alterius cujuſdam Magiſtratus nomen in hoc denario reperiatur. Lituus Auguris ſymbolum, quod Sacerdotium obtinuit Cæſar, ut ejus frequentes denarii nos edocent.

XXIX.

CAESAR IMP. Caput Cæſaris laureatum: in averſa parte L. AIMILIVS BVCA. IIII. VIR. Duæ dexteræ junctæ.

Cæſar inter honores ſibi decretos, quùm accepiſſet ut pecunia cum imagine ſua percuteretur, ad illos, qui ſub eo militaverant, aliquo modo remunerandos, Magiſtratuum numerum auxit, de quo *Suetonius*, *in ejus vita*: Senatum, inquit, ſupplevit, Patricios allegit, Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam Magiſtratuum numerum ampliavit. Sub minoribus Magiſtratibus intelligendi ſunt Triumviri Monetales, quos ex trium numero ad quatuor auxit, ut nos ejus denarii edocent; inter quos L. Æmilius Buca reperitur, filius illius qui ſub Sulla Quæſtor fuerat. Duæ dexteræ, ob Senatum à Cæſare ſuppletum, expreſſæ ſunt, ad indicandam ideo cum illo concordiam, ut in nummis Balbini CONCORDIA AVG.

Imperator, ſine numeri additione, appellatur Cæſar, ut narrat *Dio*, *lib.* 44. Imperatoris quoque nomen: non antiqua tantùm „ pro conſuetudine, qua id cùm alii, tum ipſe quoque ſæpius ex „ bello reportaverant, neque ea ratione, quod ei merum Imperium „ abſo-

absolutamque potestatem deferrent, Cæsari tribuerunt; sed eo modo quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tamquam ipsi proprium.

XXX.

CAESAR IM. P. M. Caput Cæsaris laureatum, pone quod crescens Luna: in aversa parte Venus Genitrix tunicata stans, d. Victoriam, s. hastam puram. L. BVCA.

Luna bicornis ad Lunæ seu anni correctionem, ab ipso an. 707.
„ factam, spectat; teste eodem *Dione, lib.* 43. Jam, inquit, quum
„ annorum dies invicem sibi non satis congruerent (eo enim
„ tempore etiamnum Lunæ revolutionibus menses æstimabant,)
„ annum Cæsar ad eum, qui hodieque observatur, modum con-
„ stituit, intercalatis septem ac sexaginta, (quamvis alii falsò plu-
„ res perhibuerint) qui ad summam exactam requirebantur, diebus. De Pontificatu ejus abundè dictum est. De titulo IMP. id est, Imperatoris, supra egimus, ut de Pontifice Max. De Venere in sequente denario dicetur.

XXXI.

CAESAR. DICT. PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum: in aversa parte, Venus ut supra Victrix stans, d. victoriam utraque lauream gerentem, s. hastam puram, L. BVCA.

Idem L. Æmilius Buca Quatuorvir Monetalis, licet solo prænomine & cognomine utatur, eandem Venerem Victricem exhibet. Venus autem, antequam Cæsaris cum ejus imagine denarii cuderentur, sæpe cum capite in anteriore eorum parte, sed postea stans aut sedens, in averso illorum latere, exhibetur; seu ob cultum, quo illam prosequebatur, seu ad originem illius ab ea demonstrandam: nam ubi primum ex Africa Victor rediit, forum & Veneris templum quod construxerat, teste *Dione*, consecravit, ut tradit, *lib.* 43. Forum verò & templum Veneris (quam sui generis autorem ferebat) à se condita Cæsar statim tunc consecravit.

De Dictatura ejus perpetua, vide quæ supra, ex *Plutarcho* diximus. De Victrice Veneris cognomine, vide in sequente denario.

XXXII.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput idem laureatum: in aversa parte L. BVCA. Venus Victrix sedens, d. Victoriam, s. hastam transversam.

L. Buca

L. Buca, ut Cæſari adularetur, ſæpe Venerem in denariis exhibet. Venus autem, quam dextra gerit Victoriam, illam cognomine Victricem deſignare deberet; ſed Veneris Victricis templum, quùm eſſet in theatro Pompeii, ideo ille eam colebat, ut refert *Plutarchus, in ejus vita*, & Cæſar Genitricem venerabatur. Nocte, inquit, viſum „ Pompeio eſt in ſomnis theatrum ingreſſo ſibi populum plaudere, „ templumque ſe Veneris Victricis multis ſpoliis exornare. Hæc „ viſio partim erexit eum, partim ſolicitavit nonnihil metuentem, „ ne Cæſaris Familiæ Venerem contingenti accederet ab ſe decus & „ claritas. Itaque à victoria Pharſalica relata Venus Victrix victoriam Veneri Genitrici accommodaſſe. Sedet verò illa confectis Civilibus omnibus bellis, haſtam tranſverſam ut quieſcens tenet.

XXXIII.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum: in averſa parte, L. BVCA. in vertice globus, in medio dextræ junctæ, caduceus, faſces; in imo ſecuris.

XXXIV.

Alter cum capite Dictatoris, ſine epigraphe, & idem typus, in averſa parte.

Hic denarius omnia in Romani Imperii rectore optata continet. Globus imperium Cæſari delatum deſignat, ut inquit, *Dio, lib.*43. Ipſe quoque ſuper imaginem orbis terrarum poſitus ex ære ſtatueretur. Per dexteras junctas Senatus cum Cæſare concordiam, per caduceum pacem; de quibus *idem Dio*, inſuper Concordiæ novæ templum „ ædificari, annuumque ibi feſtum celebrari juſſerunt, quod Cæ- „ ſar ipſis pacem reſtituiſſet, confectis omnibus bellis Civilibus. Per faſces, Juſtitiam, teſte *eodem Dione, ibidem.* Leges præterea mul- „ tæ ab eo ſancitæ ſunt, ex quibus paucas memoratu dignas recitabo. „ Denique per ſecurim, Religionis cultum denotat, ille enim Pontifex Maximus erat, & ſacrorum curam habuit ſingularem.

XXXV.

Caput Julii Cæſaris laureatum: in averſa parte L. FLAMINIVS. IIII. VIR. Mulier ſtolata ſtans, d. caduceum, ſ. haſtam puram.

Quatuorviros Monetales, qui nummos Cæſari viventi percuſſerunt, hic ordine gentis ſuæ alphabetico recenſemus; jam verò de L.

Flaminio cognomine Chilone ſuo loco egimus, & ille quidem in denariis ſe primum Cæſari eos flaviſſe ſcribit. Ipſe Felicitatis deæ ſimulacrum exhibuit, quod templum Felicitatis in loco Hoſtiliæ Curiæ denuò deſtructæ, in ejus memoriam condi juſſerat Senatus, teſte *Dione lib.* 44. & pro Hoſtilia Curia, ut Cæſar novam Curiam extrueret. Felicitas pro ſymbolo caduceum pacis inſigne gerit: nam poſt tot bella civilia, Romæ Felicitas, haud dubie exiſtimabatur.

XXXVI.

C. CAESAR DICTATOR. Caput Cæſaris laureatum, pone quod lituus. Denarius aureus *Goltzii.*

XXXVII.

Caput Cæſaris laureatum, pone quod lauri ramus, ante illud verò caduceus. Denarius argenteus: in averſa utriuſque L. LIVIÑEIVS REGVLVS. Taurus cornupeta.

L. Livineius Regulus, qui hunc denarium cudit, videtur fuiſſe pater L. Livineii Reguli, quem in gente Livineia Cæſari juniori Triumviro Reip. conſtituendæ nummos ſignaſſe videbimus; inter eos quidam cum patris effigie exhibentur, quia illum Præfectum Urbis an. 707. dum Dictator in Hiſpaniam, contra Pompeii filios bellum geſturus, profectus eſt, & anno ſequente, ut videtur, Prætorem Urbanum extitiſſe demonſtrant; in quo Magiſtratu ultimo hunc cum Dictatoris effigie percuſſiſſe veriſimile eſt. Taurus cornupeta exhibetur, quod illum Cæſar primùm edidit in ſpectaculum, *Plinio* teſte, *lib.* 8. *cap.* 45. Nam *Dio* plurima, quæ Cæſar in Foro ſuo & alibi
„ ſpectanda dedit, narrat *lib.* 43. Multaque, ait, ibidem & varia ſpe-
„ ctacula edidit; Theatrum quoque ad venationem aptum ædifica-
„ vit, quod Amphitheatrum cognominatum eſt. Deinde in ho-
„ norem filiæ ſuæ venationes, Ludoſque gladiatorios exhibuit &c.
Livineius ut Prætor aliquorum curam habuit.

XXXVIII.

CAESAR PARENS PATRIAE Caput Cæſaris laureatum & velatum, ante quod lituus, & albogalerus: in averſa parte C. COSSVTIVS MARIDIANVS A.A.A.F.F. in area.

C. Coſſutium Maridianum, unum è Quatuorviris Monetalibus à Cæſare conſtitutis fuiſſe, nos edocet hic denarius, qui illum *Auro, Argento, & Ære flando feriundo* eos ſignare denotat. De

illo

illo in gente Coſſutia diximus: Cæſar autem nuncupatur PARENS PATRIAE, quam appellationem, quod ei nomen à Senatu conceſſum narrat *Dio, lib.* 44. Ad hæc, inquit, nomen *patris patriæ*, ei compoſuerunt. Velo ornatus eſt, ut Pontifex Maximus, cujus albogalerus inſigne eſt; ut lituus, quia Augur etiam erat. M. autem Antonius velato capite in denariis etiam occurrit, ut Augur, qui velato etiam capite ſacra faciebant. Pontificis Maximi domus erat publica in ſacra via, quam habitaſſe Cæſarem *Suetonius* narrat, in *ejus vita, cap.* 45.

XXXIX.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum, & velatum: in averſa parte. C. MARIDIANVS. Venus Genitrix, tunicata ſtans, d. victoriam, ſ. brachio innixo clypeo ſupra globum impoſito.

Alterum C. Coſſutii Maridiani denarium argenteum, cum epigraphe Dictatoris perpetuò, de qua ſupra egimus; ut de Venere Genitrice, ex qua ſe originem ducere gloriabatur, de quo *Manil. lib.* 1. *Aſtron.*

—— Veneriſque ab origine proles
Julia deſcendit cœlo, cœlumque replevit.

An ideo globus, tanquam ad ejus ex Venere originem ſpectans, exhibetur? ſed potius ad Imperium Romanum, hinc cognitum armis ſuis, per clypeum deſignatis, in ejus poteſtatem Veneris Genitricis, ſed tunc Victricis ope & auxilio, redactum deſignandum: quod *Petronius Arbiter* indicare videtur, his verſibus:

—— —— namque omnis regia cœli
In partes diducta ruit, primumque Dione
Cæſaris acta ſui ducit.

XL.

CAESAR DICT. QVART. Caput Cæſaris pone quod lituus: in averſa parte M. METTIVS. Juno Lanuvina, in bigis decurrentibus, d. elata haſtam.

M. Mettius, cujus denarios vide alios in gente Mettia, Quatuorvir Monetalis hunc denarium in Circenſium Ludorum, à Dictatore Cæſare editorum, memoriam, percuſſit; de quibus ita *Suetonius, in ejus vita cap.* 39. Edidit ſpectacula varii generis, „

„ munus

„ munus gladiatorium, Ludos etiam regionatim Urbe tota, &
„ quidem per omnium linguarum hiſtriones, item *Circenſes*, Athletas, Naumachiam. Ideo verò in illo bigas ſignavit, ad denotandum in iis Ludis bigarum curſus, de quibus *idem Suetonius in Do-*
„ *mitiano*, *cap.* 4. Ubi, præter ſolemnes bigarum quadriga-
„ rumque curſus, prælium duplex etiam, equeſtre ac pedeſtre, commiſit. Ad quem locum *Suetonii Commentator Lævinus Tor-*
„ *rentius*, ait, ſollennes vocat, ſine quibus Circenſes nulli pera-
„ gerentur.

Diverſo modo in ſuis denaris bigas illas expreſſit Mettius; nam in illis, qui ſine Dictatoris capite occurrunt, Victoriam bigas agentem, & læva, coronam gerentem, exhibuit. Capite Junonis Lanuvinæ in parte anteriore ſignato, ad indicandam gentis ſuæ ex illa urbe originem; ſed in iis, quibus Cæſaris effigiem præfixit, Junonem in bigis decurrentibus, haſtam ſuam vibraturam, & clypeum gerentem, ad patriæ originem ſemper arguendam, percuſſit. Soliti erant Romani in bigis & quadrigis Numina, quæ præcipuè colebant, exprimere. Vide in gente Mettia. De Junone Soſpite ſeu Lanuvina dicturi ſumus. Illa caprotina pelle caput tegebat, haſta & ſcutulo, cum calceolis repandis ornata.

XLI.

CAESAR IMP. Caput Cæſaris laureatum: in averſa parte L. MVSSIDIVS LONGVS. Cancelli Comitiorum, cum duabus Figuris ſtantibus, ſuffragia in urnas projicientibus, ſub iis CLOACIN.

L. Muſſidius Longus videtur ut M. Mettius Quatuorvir ſub Dictatore Cæſare fuiſſe, & ut hic Junonem Lanuvinam, ad indicandam ex Lanuvio originem, cum Cæſaris denariis expreſſit; ita Muſſidius, ad demonſtrandam è Sabinis pariter ſuam, Veneris Cloacinæ à T. Tatio Sabino Rege conſecratæ, memoriam in hoc denario renovavit. Ejus Hiſtoriam ad Muſſidiam gentem ſpectantem, in ea proferemus. Hi ſunt Cancelli Comitiorum, (quæ pars erat Fori Romani, concionibus & Comitiis populi deſtinata,) ſuper Cancellos aſcendebant Senatores, tabellam in urnas in ciſtas pro ſuffragiis demiſſuri: ita in denario expreſſi videntur: vox *Cloacin.* à Cloaca, in qua reperta eſt Veneris imago, nomen Cloacinæ tulit.

XLII.

Caput Julii laureatum : in aversa parte L. MVSSIDIVS LONGVS. Temo, globus, cornucopiæ, caduceus alatus, & albogalerus.

Idem Mussidius eandem Dictatoris imaginem sine epigraphe, ut satis notam, exhibet. Per Globum, designat Imperium Romanum; per temonem maris imperium; per cornucopiæ, rerum omnium abundantiam; per caduceum, pacem; & per albogalerum, sacerdotalem dignitatem : quæ symbola pacem & abundantiam per mare & terras, P. Romano Cæsaris religione procuratam, denotant.

XLIII.

Caput Cæsaris laurea insigne in area S. C. in aversa parte TI. SEMPRONIVS GRACCVS Q. DESIG. Signum militare, Aquila legionaria, aratrum, decempeda. S. C. in area.

T. Sempronius Gracchus, de cujus gente suo loco agemus, Quatuorvirum fuisse indicat Cæsaris Junioris denarius, licet hic cum Dictatoris effigie illum Quæstorem designatum tantùm nominet; sed quùm uterque denarius ei dignitatis titulum tribuat, nobis ambos sub Triumviratu Junioris, qui patris memoriam renovare voluit, percussos demonstrat. Totus typus Coloniarum deductiones arguit. Signum militare & aquila legionaria. Veteranorum militum, aratrum & decempeda urbis novæ designandæ sunt illorum symbola. *Suetonius* de *Cæsare* Dictatore inquit, *cap.*42. Octoginta autem Civium millibus in transmarinas Colonias distributis.„ Nota S. C. id Senatusconsulto factum declarat: nam pro S. P. Q. R. liberalitate Coloniis alia aliisj ura dabantur, etiam pro Civium meritis, vel quod prorogata sit Quatuorviris Monetalibus cudendæ monetæ potestas, illis difficillimis temporibus, de qua infra in Voconii denario. Sempronius autem, in utroque denario Julii & Cæsaris Junioris, Quæstor designatus non potuit appellari, à prioris enim cæde ad posterioris Triumviratum duo fere anni efluxere : unde hujus initio denarii cum Dictatoris effigie à Triumviris percussi videntur, ut in hoc opere in aliis observare licebit.

XLIV.

CAESAR IMP. Caput Cæsaris laureatum, pone caput astrum: in aversa parte P. SEPVLIVS MACER.

P. Sepulius Macer etiam Quatuorvir Monetalis fuiſſe videtur, qui ſub Triumviratus initio denarios cum effigie Julii Cæſaris Triumvirorum juſſu cuderit. Jam mortuum tunc temporis Dictatorem eſſe indicat ſidus illud poſt ejus caput ſignatum. De quo „ *Dio*, *lib.* 45. Ceterum ſtella quædam quotidie, inter Septen-„ trionem & Occaſum, apparuit, eamque Cometen vocantes „ nonnulli, ea portendere dicebant, quæ alias hujuſmodi ſignum „ ſequi conſueviſſent. Creditum hoc à Plebe, ſed tamen Cæſari „ eam, immortalitatem nimirum jam adepto, inque ſiderum „ numerum allecto, ſacram eſſe dixerunt. Ea re Cæſar *Junior* ani-„ mo confirmato, ſtatuam patris æream cum ſtella ſupra caput, „ in Veneris templo poſuit. De illa ad originem indicandam ſat diximus.

XLV.

CAESAR DICT. PERPETVO. Caput Cæſaris velatum & laureatum: in averſa parte P. SEPVLIVS MACER. Venus tunicata ſtans, d. Victoriam, ſ. haſtam, ad cujus imum clypeus.

Alter P. Sepulii Macri denarius cum velato Cæſaris capite prodit, ejus Pontificatum Maximum denotans, quùm moris eſſet hoc modo ſacra facere, ne Sacerdotes diſturbarentur. Cæſar Dictator perpetuo inſcribitur, quem titulum accepit an. 709/10 quo à Conjuratis Idib. Martiis occiſus eſt. Et quùm Sepulii denarii ſub Antonii Triumviri effigie reperiuntur, quos videre eſt in gente Sepulia, hunc Monetalem Quatuorvirum Cæſaris etiam nummos Triumviratus initio percuſſiſſe diximus. *Amicus* verò noſter, difficillimis illis temporibus, prorogatum eſſe Quatuorvirorum Monetalium Magiſtratum, & ſic eos per duos annos monetæ cudendæ præfuiſſe ſuſpicatur. Venus Victoriam dextra gerit, ad arguendas Dictatoris victorias, propter quas feriæ inſtitutæ ſunt, & ſacrificatum eſt, teſte *Dione*, *lib.* 45. *pag.* 273.

XLVI.

DIVI IVLI. Caput Dictatoris laureatum, pone quod lituus: in averſa parte Q. VOCONIVS VITVLVS. Vitulus.

Q. Voconius Vitulus de numero Quatuorvirorum fuiſſe conſtat; licet ejus dignitas ſeu Magiſtratus in denario ſcriptus non ſit; & DIVI IVLI epigraphe, poſt Dictatoris mortem, denarium percuſ-

ſum

ſum arguit; at quùm illius caput in eo ſit expreſſum, id Senatuſconſulto, ut docet ſequens denarius, factum fuiſſe ſatis innuit. Lituus ad dignitates Sacerdotales quas habuit Cæſar, ſpectat: Vitulus vero ad cognomen gentis, ut videre eſt in Voconia, reſpicit.

XLVII.

Caput Cæſaris laureatum, pone quod lituus: in averſa parte Q. VOCONIVS VITVLVS Q. DESIG. Vitulus, in area S. C.

Idem Cæſaris caput ſine inſcriptione, idem Vituli typus in averſa iterum prodit; ſed Voconius ſe Quæſtorem deſignatum inſcribit, ut ſupra Sempronius Gracchus, & ideo *Fulvius* exiſtimat, denarium à Voconio, Dictatore adhuc vivo, percuſſum, quod illo ex Hiſpania reduce, & aucto minorum Magiſtratuum numero, quadraginta deſignati ſint Prætores, apud *Dionem, lib.* 43. Sed quùm ſuperior nummus Divi Julii inſcriptionem, ambos anno Cæſaris cædis ſignatos, in fine nempe, quùm Quæſtores S. C. ſunt deſignati, ut etiam indicat ejus in denario nota. De ceteris ſupra dictum eſt.

XLVIII.

Caput Veneris: in averſa parte EX S. C. Cornucopiæ in laurea.

Fulvius hunc in Julia gente denarium protulit, & Dictatori tribuit, eumque in dedicatione templi Veneris Genitricis, vel Felicitatis deæ ex S. C. cuſum fuiſſe, atque ex eo genere nummorum eſſe, qui in ejuſmodi dedicationibus & Ludis, velut miſſilia quædam ſpargi populo ſolebant, arbitratur; ſed ille ſi ſpargi juſſiſſet, non ideo nota S. C. uſus fuiſſet, nec Veneris caput cum Felicitatis deæ templo congruit. Veneris imago ad Dictatoris originem indicandam ſpectat. Laurea in averſa parte, ob ejus victorias, appoſita eſt. Cornucopiæ verò ad omnium rerum abundantiam & frumenti diſtributionem P. Romano, poſt victoriam Africanam, de qua loquitur *Dio, lib.* 43. Ad hunc modum peracto triumpho, magnificum populo epulum dedit, addito extra ordinem frumento oleoque. Cui gratulans Senatus in rei memoriam hunc denarium percuſſit.

XLIX.

Caput Veneris: ex averſa parte duplex cornucopiæ, in area littera Q.

Patinus illum etiam denarium *Fulvio* adjecit, cum Veneris capite ex anteriore parte; qui typus etiam ad arguendam Dictatoris originem expressus est: sed duplex cornucopiæ, ad distinctionem superioris, quem cudi jussit Senatus, Quæstor Cæsaris, ut indicat littera Q. exhibuit, ut omnimodam sub eo esse Romæ abundantiam, etiam si bella exarsissent Civilia, denotaret.

L.

LAVS IVLI. CORINT. Caput Dictatoris laureatum: in aversa parte L. CERTO ÆPPIO. C. IVLIO II VIR. Bellerophon in Pegaso, decertans contra Chimæram.

Hic nummus *Suetonium*, de Coloniis à Cæsare deductis, illustrat; „ sed omnino *Dionem*: inquit enim ille, *lib.* 43. Addidit etiam præ- „ claris factis quod Carthaginem Corinthumque instauravit: & „ addit, Corinthum verò Carthaginemque, urbes antiquas, illustres, „ quæ jam perierant, Colonias Romanorum deduxit. Corinthus, Fundatori gratulans, nummos cum ejus effigie, ut Romæ filia, percussit, in quo LAVS IVLIA CORINTHVS, deducto ab illo nomine inscribitur. Bellerophontem, illustrem aliàs Civem, in aversa parte tanquam alterum Heroem expressit. Glauci Ephyræ Regis filius perhibetur, quod primus omnium equo vehi docuerit, apud *Plinium*, *lib.* 7. Pegaso usum & Chimæram occidisse Fabula introduxit. Vide hac de re *Mythologos*. Nummum integrum nacti eum jam restituimus, in *lib. nostro de Colon. pag* 3. in quo alias habes à Cæsare deductas Colonias. L. Certus Æppius Duumvir appellatus, sed prænomen Certi ante Æppiæ gentem, ut in aliquot *Ciceronis locis*, indigitatur: Caius autem Julius alter Duumvir, videtur aliquis ex Dictatore libertis.

LI.

CAESAR. DIC. Caput Cæsaris laureatum, pone quod urceus: in aversa parte M. ANTON. IMP. Caput M. Antonii, pone quod lituus.

Hic denarius Dictatorem & M. Antonium exhibet, & quibusdam à M. Antonio videtur cusus, quum simul Consulatum gererent an. 709/10 cum anno præcedente M. Lepidus in eodem denario cum Cæsare se sociasset. Dictatorem per excellentiam appellat Cæsa-

rem

em Antonius, dum se Imperatorem appellat; quem titulum ab eo recepisse in gente Antonia, num. 4. diximus, Pompeii exemplo; qui Imperator ita à Sylla renunciatus est: nam quod dicit *Mediobarbus*, ob caput Catilinæ Romam allatum, hunc titulum obtinuisse, apud *Dionem*, ad C. Antonium ejus patruum spectat.

LII.

P. SEPVLIVS MACER. Desultor in equo, d. flagrum, s. alterum ducens; pone eum corona, & palmæ ramus: in aversa parte CLEMENTIAE CAESARIS. Templum quatuor columnarum in conum desinens.

Hic denarius ex una parte Circensium Ludorum, à Cæsare editorum, (de quibus supra diximus ex *Suetonio*,) memoriam renovat, de quibus inquit *Cassiodorus in Epistolis*. Equi, inquit, desultorii sunt, per quos Circensium Ministri missos denuntiant exituros, ut luciferi, quadam in astris similitudine, præcursorias velocitates imitari videantur. Binos autem trahebant equos & alternatim ex uno in alterum, mira celeritate, transultabant. Corona & palmæ ramus sunt Victorum præmia. In altera parte templum Clementiæ erectum Dictatori exhibet, de quo *Dio*, *lib.* 44. inquit, Templumque ei Clementiæ dedicari jusserunt, Sacerdotioque ejus Antonium, quasi Flaminem Dialem aliquem præfecerunt. Sepulius Macer Quatuorvir Monetalis, qui denarium percussit, & alterum cum eodem typo, & M. Antonii capite & quidem velato, signavit, forsan alludens quod esset Augur & etiam Flamen Cæsaris, velo ita eum ornavit, quem denarium ex gente Æmilia in Antoniam, loco suo, collocavimus.

LIII.

CLEMENTIA. L. BVCA. Caput Clementiæ, ante quam lauri ramus: in aversa parte CAESAR PARENS PATRIAE. EX S. C. Templum rotundum, in cujus medio signum Libertatis d. cornucopiæ, s. hastam.

Clementiæ Numen venerati sunt antiqui; illi in denariis Vitellii Imp. in manu datur lauri ramus, huic ante ejus caput exprimitur, ad denotandam clementiam Cæsaris post victorias; quapropter *Dio* narrat, *lib.* 44. Post ejus ex Hispania reditum an. 709. Templum-

„ que ei Clementiæ dedicari juſſerunt; cujus iconem in ſuperiore denario vidimus: nam templum hoc rotundum Concordiæ Novæ „ eſt. De quo *Dio*, *loco citato*. Inſuper Concordiæ Novæ tem- „ plum ædificari, annuumque ibi feſtum celebrari juſſerunt, quod Cæſar ipſis pacem reſtituiſſet: quare adjecta eſt in denario S. C. nota. Concordia in templo d. cornucopiæ gerit, ad indicandam in Urbe rerum omnium eſſe abundantiam, haſtam ſ. tenet ad communem hoſtem repellendum. C. Cæſar inſuper Parens Patriæ inſcribitur à L. Buca, de quo Quatuorviro Monetali ſupra abundè diximus: quod nomen illi ex Hiſpania pariter reduci impoſuerunt, „ ut tradit idem *Dio*. Ad hæc nomen Patris Patriæ ei compoſue- „ runt, quod *Suetonius* poſt ejus mortem confirmat: nam, inquit, „ poſtea ſolidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in Foro ſtatuit, ſcripſitque PARENTI PATRIAE.

LIV.

CAESAR DIVI F. IMP. PONT. III. VIR. R. P. C. Caput Auguſti, pone quod lituus: in averſa parte DIVVS IVLIVS. Stella crinita.

Octavius, in gentem Juliam à Dictatore adoptatus, dictus eſt Octavianus Cæſar; ſed in denariis, poſt mortem patris adoptivi, CAESAR DIVI F. ſcribitur, deinde CAESAR AVGVSTVS, quo nomine eum aliquando appellamus; Divi autem filius nominatur, quia, teſte *Suetonio*, Dictator, ut inquit, in deorum numerum „ relatus eſt non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. „ Siquidem Ludis quos primo conſecratos ei heres Auguſtus ede- „ bat, Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens „ circa undecimam horam; creditumque eſt animam Cæſaris in „ cœlum recepti, & hac de cauſa ſimulacro ejus in vertice additur Stella. Hanc verò in denariis expreſſit Auguſtus: cujus hic habes iconem.

LV.

DIVOS IVLIVS. Caput Julii Cæſaris laureatum: in averſa parte CAESAR DIVI F. Caput Auguſti.

Quum conceſſum fuerat Dictatori ut moneta cum ejus effigie ſignaretur, Triumviri Lepidus, Antonius & Auguſtus, ſupremam in Urbe poteſtatem adepti, in moneta etiam illius imaginem ex-

preſſerunt,

presserunt, & præcipue Augustus, quùm solus rerum potitus est, cum sua percussit: sed observandum in ære solam Augusti remansisse, forsan aliorum paulatim abolevit, ita ut quæ nobis superest, aut Dictatoris imaginem habeat in altera parte expressam, aut hanc epigraphen DIVOS IVLIVS intra lauream, ex prima tantùm magnitudine.

LVI.

DIVI IVLI. Caput Dictàtoris laureatum, supra quod stella crinita: in aversa parte CAESAR DIVI F.

Ex auro & argento hunc denarium profert *Goltzius*, quem adhuc inspicere non licuit; sed non mirum est, quum Dictatoris nummi pro raris habeantur, sed præsertim aurei, & nondum observati quotidie ex terræ visceribus eruantur. Augustus ad statuam patris alludit, quam collocaverat in templo Veneris, ut narrat *Dio, lib.* 45. Statuam patris æream cum stella supra caput, in Veneris templo posuit. De illa *Virgilius in Eclog.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

LVII.

DIVI. IVLI. Caput Dictatoris laureatum, pone quod lituus: in aversa parte CAESAR DIVI F. AVGVR PONT. IMP. QVART. COS. TERT.

Augustus patris Dictatoris memoriam, devicto ad Actium Antonio, renovat; ut denotet illum, superato in Pharsalicis campis Pompeio, solum rebus potitum fuisse, sic ipsum tunc solum Remp. administraturum. Hoc anno Consulatum gessit cum M. Valerio Messala Corvino, & ob victoriam, quam de Triumviro Antonio & Cleopatra retulit, Imperator quartùm appellatus est. Augur in hoc denario & Pontifex renunciatur, & sic illius Sacerdotii supra alterum eminentiam denotare videtur.

LVIII.

DIVVS IVLIVS Caput Dictatoris laureatum, ante quod in vertice astrum Cæsaris: in area aversæ partis L. MVNATI. PLANCVS PRAEF. VRB.

L. Mu-

L. Munatius Plancus, ut ex denariis Romanis eruitur, Præfectus Urbis eſt cum aliis, poſtquam Dictator in Hiſpaniam contra Pompeii liberos profectus, redux Cæſar victor illum Ulteriori Galliæ cum Imperio Proconſulari & legionibus præfecit, & ille tandem de rebus in ea geſtis triumphum obtinuit; an de Rhætis in Gallia? ſic autem proferunt *Faſti Capitolini.*

L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS. AN. DCCX. DCCXI. *Varr.*
EX GALLIA IV. K. IAN.

Ut hoc tempore moneta cum Julii capite ſignabatur adhuc, & Triumviri multos ei decreviſſent honores, nempe quod inter deorum numerum relatus eſſet, in denariis, quos ducibus ſuis ad triumphum illum comitantibus diſtribuit, Dictatoris effigiem & ille expreſſit, Præfectus Urbis titulo contentus, quùm in annum ſequentem Conſul eſſet deſignatus.

LIX.

CAESAR III VIR. R. P. C. Caput Auguſti nudum: in averſa parte Sella Curulis, ſupra quam CAES. DIC. PER. & corona.

Illa eſt Sella cum corona, in perpetuum Cæſari Dictatori, Ludis omnibus ex S. C. decreta; illam quùm Auguſtus, Ludis inſtantibus an. 709. 10 poſtquam occiſus fuiſſet Julius Cæſar, in iis collocare vellet, Critonius Ædilis prohibuit, ut narrat *Appianus*, & de „ qua *Dio, lib.* 45. Sellam tamen Cæſaris auream, coronamque „ gemmis ornatam, in theatrum (quamvis ita fuerit conſtitutum,) „ Antonii metu non intulit; ſed Triumvir cum illo & Lepido, „ in omnibus Ludis poſuit: ideo illam in denariis ſuis expreſſit in rei memoriam. *Fulvius* auream coronam, ſed ex lauro contextam exiſtimat, cui libens accedimus; quùm illa honoris cauſa ſupra Curules Sellas ſemper, ut alicubi diximus, imponebatur.

LX.

IMP. CAESAR DIVI F. III. VIR. ITER. R. P. C. Caput Auguſti lanugine ornatum: in averſa parte COS. ITER. ET. TER. DESIG. Templum quatuor columnarum, in quo Julii velati ſignum, d. lituum, in periſtylio aſtrum, ad latus dextrum ara ignita.

Ecce templum Dictatoris, quatuor columnis suffultum, cum ejus signo Pontificis Maximi habitu, lituum dextra tenente, quod in Foro extruxit Augustus, & qu̇um Triumviratum iterum accepisset, dedicavit an. 720. vel 721. qu̇um secundum Consulatum gessisset, & designatus esset tertiu̇m, ut erat pactus cum M. Antonio, & Sex. Pompeio, ut refert *Appianus, lib. 5. Bel. Civ. pag.* 714. Nam, inquit, sequenti die Coss. designati sunt in quadriennium, quare an. 720. Augustus Consulatum iniit & tertiu̇m designatus est, quem gessit an. 722. Augustus in templo patris sui simulacrum Veneris à mari exeuntis posuit. Flamen & sodales ei dati sunt, mentioque FLAM. DIVI IVLI. in *Marmoribus* occurrit.

LXI.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti corona quercea ornatum: in aversa parte. DIVVS IVLIVS. Stella Dictatoris crinita.

Hic denarius percussus est postquam Cæsar anno 727/8 appellatus est Augustus, de quibus nominibus ait *Dio.* Nam Cæsaris & „ Augusti vocabula, nihil eis quidem ea potentiæ adjiciunt pe- „ culiaris; sed alterum successionem stirpis, alterum splendorem „ dignitatis significat: unde Augustum hoc tempore astrum Julii „ in denariis renovasse opinor, ut ab illo originem se trahere denotaret, & ut solus Rempublicam tenens, nihil aliud in animo haberet, quam ut post mortem inter deos referretur, qu̇um Augustus, id est apud Græcos Σεβαστὸς, *venerandus* & diceretur, & templa jam non modo in Asia illi extruerentur, sed Romæ; ut ejus numismata ærea nos docent, cum templi icone, & inscriptione ROM. ET. AVG.

LXII.

C. IVLIVS CAES. IMP. COS. III. Caput Julii Cæsaris nudum: in aversa parte. IMP. CAES. TRAIAN AVG. GER. DAC. P. P. REST. Venus Seminuda stans, brachio lævo columnæ innixo, d. galeam, f. spiculum transversum; pro pedibus clypeus.

Trajanus Imperator inter Cæsarum effigies, quas restituit, Dictatoris præcipuè caput in nummis aureis expressit, sine corona, tamquam inter deos relatum, eumque Imperatorem ap-

pellat, tamquam Imperii fundatorem, unde *Dio* ab eo Imperatoris titulum assumpsisse narrat, *lib.* 44. Id verò Imperatoris nomen à Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tamquam peculiare summi Imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores, dimanavit. At licet Consul quintùm Cæsar in suis nummis denominetur, Trajanus tamen eum tertium tantùm appellat, quod alios titulo tenus tantum gesserit, Dictaturæ potestate contentus decretæ, & postea ob victorias cum Consulatibus simul, ut tradit *Suetonius*. Trajanus Venerem ipsi comitem adjunxit, sed columnæ innixam, tamquam quiescentem, postquam progeniem in deorum numerum evexerit; galeam illa & spiculum gerit, ad cujus pedes clypeus est, ad denotandum armis sibi hanc viam aperuisse.

LXIII.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæsaris laureatum: in aversa parte. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Victoria gradiens, d. bullam osculari videtur, s. caduceum, in imo serpens.

Julius Cæsar à Trajano Divus appellatur, ut primum Imperatorem Romanum inter deos relatum esse denotet; laurea illum insignem, ut Victorem exhibet, ideo Victoriam in aversa parte expressit, ut ejus victorias per caduceum, quem gerit, felicitate, & per serpentem eum præeuntem, prudentia partas demonstret. Ipsa verò Victoria bullam, in qua, ut plurimum erat signata Principis effigies, deosculari videtur, tamquam eum quem maxime diligit, & veneratur: porrò *Macrobius*, Bullam Triumphantium gestamen fuisse tradit. *Alii*, Victoriam illam esse Pacem alatam existimant, quod ejusmodi signum reperitur in nummis argenteis Claudii Imperatoris, cum epigraphe PACI. AVG.

LXIV.

CAESAR III VIR. R. P. C. Caput Augusti galeatum: in aversa parte duo signa militaria, intermedia Aquila legionaria, pone quam trophæum, cum nota S. C.

Denarii Augusti, ad gentem Juliam non spectantes, in ea recipi

cipi jure non deberent, ſed ad nummos Imperatorum revocari; porrò, quia paucos adjecit *Patinus*, argenteos relinquemus, & æreis Coloniarum, quùm nihil nos edoceant, prætermiſſis. Hic verò caput Auguſti galeatum exhibet, propter pugnam Philippenſem percuſſum ex Senatuſconſulto, uti nota S. C. trophæum & ſigna militaria manifeſtant. Galeatus depingitur Auguſtus ut Mars alter, quod ille Marti Ultori templum voverat, ſi patris percuſſores viciſſet; trophæum adjicitur, quod moris erat, poſt victoriam, ubi illa fuerat relata, in ejus loco erigere. Adſunt ſigna militaria, in gratiam militum, cujus ope inſignem illam reportaverat.

LXV.

IMP. CAESAR. Navis cum velo & remigantibus: in averſa parte DIVI F. Victoria coronam palmæ ramo imponit, ſ. temonem gerit.

Ut denarius ſuperior ad pugnâm Philippenſem pertinet, hic ad Actiacam ſpectat; ut illa in terra commiſſa eſt, hanc navis in mari relatam demonſtrat. Nemo Auguſtum, ad IIII. Nonas Septembris 722. 3. ad Actium in Epiro, navali prælio cum M. Antonio congreſſum, inſignem de eo victoriam reportaſſe, & Cleopatram fugere coëgiſſe, neſcit, qua de re Victoria pro trophæo, coronam imponit ramo palmæ, Ægypti ſymbolo; & ſiniſtra temonem, ad indicandam illam fuiſſe navalem, gerit.

LXVI.

PONTIF. Caput Jovis Ammonis: In averſa parte. IMP. CAES. DIVI F. Victoria inſiſtens globo, d. lauream, ſ. palmam.

Denarius ad eamdem Actiacam victoriam pertinere videtur, & ſi nobis conjicere liceat, à Pinario Scarpo, quem M. Antonius ad Ægypti cuſtodiam cum navibus reliquerat, percuſſus; id conjecturam confirmat, quod in Pinaria gente idem Ammonis caput exhibetur, & in altero ejuſdem gentis denario, eadem Victoria globo inſiſtit. Pinarius Antonio iratus, quod Actiacam victoriam retuliſſe mentitus eſſet, ad Auguſti partes tranſiit, ut in Antonia gente jam diximus, ubi denarium Parætonii in Africa urbe cuſum retulimus, & Jovis caput, in eo expreſſum,

ob illius in hac civitate cultum. Victoria globo inſiſtit, ad denotandum Auguſtum, devicto Antonio, cum quo Romanum Imperium diviſerat, nunc ſolum orbis per globum ſignati eſſe dominum.

LXVII.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti: ex altera parte IVLIO II VIR. Arcus triumphalis, cum tribus fornicibus, ſupra quem Imperator, in curru quatuor equorum.

Julius ille Duumvir qui nummum cudit, ſi nobis conjicere liceat, aliquis eſt Julii Cæſaris libertus, qui Corinthum tranſiit, quando illa à patrono deducta eſt, & qui beneficiorum Juliæ gentis memor, quum ad Duumviratum evectus, in victoriæ alicujus, ab Auguſto per Legatos relatæ, monumentum, arcum triumphalem in Colonia erectum, in nummo expreſſit; ſed ille potius in nummorum ſeriem haud dubie tranſferendus qui nihil de hoc Julio Colono nos edocet.

LXVIII.

C. CAESAR. Caput muliebre velatum cum cippo ſupra: in averſa parte currus triumphalis, cum quatuor equis, ſupra arcum, in quo IMP. CAESAR.

Cui adjudicaremus denarium diutius hæſimus, non enim ad Julium, qui Dictator ad diſtinctionem appellatur, nec ad Auguſtum, qui in utraque denarii facie nominari nequit, & tandem ad Caium ejus adoptione filium, confugimus. Hic Pietatem ex una parte, ut ſuam in patrem Auguſtum denotaret, expreſſit: Pietas velo operta eſt, tamquam ſacra factura; nam Romani, auctore Ænea, velabant capita: quod is, quùm rem divinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Ulyſſe cognitus, interrumperetur ſacrificium, caput adoperuit, ex *Plut. in Cauſis*.

Arcus triumphalis, ſupra quem inſcriptum legitur IMP. CAESAR. erectus Auguſto à Caio, poſt ejus reditum ex bello Germanico: nam quùm is unà cum Druſo ad illud profectus eſſet, an. 745/6 Senatus, pro ejuſdem felici reditu, vota nuncupavit, quæ tamen non ante annum 747/8 perſolvi potuerunt

runt; sed quùm decreto Patrum, votorum solutio Tiberio incumberet, & res Germaniæ eum detinerent, Pro eo, inquit *Dio*, „ Ludos votos, pro Augusti reditu, Caius ac Piso Consul fe- „ cerunt, & Caius Augusti arcum triumphalem perfecisse cu- „ ravit, in cujus memoriam eum in denario, quem Pietati dicavit, exhibuit.

LXIX.

C. CAESAR AVGVSTI F. PONT. COS. DES. PRINC. IVVENT. Parma cum hastis puris decussatim, hinc culter sacrificii, inde capeduncula: in aversa parte. L. CAESAR AVGVSTI F. AVGVR. COS. DES. PRINC. IVVENT. Tripus, suprà stella, hinc lituus, inde patera.

Inter Familias Romanas meritò collocantur Augusti denarii, qui ejus caput non præferunt, ut ad Juliam gentem adoptione spectantes, ita Caii & Lucii Agrippæ filiorum nummi, eadem ratione inter illas numerari possunt: nam è Vipsania in Juliam gentem transierunt, & uterque Cæsar adoptione dictus, quod cognomen in ea stirpis successionem appellat *Dio*. Illos Augustus nepotes adoptavit an. 737/8 ut putat *Card. Norisius Cenot. Pis.* de quibus *Suetonius, in Aug. cap.* 64. Caium, inquit, „ & Lucium adoptavit domi per assem & libram emptos à patre „ Agrippa.

Denarius Caium appellat Pontificem, Consulem designatum & Principem Juventutis. C. Cæsar, ut ordine, & non ut in denario, dignitate procedamus; nam Pontifex ante Consulem designatum recitatur, anno 747/8 à Populo Romano designatur Consul annos tantùm natus 14. Equester ordo Caium Principem Juventutis appellavit. Troiæ Ludus erat à majoribus & minoribus pueris celebratus, qui his præerat dictus erat Princeps Juventutis. Caius an. 5.757. & die quo togam virilem assumpsit, ab Equitibus hastis argenteis & parma donatus est, quæ in denario expressæ sunt. De quibus *Dio, lib.* 55. aureas ab Equitibus, quùm „ virilem togam sumerent, acceperunt: ex *Marmore Ancyrano*, „ erant argenteæ, Caium hastis argenteis donatum: Puræ dicebantur, quod nulla ferrea cuspide munirentur.

A Civilibus Caii honoribus ad Sacerdotales, quorum in de-

nario symbola supersunt, procedimus. Culter & Capeduncula ejus „ Pontificatum designant, de quo *Dio*, *lib.* 50. Deinde Sacer- „ dotium Caio, utque in Senatum ire, ac inter Sacerdotes spe- „ ctaculis, epulisque interesse liceret, dedit. Cultro vel secespita utebantur Pontifices, ad dissecandas hostias pro sacrificio: Capeduncula erat vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur.

Aversa denarii pars ad Lucium Caii fratrem pertinet. Is an. 752. natus 15. togam virilem induit, & Princeps Juventutis renuntiatur, & Augustus illum Collegio Augurum adscripsit: nam duo ex eadem domo, ut diximus in gente Cornelia, Pontifices esse non poterant. Ideo Lucius Augur factus est cujus symbola sunt lituus, patera, & tripus. Stella verò in vertice, sidus est Julii Cæsaris, ut in Juliam gentem adoptione transiisse denotaretur.

LXX.

Caput Jani bifrontis: in aversa parte L. IVL. LIBO. Navis, in imo quatuor globuli & vox ROMA.

Julii Libonis stirpem, ut minus frequentem, etsi in Magistratibus majoribus Cæsarum progenie antiquiorem, ipsi postposuimus. L. Julius Libo perhibetur à *Pighio*, Quæstor Militaris, an. 418/9 ad quem hunc nummum æreum pertinere arbitratur, nempe ex pondere; nam quatuor globuli eum esse trientem designant, qui quùm unciam & tertiam partis unciæ pendit, vetustissimus est, & ante bellum Punicum cusus. *Goltzius* eum Julio Liboni, illius nepoti, tribuit, qui Consulatum ante hoc bellum obtinuit, & as libralis adhuc quatuor uncias pendebat, ita ut non facile sit utri eorum assignare. De Jano, & Navi Saturni, abundè ductum est.

LXXI.

Caput Dianæ, humeris arcus & pharetra: in aversa parte L. IVLI. LIBO. Victoria in bigis, d. lauri ramum, s. habenas, in imo ROMA.

L. Julius Libo qui nummum signavit, superioris L. Julii Libonis

bonis nepos esse videtur. Is Quæsturam militarem suscepit an. 477/8. Ædilis Curulis fuit an. 483/4. & deinde Consulatum gessit cum M. Atilio Regulo an. 486/7. ambobus bellum cum Salentinis Italiæ Populis, quorum Brundusium erat Metropolis; de quibus Julius Libo triumphavit cum Collega, ut indicant *Columnæ Triumphales*.

L. IVLIVS. L. F. L. N. LIBO. COS. AN. CDXXCVI. CDXXCVII. *Varr.*
DE SALLENTINEIS. VIII. K. FEBR.

Hic denarius ex manubiis victoriæ forsitan cusus est; Dianam ex una parte exhibet, victoriam indicans de Salentinis, ex Creta oriundis, qui Dianam, ut omnes norunt, colebant. *Alii* verò Dianam, à Julio Libone percussam, ob votum huic deæ ante prælium, cujus memor illius caput in denariis expressit. Victoria in bigis, solitus erat bigatorum denariorum typus: sed quùm illa lauri ramum, coronam, aut palmam pro flagro gerit, victoriam de hostibus relatam semper indicat.

LXXII.

Caput Mercurii cum ala, pone quod tridens & bovis signum: in aversa parte L. IVLI. BVRSIO. Victoria in quadrigis decurrentibus.

Tanta est *Librorum* seu *Codicum* penuria, ut sine Triumvirorum auxilio Juliæ gentis Bursiones extitisse nesciremus; sed quis fuerit ille L. Julius Bursio, an Patricius, an Plebeius, incertum est. Porro quod Mercurius in anteriore denarii parte expressus sit, colligere quis posset Bursiones esse Plebeios: nam Mercurius Mercatorum deus perhibetur; & bos pone ejus caput, ad cognominis indicationem pertinere videtur. Byrsa, unde Bursio, corium dicitur, & forsan ille Julius fuit Coriarius, qui bovis coria concinnaret. *Fulvius* etiam alios esse denarios huic similes ad indicandum Bursionum cognomen, signum habere, indicat.

Victoria in quadrigis, pro flagro coronam gerens, victoriam quamdam à Julio Bursione relatam, denotat, & quidem navalem, ut tridens, pone Mercurii caput arguere videtur;

detur; ſed quum Burſionis nulla apud *Scriptores* mentio ſit, ignoratur.

Obſervandum nos aliquot Coloniarum & Urbium nummos à *Patino* adjectos, qui nihil ad Juliam gentem Romanam conferunt, tamquam parum utiles, expunxiſſe.

FINIS.
Volum. I.



